23713

DE
LITERIS
INVENTIS
LIBRI SEX.

Ad Illuſtriſſimum Principem

THOMAM HERBERTUM,

Pembrokiæ Comitem, &c.

Auctore GULIELMO NICOLS, A. M.




DEDITQUE DOMINUS MOSI DUAS TABULAS TESTIMONII LAPIDEAS SCRIPTAS DIGITO DEI.

J. Nutting Sculp.

LONDINI.

Apud Henricum Clementem Bibliopolam, ad Inſigne Lunæ Falcatæ, in Cœmeterio D. Pauli.

MDCC XVI.



Ad amicum veterem.

Carmina quæ quondam ſcripſi florentibus annis,
Optime amicorum, jam tibi mitto ſenex:
(Nam dolor immenſus ſubitæ mihi cauſa ſenectæ
Extitit, & canos attulit ante diem)
Accipe, & hæc animo quo tu mea cuncta legebas,
Dum jucunda ætas eſſet utrique, lege.

ARGUMENTA LIBRORUM.

I.

PRIMUS *Scribendi* LIBER *incunabula pandit,*
Et quos auctores hanc artem habuisse vetustas
Crediderit: Multa huc spectantia promere tentat
Quæ sint utilia, & non injucunda juventæ.

II.

Hinc artis recitat miracula multa SECUNDUS,
Qua fragiles hominum pervadunt secula voces,
Stant aries, viget ingenium, sapientiaque omnis
Ævi mansuris retinetur picta tabellis.

III.

TERTIUS *Inventi superantis cuncta reperta*
Ingenio humano paulo majora recenset
Munera, & hoc uno monstrat Legesque manere,
(Vincula communis vitæ,) famamque virorum.

IV.

QUARTUS *jura canit digito conscripta Tonantis,*
Et data temporibus cunctis relegenda futuris
Mentibus humanis portantia verba salutem.
Inde sacra laudes Scripturæ dicere tentat,
Et contra Romam meritos defendit honores.

V.

Commemorat libros Cudendi commoda QUINTUS,
Et studia hac una docet arte renata per orbem:
Consecratque virorum æterna nomina famæ,
Qui instaurâre bonas artes, sacrasque Camenas.

VI.

ULTIMUS *inde Scholas gestit celebrare Britannas:*
Datque viri docti formam, laudesque recenset.

DE

l furto incipit Liber hic: quatuor enim primis carminib⁹
uctor sequentes quatuor gallici vatis elegantes
imitando
modùm rythmos qualitercunque latinos fecit,
de verò hauserit, indigitare non dignatus.

ſt de lui que nous vient cet art ingenieux,
peindre la parole, et de parler aux yeux:
par des traits divers des figures tracées,
mer de la couleurs, et du corps aux pensées.

Sunt autem paraphrastica versio sequentis
de Cadmo latini versûs:

lansuram rudibus vocem signare figuris. Vt.
Vid. Dictionaire de Moreri Art.° de Cadmo. FS.

ARGUMENTA LIBRORUM.

I.

PRIMUS *Scribendi* LIBER *incunabula pandit,*
Et quos auctores hanc artem habuiſſe vetuſtas
Crediderit: Multa huc ſpectantia promere tentat
Quæ ſint utilia, & non injucunda juventæ.

II.

Hinc artis recitat miracula multa SECUNDUS,
Qua fragiles hominum pervadunt ſecula voces,
Stant artes, viget ingenium, ſapientiaque omnis
Ævi manſuris retinetur picta tabellis.

III.

TERTIUS *Inventi ſuperantis cuncta reperta*
Ingenio humano paulo majora recenſet
Munera, & hoc uno monſtrat Legeſque manere,
(Vincula communis vitæ,) famamque virorum.

IV.

QUARTUS *jura canit digito conſcripta Tonantis,*
Et data temporibus cunctis relegenda futuris
Mentibus humanis portantia verba ſalutem.
Inde ſacra laudes Scripturæ dicere tentat,
Et contra Romam meritos defendit honores.

V.

Commemorat libros Cudendi commoda QUINTUS,
Et ſtudia hac una docet arte renata per orbem:
Conſecratque virorum æterna nomina famæ,
Qui inſtaurâre bonas artes, ſacraſque Camænas.

VI.

ULTIMUS *inde Scholas geſſit celebrare Britannas:*
Datque viri docti formam, laudeſque recenſet.

DE

l furto incipit Liber hic: quatuor enim primis carminibus
uctor sequentes quatuor gallici vatis elegantes
modum rythmos qualitercunque latinos fecit,
de verò hauserit, indigitare non dignatus.

imitando

ît de lui que nous vient cet art ingenieux,
peindre la parole, et de parler aux yeux:
par des traits divers des figures tracées,
ner de la couleur, et du corps aux pensées.

Sunt autem paraphrastica versio sequentis
de Cadmo latini versûs:

lansuram rudibus vocem signare figuris. Ve.
id. Dictionaire de Moreri Art°: de Cadmo. FS.

DE LITERIS INVENTIS

LIBER PRIMUS.

SÆPE revolvi animo, quis primus numine plenus
Depinxit vocem, & verba videre dedit;
Et fecit ductis rudibus magiciſque figuris,
Ut quæ viſa forent neſcia vincla pati,
Jam tandem maneant æterno in marmore fixa,
Cum cœlo & terris interitura ſimul.
Sive fuit Moſes [1], ſive ipſo antiquior alter, [1]
Qui docuit ritu pingere verba novo;
(Sunt qui Mercurio [2], Cadmo, Patrique fideli
Abramo [3], in ſcriptis hoc tribuere decus,)
Quiſquis erat (nomen namque illius excidit ævo,
Qui poſt fata aliis vivere poſſe dedit;

1 *Moſes.*] Huic literarum inventionem tribuunt Eupolemus apud Euſebium Præpar. Evang. lib. IX. cap. 4. & Clem. Alex. Strom. I. quibus aſſentit Iſidor. Orig. lib. I. cap. 3. quod refutavimus infrà ad num. [15.] *Meminit Moſes* (inquit doctiſſ. Waltonus Epiſc. Ceſtrienſ. in Prologom. II. 5.) *libri bellorum Domini Num.* XXI. *quæ probant literas priùs in uſu fuiſſe.*

2 *Mercurio.*] *Neque enim & literas diſcere non debuimus, quia earum repertorem dicunt eſſe Mercurium.* S. Auguſt. de doctr. Chriſt. lib. II. cap. 18. Vide notas infrà ad num. [11.]

3 *Abramo.*] Hunc literas inveniſſe tradit Philo Judæus.

Quamvis æterna ſtatua, Pariaque columna
Dignior haud alter forſan in orbe foret;)
Ingenio poſtquam divino hanc repperit artem,
Alloquio junxit gentem utriuſque poli;
Alloquio junxit vivos & lumine caſſos:
Jam vita functos conſuluiſſe dedit.
His dedit ex tumulis ad nos; nobiſque det olim
Ad cuncta in ſcriptis ſecla futura loqui:
Sccula ſic nexit ſeclis, ut in omnibus inde
Docto cuique viro vivere poſſe daret:
Seclis præteritis, ſeclis & adeſſe futuris,
Haud ſecus ac præſens adforet ille ſuo.
En hominum voces non intervalla locorum [2]
Ulla vetant jungi, mors neque ſæva rapit!
Ægyptus fileat ſua picta animalia [1], cedant
Barbara mirificis ſymbola cuncta notis;
Memnonias fileat ſtatuas [2], & murmura blanda:
Hac ſtant arte ſacra marmora docta loqui.
Sic oculis noſtris hæc ſigna loquuntur [3], ut ipſa
Non ſit lingua animi nuncia certa magis.

Eſt

1 *Ægyptus ſileat ſua picta animalia.*] *Primi Ægyptii per figuras animalium ſenſus mentis effingebant, & antiquiſſima monumenta memoriæ humanæ ſaxis impreſſa cernuntur.* Tacitus.

2 *Memnonias ſileat ſtatuas.*] *Non abſimilis illi narratur* [Naxius Lapis] *in Thebis delubro Serapis, ut putant, Memnonis ſtatua dicatus, quem quotidiano ſolis ortu contactum radiis, crepare dicunt.* Plin. Hiſt. Nat. lib. XXXVI. cap. 7. De hac ſtatua Dionyſius περιηγ. ver. 249.

Ἔνθα γεγωνὼς
Μέμνων ἀντέλλουσιν ἑλὶ ἀσπαζέσθαι Ἠῶ.

Vide Tacit. Annal. Lib. II. Philoſtr. Lib. I. Iconum. Strab. Lib. XVII. & Pauſan. in Atticis.

3 *Sic oculis noſtris hæc ſigna loquuntur.*] Hebræis literæ אותיות dicuntur, id eſt, ſigna. Inde Iſidor. lib. I. cap. 3. vocat literas *indices rerum, ſigna verborum.*

Eſt pictura loquens, & rerum litera cuſtos,
Et laudem meritos quæ vetet una mori.
Ardua qui tractas HERBERTE negotia regni,
O & militiæ, grande decuſque togæ!
Temporibus dubiis qui rectus, & uſque ſaluti
Invigilans patriæ qui prope ſolus eras;
PEMBROKIÆ præclare Comes, tua tempora ſi fas
Ut morer, exiguis ſi tibi adeſſe vacat;
Adſis, oro, meis, dum tot miracula pando,
Quæ fieri libris literuliſque ſolent.

MIRA cano: Signis viginti quattuor [1] almis, [3]
(Nec totidem agnoſcit lingua Latina vetus,)
Tot captas vidi voces, quot littus arenas
Euxini maris, aut gramina Pindus habet:
Hebræus, Græcus, Romanus, Teuto, Britannus,
Indus, Chaldæus, Gallus, Iberus, Arabs
Colloquia his miſcent, his ſignant verba elementis,
Et tradunt ſociis ſæpe legenda ſuis.
Dicite Pierides, cur auctor nobilis artis, [4]
Quem curæ veſtro debuit eſſe choro,
Carminibus celebraſſe virûm, (per ſecula vobis
Quandoquidem illius munere fama ſtetit,)
Nunc ſine honore jacet? cur illum oblivio carpſit?
Immerito totum cur Libitina tenet?
Profuit & quæ aliis ars, cur ſibi inutilis ipſa?
Cur ſibi juſta parum ſigna fuere ſacra?
Sæpe ego de Inventi mirabar origine magni [5]
Pauca adeo à doctis ſcripta fuiſſe viris.

1 *Signis viginti quattuor.*] *Quis ſonos vocis, qui infiniti videbantur paucis literarum notis terminavit?* Cic. Tuſc. quæſt. Lib. I.

Sæpe indignabar ſcribendi munera vatem
Nullum carminibus commemoraſſe ſuis.
Arvorum cultum, Cereriſque, & munera Bacchi
Sublimi cecinit carmine Virgilius:
Aſt artem brevibus figendi verba tabellis
Qui caneret blando carmine nemo fuit;
Ante ego quam tanti benefacti victus amore
Tentavi numeris hanc celebrare meis.
Hanc reperiſſe artem, me judice, gloria major
Frugibus uti homines quam docuiſſe fuit:
Qui melius poſſent ſine frugibus, igne, vel unda,
Quam ſine manſuris vivere literulis.
Nam cum ſtent illis leges hominumque Deique;
Abſque illis naſci res miſeranda foret:
Abſque illis eſſent commercia nulla futura
Inter mortales, nullaque amicitia:
Siqua futura, tamen rara eſſent, ſcilicet inter
Hos modo vicinos qui coluere locos.
Vita inamæna nimis foret, ætatemque neceſſe
Degere ſic multis, ut fera bruta ſolent.
Neve ultra cineres fas his extendere famam,
Vivere qui æternùm promeruere, foret.
Seu dos naturæ eſt [1], ſive arte parata loquela, [6]
Profuit ars una hæc, quam ipſa loquela magis.

Alloquor

1 *Seu dos naturæ eſt*] De hac re diſputantem vide doctiſſ. Epiſcopum Waltonum in Prolegom. ad Bibl. Polygl. ſub initio, qui tandem concludit, *Certum eſſe ex creationis hiſtoria primam linguam ex inſtituto divino prorſus fluxiſſe; ipſumque, qui primorum hominum animas non tanquam raſas tabulas, ſed ſcientia rerum inſtructas creavit, etiam linguam primam in eos infudiſſe, ſine qua rerum ſcientia nulli fere uſui inſerviret. Unde Gen.* II. *ubi legimus, Adamum factum eſſe animam viventem, Onkelos paraphraſtes reddit, Spiritum loquentem.*

Alloquor haud lingua abſentes; en alloquor ipſos
Abſentes his, & ſecula cuncta notis!
Vox fugit ut tempus, tempus retinere quis audet?
Sed vocem ſignis his retinere licet:
Namque his vocales tabulas, chartaſque loquaces,
Quæ poſſint oculis verba referre dabo;
Luminibus doctis animi quæ ſenſa referre,
Indoctis eadem quæ reticere[1] valent.
Orator dixit, *Concedat laurea linguæ*: [7]
Invento huic cedat lingua vel ipſa ſacro.
Litera quantumvis nil ſit niſi vocis imago,
Hæc tamen archetypum vincit imago ſuum.
His ſignis ratio, (genuina hæc filia mentis,) [8]
Extra etiam mentem permanet in tabulis:
Corpore jamque induta velut ſe obtutibus offert
Noſtris, & ſummo replet amore ſui.
Utque hominis facies vitreis ſpectatur in undis, [9]
Sic animi in ſcriptis lucet imago libris.
Affirmare auſim, ex quo tempore conditus orbis, [10]
Et primùm tellus eſt habitata viris,
Ingenii majus ſpecimen[2] nemo edidit illo,
Edet qui majus forte nec ullus erit.
Quid mirum inventi ſi tanti affectet honorem,
Et rapiat planegens prope quæque ſibi?

1 *Indoctis eadem quæ reticere*] Nempe dum viri docti vel per ænigmata mentes ſibi invicem ita communicant, Ἵνα ἄν τι δέλτου ἢ πόντου ἢ γῆς ἐν πλυχαῖς παθῃ. ὁ ἀναγνὸς μὴ γνῷ, ut loquitur Plato apud Clem. Alexand. Strom. Lib. V. vel alio quovis modo.

2 *Ingenii majus ſpecimen*] Ergo hoc inventum *Admirandarum omnium inventionum humanarum ſignaculum* merito vocat Galilæus Syſtem. mundi Colloq. I. diei ad finem.

At non Mercurius [1], nec Moſe recentior ullus, [11]
Inventum hoc potuit dicere jure ſuum.
Sed neque Phœnices [2] ſignarunt verba figuris [12]
Primi, ut mentiri Græcia [3] vana ſolet.
Nec primi in tabulis Chaldæi pingere viſi,
Quamvis ingenio gens ea clara fuit.

Nec

1 *At non Mercurius*] Hunc literas in Ægypto omnium primum reperiſſe tradunt Diodorus Siculus Lib. I. Plutarchus Convival. Quæſt. Lib. IX. Plato in Phædone. Cic. de Nat. deor. Lib. III. Quintil. Inſt. Lib. III. cap. 7. Juxta Euſebium ab Ægyptiis *Thoyth* dictus erat, à Græcis Ταaυτος dicitur, & ut multarum artium inventor celebratur. Vide Euſeb. Præp. Evang. Lib. I. cap. 10. & Kircher. Oedip. Ægypt. Tom. III. dial. 2.

2 *Sed neque Phœnices*] *Ipſa gens Phœnicum in gloria magna literarum inventionis, & ſiderum, navaliumque, ac bellicarum artium.* Plin. H. N. Lib. V. cap. 12. At quamquam eſſent, ut vere quidem ait Philo Biblius ex Sanchoniathone, Παλαιότατοι τὴν ῥᾳδιάφεων, παρ' ὧν καὶ οἱ λοιποὶ παρέλαβεν ἄνθρωποι, (apud Euſeb. Præp. Evang. Lib. I. cap. 8.) non tamen primi literarum uſum invenerunt: nec id aſſerere videtur Lucanus: ſed hoc decus Phœnicibus tributum fuiſſe, dum canit,

Phœnices primi, famæ ſi creditur, auſi
Manſuram rudibus vocem ſignare figuris.

Et Critias apud Athenæum Lib. I. Φοίνικες δ' ἔφην γράμματ' ἀλεξιλογα. Phœnices literarum inventores à Græcis creditiſunt, non aliam ob cauſam, quam quod Cadmus Phœnix Agenoris filius Græcis literarum uſum primus docuerit. Chærilus, vetus poeta apud Euſebium, & Joſephum contra Appion. Phœnices & Judæos, unam eandemque gentem fuiſſe credidit. Ille in exercitu Xerxis Judæos fuiſſe tradit, eorumque linguam Phœniſſam vocat his verbis

Τῶ δ' ὀπίσθεν διέβαινε γένος θαυμαστὸν ἰδέσθαι
Γλῶσσαν μὲν Φοίνισσαν ἀπὸ σωμάτων ἀφίεντες
Ὠκεῖαν δ' ἐν Σολύμοις ὄρεσι πλατὺν ὤμον λίμνης.

Utcunque ſe res habet, Phœnices eoſdem atque Cananæos fuiſſe conſtat: ea enim ipſa mulier quæ D. Matthæo XV. 22. Chananæa eſt, D. Marco VII. 26. Syrophœniſſa dicitur. & ubi Libro Joſuæ (V. 1.) mentio fit regum Canaan, LXXII. interpretes habent βασιλεῖς τῶν Φοινίκων.

3 *Ut mentiri Græcia*] De mendacitate Græcorum notum eſt illud poetæ. *Et quicquid Græcia mendax Audet in hiſtoria.* Quin Plinius illos *ſummè credulos* eſſe affirmat. H. N. Lib. VIII. cap. 22. *Mirum eſt*, inquit, *quo procedat Græca credulitas; nullum tam mendacium eſt, ut teſte careat.*

Nec ratio patitur divinam addicere Moſi
Hanc artem, quamvis inclyta ſcripta viri
Annorum ſerie longa facile omnia ſcripta
Cunctorum vincat, quotquot in orbe manent.
Si Moſes primus monſtraſſet pingere voces,
Id licet in ſcriptis prodere noluerit,
(Qui tamen ipſe inventa ignobiliora recenſet,)
Gens Judæa illud non tacitura fuit,
Gens haud gloriolæ contemptrix, paſſa nec ingens
Phœnices olim ſurripuiſſe decus.
In ſcriptis conſtat memorare volumina Moſen, [13]
Quorum nunc extant nomina ſola libris;
Quæ forte ante annos multos conſcripta fuerunt,
Extractus Nili quam puer eſſet aquis:
Crediderim Hebræos uti didiciſſe figuris, [14]
Lex ante in tabulis quam data ſancta fuit.
Jobus Idumæus, qui magni tempora Moſis
Præceſſit, ſacra clarus in hiſtoria,
O ſi ſculpta forent mea verba in marmore, dixit.
O ſi manſuro ſcriptaque cuncta libro!
(Haud ſcribi in libro ſua verba optaſſet Iobus,
Pingendi voces ars niſi nota foret:)
Reſpondit Deus his votis; ſunt ſcripta libello,
Mirantur pectus ſeclaque cuncta viri;
Exemploque ejus (dum ſcripta hæc ſacra revolvunt,)
Æquo animo diſcunt aſpera quæque pati.
At quamvis Moſes inventor non fuit artis [1], [15]
Inſtauratorem nemo fuiſſe neget;

1 *Moſes inventor non fuit artis*] Nec eſſe quidem potuit, ſi Rabbinis, qui Adamo; aut Philoni credimus, qui Abrahamo literarum inventionem, ut jam vidimus, attribuit. Quinimo Aſſyrios (apud quos primum fuit imperium,) etiam ante tempora Abrahami

Cum non relliquias inter modo gentis Hebrææ,
Sed toto in mundo litera rara foret;
Arſque ſepulta fere, rerum monumentaque nulla
Geſtarum exſtarent, aut prope nulla, viris.
Si quicquam ſcripſit, cujus præclara citantur [16]
Oracla in ſacro Codice ſanctus Enoch [1],
Nam jure id quiſquam merito dubitaverit, ejus
Scripta tamen minimè prima fuiſſe patet.
Sin inventor Enoch [1] fuit artis, quanta vetuſtas,
Septimus à primo cum foret ille viro!
Aſſyrios olim vocitabat Roma, Syroſque, [17]
Qui Hebræi, Tyrii, Sidoniique forent:
Inde quod Hebræas neſciret Plinius ille
Literulas ſemper credidit Aſſyrias [2];

Qua

mi Aſtrologiam coluiſſe teſtatur Proclus Lycius in Timæo. Ab Abrahamo, adeoque à Chaldæis Arithmeticam & Aſtrologiam in Ægyptum primum perveniſſe docent Nicolaus Damaſcenus apud Joſephum Antiq. Lib. I. Eupolemus & Artabanus apud Alexand. Polyhiſt. in Euſeb. Præp. Evang. Lib. IX. Moſen legimus *eruditum fuiſſe omni ſapientia Ægyptiorum.* Act. VII. c. 22. (Videndus Philo de vita Moſis) ſed quænam fuit ſapientia illa quæ ſine literarum uſu eſſe potuit? Porro notat doctiſſ. Præſul. Waltonus apud Simplicium Comment. 46. in Ariſt. Lib. I. de cœlo, legi, Obſervationes Aſtronomicas quas Calliſthenes è Babylone Ariſtotelis juſſu miſerat, fuiſſe annorum mille nongentorum trium, quas refert Porphyrius ad Alexandri Macedonis tempora ſervatas fuiſſe. Harum vero initium erat paulo ante Turris Babylonicæ ſtructuram, & circa annos ducentos ante Abrahamum.

1 *Enoch*] *Scripſiſſe quædam divina Enochum illum ſeptimum ab Adamo, negare non poſſumus*, inquit S. Auguſtinus De C. D. Lib. I. cap. 15. Imo ante illum Origenes Homilia ult. in Numer. *Enochum multos libros propheticos ſcripſiſſe* teſtatur. In eadem ſententia eſt Tertullianus libro *De habitu mulierum.* Enochi prophetiam ſine ſcriptura tot annorum millibus conſervatam fuiſſe doctiſſ. Præſuli jam laudato vix credibile videtur.

2 *Credidit Aſſyrias*] *Literas arbitror ſemper fuiſſe Aſſyrias.* H. N. Lib. VII. cap. 56. *Aſſyrii, qui poſtea Syri dicti.* Juſtinus Lib. I. Hebræos dictos fuiſſe Syros docet Euſebius Præp. Evang. Lib. X. Εἰσὶ δ' οἱ Σύρους γράμματα ἐπινοῆσαι λέγουσι πρώτους· Σύρους δ' ἂν εἶεν οἱ Ἑβραῖοι. Hebræos etiam Aſſyrios dictos fuiſſe conſtat,

Qua quondam fateor motus ratione putabam
  Inventum Hebræum ſigna fuiſſe ſacra:
Æternum qui literularum credidit uſum,
  Hunc demum à vero proximè abeſſe putem,
Nam ſi ſit verum, quod tradidit alta vetuſtas,
  (Cui prudens poſſit nemo negare fidem)
Neſcio quæ geminis [1] inſcripta fuiſſe columnis, [19]
  Illius a natis cui Deus eſſet avus,
Divinum auctorem ſcribendi hunc credere fas eſt,
  Humani generis qui ſimul auctor [2] erat.
DICERE quo auctore accepit gens quæque figuras
  Difficilis ſemper res mihi viſa fuit. (tem
Conſtat quod primus prout quiſque hanc traderet ar-
  Gentibus, ille artis creditus auctor erat.
Dicitur Hebræis [3] Moſes, Carmenta [4] Latinis, [20]
  Et pater Abramus ſigna dediſſe Syris,

Niliacis

ſtat. Ἀλλ' ἐγὼ, inquit Themiſtius Orat. IX. Ὑπαθόμην καὶ τὴν Ἀσσυρίων γραμμάτων ταῦτα τοῦτο κομιζομένων, ὡς ἄρα ὁ νεὼς τὰ βασιλέως ἐν τῇ τοῦ Θεοῦ παλάμῃ διαφορεῖται, reſpiciens ad verba Salomonis Prov. XXI. 1. Denique Aſſyriorum nomine Tyrios & Phœnices deſignari ſæpe videas apud Authores. *Apud Aſſyrios ſive Phœnices lugens inducitur Dea*, inquit Macrobius Saturn. Lib. I. c. 17. Et Virgilius Georg. II.

Alba nec Aſſyrio fucatur lana veneno.

Aſſyrio veneno, id eſt, Purpura Tyrio. Quint. Curtius Lib. IV. de Tyriis ſcribens, *Hæc gens*, inquit, *literas prima aut docuit, aut didicit.*

1 *Neſcio quæ geminis*] Vide Joſeph. Antiq. Lib. I.

2 *Humani generis qui ſimul auctor*] Τοῦτο τέχναι καὶ γράμματα. Suidas in voce Ἀδάμ. *Ante diluvium, inde a mundo condito literas in uſu fuiſſe mihi vix dubium videtur. Unde primum hominum parentem, etiam primum literarum inventorem fuiſſe veriſimile eſt, à quo eas didicit Seth.* Waltonus in Proleg. II. 2. *Quamvis S. Scriptura de inventione literarum nihil dicat, convenit tamen inter pleroſque doctos Adamum, non quidem ſtatim atque creatus eſt, ſed proceſſu temporis, cum neceſſitatem utilitatemque hujuſce artis perciperet, Characteres Hebraicos adinveniſſe* Wilkin. in *Charact. Reali* Lib. I. cap. 3.

3 *Dicitur Hebræis*] Τὸν Μωσῆ πρῶτον σοφὸν γενέσθαι, καὶ γράμ-

Niliacis Iſis, Phœnix Cadmuſque Pelaſgis [1],
Ulphula [2] (nam veteres ſic cecinere) Gothis:
Non quod quiſquam horum ſcribendi invenerit ar-
Quæ generi humano pæne coæva fuit, (tem,
Sed quoniam variæ gentes auctoribus illis
Primùm literulas perdidicere bonas.
Phœnices viſi paullo poſt tempora Moſis [21]
Pingendi voces artem habuiſſe ſacram.
Nam juxta Herculeas ſunt ſaxa reperta columnas,
In queis Phœnicum lingua ea ſcripta forent:
Nos fuimus Joſuæ fugientes [3] *ora latronis*:
At quis Phœnices illa loqui tulerit?

Cædibus

γράμματα πρῶτον τοῖς Ιουδαίοις παραδοῦναι, καὶ παρ' Ιουδαίων Φοίνικας παραλαβεῖν, Ἕλληνας δὲ παρὰ Φοινίκων docet Eupolemus apud Euſeb. Præp. Evang. Lib. IX.

4 *Carmenta Latinis*] Vel Carmentis, quæ & Nicoſtrata dicitur, Evandri Arcadis mater. Livius Evandrum ipſum auctorem vocat, Lib. I. *Evander*, inquit, *profugus ex Peloponneſo, venerabilis vir miraculo literarum, rei novæ inter artium homines.* Ab Arcadibus *Aborigines literas didiciſſe* docet Tacitus Annal. Lib. II. Idem ſentit Dionyſius Hal. Lib. II.

1 *Phœnix Cadmuſque Pelaſgis*] Id docet Diod. Sicul. Lib. V. his verbis, Σύροι μὲν εὑρεταὶ γραμμάτων εἰσὶ, παρὰ δὲ τούτων Φοίνικες μαθόντες τοῖς Ἕλλησι παραδεδώκασιν, ὅθεν εἰσὶν οἱ μετὰ Κάδμου πλεύσαντες εἰς τὴν Ευρώπην. Herodotus in Terpſich. ſcribit Ione à Phœnicibus literas didiciſſe. A Timone Phliaſio apud Sext. Empiric. dicuntur Φοίνικα σήματα Κάδμου. Vide Clem. Alex. Strom. Lib. I. in initio. Plin. H. N. Lib. VII. cap. 46. & Tacit. Annal. Lib. II.

2 *Ulphila*] Quem Jornandes *Gulphilam*, alii *Vulphilam*, Paulus Diaconus *Ulphilam* nominat. Gothorum Epiſcopus is erat, & S. Scripturam in linguam Gothicam tranſtulit, ut auctor eſt Socrates Hiſt. lib. IV. cap. 33. his verbis; Γράμματα ἐφεῦρε Γοτθικὰ, καὶ τὰς θείας γραφὰς εἰς τὴν Γοτθῶν μεταβαλὼν, τὰς βαρβάρους μανθάνειν τὰ θεῖα λόγια παρασκεύασεν. Floruit circa annum Chriſt. 370. Vide Sozom. lib. VI. cap. 37. & Niceph. lib. XI. cap. 43.

3 *Nos fuimus Joſuæ fugientes*) Inſcriptio erat ejuſmodi, auctore Procopio de rebus Vandalicis Lib. IV. ΗΜΕΙΣ ΕΣΜΕΝ ΟΙ ΦΥΓΟΝ-

Cædibus infamem [1], latrociniisque nefandis
Phœnicum gentem fama fuisse refert.
Tam falsum est veteres signis caruisse Pelasgos, [22]
Tunc quando infælix diruta Troja fuit,
(Quod temere in scriptis Josephus [2] prodidit olim
Doctus Judææ conditor historiæ,)
Quam priùs hos oculis artem didicisse loquendi,
Obruta quam terra est Deucalionis aquis;

Ut ΦΥΓΟΝΤΕΣ ΑΠΟ ΠΡΟΣΩΠΟΥ ΙΗΣΟΥ ΤΟΥ ΛΗΣΤΟΥ ΥΙΟΥ ΝΑΥΗ. Meminit Eusebius in Chronico, ὃ ἔφυγον ἀπὸ προσώπου ἡμῶν Ἰησοῦ, καὶ κατῴκησαν τείχος τῆς Ἀφρικῆς. Phœnices Canaanitis non modo finitimos, sed etiam ex ipsis oriundos docti norunt ex Phœnicibus (ac proinde ex Canaanitis,) sunt Pœni. Id ex unius: D. Augustini (qui & ipse Pœnus erat,) testimonio patet: Ejus hæc sunt verba: *Interrogati rustici* (qui circa Hipponem habitabant) *qui sint? Punice respondent, Canani; corrupta scilicet, sicut in talibus solet, una litera: quid aliud respondent, quam Cananæi?* Expos. in Epist. ad Rom. Legat cui vacat Evagr. Hist. Eccles. lib. IV. cap. 18. Suid. in voce Καναάν. Morn. de ver. Rel. cap. 26. Niceph. lib. XIX. cap. 12. & Selden. de diis Syr. cap. III.

1 *Cædibus infamem*] Sunt qui Phœnices dictos esse putant παρὰ τὸ φόνος à cædibus, quas ubique patrabant: sed verum nominis etymon habes apud doctiss. Bochartum, quem vide.

2 *Josephus*] Hist. lib. V. & cont. Appion. lib. I. Euseb. de Præp. Ev. lib. X. ostendit scripsisse apud Græcos ante Homerum, Linum, Philamonem, Thamyram, Amphionem, Orpheum, Musæum, Demodotum, Epimenidem, Aristæum, & alios; ut satis mirari nequeam, quid Josepho in mentem venerit, ut affirmaret, ante bellum Trojanum Græcos literis usos non fuisse, cum ex ipsius Homeri verbis constet, eos literarum usum ante ea tempora habuisse: nam de Præto qui Bellorophonti literas perferendas dedit, hæc habet. ιλ. ζ.

------ πόρεν δ' ὅγε σήματα λυγρὰ
Γράψας ἐν πίνακι πτυκτῷ θυμοφθόρα πολλά.

Nec credibile est, quod idem scriptor tradit, Homerum poema suum non literis conscriptum reliquisse, sed cantibus memoria conservatum, postea fuisse compositum; & propterea multam in eo comperiri dissonantiam. Vide Plin. H. N. lib. XIII. cap. 11. Herculem, qui ante bellum Trojanum claruit, literas à Lino edoctum fuisse testatur Theocritus,

Γράμματα μὲν τὸν παῖδα γέρων Λίνος ἐξεδίδαξεν·

Ut gens falſiloqua, & cujus jactantia toti
Jam nota eſt orbi, ſæpe referre ſolet. (dum,[23]
NON inventa ſimul cuncta eſſe elementa putan-
Principio Hebræi tantum habuere decem [1];
Graii ſex ſuprà [2]; totidem numerare Latini;
Quo patribus priſcis pauca fuiſſe patet.
Perfacile inventis eſt addere; quin nihil unquam
Inveniunt homines, perficiuntque ſimul.
Literulis Græcis ſero addi contigit illas
Dicuntur paſſim quæ Palamedis aves [3].
Quin tres Cæſar Claudius adjeciſſe Latinis, [24]
Fertur, at inventis ipſe ſuperſtes erat.

SUNT

1 *Hebræi tantum habuere decem*] Sic Irenæus: *Ipſæ autem antiquæ, & primæ Hebræorum literæ, & Sacerdotales cuncupatæ, decem quidem ſunt numero.* Lib. II. cap. 41. *Illæ decem,* ait Feuardentius ad locum, *ſunt ab* א *uſque ad* י, *quæ ideo primæ & præcipuæ dicuntur quod cæteræ ex illis, aut ad illarum ſimilitudinem efformatæ ſint, & numeri digiti ex ipſis conficiantur.*

2 *Graii ſex ſupra*] Chronicon Alexandrinum Olymp. 96. Ἀθηναῖοι ηὔξαντο στοιχείοις καὶ χαρακτῆρι, πρότερον ιε'. Idem tradit Euſebius in Chronico, cum S. Irenæo, cujus hæc ſunt verba adv. hæreſ. lib. I. cap. 12. Ἕλληνες ὁμολογοῦσιν ἀπὸ Κάδμου πρῶτον ἓξ καὶ δέκα (γράμματα) παρειληφέναι, ὕστερα μετέπεσσα παραβαινόντων τὴν χρόνων αὐτοὶ ἐξευρηκέναι, ποτὲ μὲν τὰ δασέα, ποτὲ δὲ τὰ διπλᾶ. ἔοικασι δὲ πάντων Παλαμήδει φησὶ τὰ μακρὰ προσεθηκέναι. *Scripſeram autem vobis, quantum repeto, & alia plura, inter quæ noſtros antea, ſicuti & Græcos quoque* XIV *literis uſos: ex quibus fuiſſe vocales apud utroſque: his poſtea quaſdam à Palamede, & alias à Simonide adjectas impleſſe numerum* XXIV. &c. Marius Victorinus apud Scalig. in animadv. ad Euſeb. Chron. ad annum MDCXVII. Ariſtoteles vero decem & octo priſcas literas fuiſſe docet; & duas Θ & P ab Epicarmo, non a Palamede additas.

3 *Palamedis aves*] Hic fertur tempore belli Trojani quatuor literas reperiſſe, Θ, Ξ, X, Φ. Quomodo autem has literas à grnum volatu didicerit; aut quomodo aves referant, me neſcire fateor.

SUNT qui perculsi plus æquo Heliconis amore [25]
Primitias artis carmina [1] sacra putant:
At didicere priùs gentes depingere voces,
Condere quam certis verba coacta modis.
Invenere patres longævi hoc ordine cuncta,
Ut præ aliis essent, quæ utiliora, forent.
Utilius multo est dare vivere verba tabellis,
Carmine Mæonium quam superare senem.
Sin aliquod carmen fuit arte vetustius illa,
Carmina scripta virûm prima fuisse putem:
Nil erat inventis signis quod scriberet Auctor
Ante sacrum carmen, carmina siqua forent.
Carmina semper erant hominum Divûmque volup- [26]
Pectora permulcent, & vetuere mori. (tas,
Carmina divinus conscripsit plurima Moses,
At vatum primus non tamen ille fuit.
Credo equidem sanctos semper, primosque parentes
Carminibus laudes concelebrasse Dei.
PAUCA mihi dicenda manent de literularum [27]
Formis, queis gentes pingere verba solent.
Scribendi ratio Judæis (quos apud alma
Ars primum visa est, (sic monumenta docent,)
Quos apud & scripta antiquissima) dum sua regna,
Et Solymæ starent, omnibus una fuit.
Eversis Solymis, abducta ea gens Babylona [28]
Chaldæis didicit scribere cuncta notis.
Judæo

1 *Carmina*] In subsidium memoriæ reperta sunt carmina: atque adeo quæ scitu dignissima sunt habita, puta deorum cultus, morum præcepta, leges, hominum inventa, & ejusmodi carminib s pueris ediscendis sunt tradita. Καὶ γὰρ ποιητικὴ, τί ἄλλο ἢ φιλοσοφία τῶ μὲν χείνῳ παλαιὰ, τῇ δὲ ἁρμονία ἐμμετρῳ, τῇ δὲ γνώμῃ μυθολογική; Max. Tyr. Dissert. 29.

Judæo reduci (ſi vera eſt fama) propheta
  Ezra dedit [1] ſignis Biblia ſcripta novis.
Interea antiquas Samaritica turba figuras
  Aſſyrii retinet ſub grave miſſa jugum.
Cuncta vetuſtate exſuperant Samaritica ſigna [2];
  Ex his Phœnices, (gens vetus illa fuit
Finitima Hebræis) ſcribendi elementa habuere;
  Phœnices Graiis [3] ſigna dediſſe ferunt;
Graios Romanis [4]; ſcribendi gentibus orbis
  Roma hinc perdomitis illa elementa dedit,
Nunc quibus utuntur gentes quas deſpicit Arctos,
  Aſpiciunt ſolis quæque cadentis equos;
Seu dare Romana quæ ſint victura per ævum,
  Seu propria his lingua condere ſcripta juvet.

Ut

1 *Ezra dedit*] *Certumque eſt Eſdram ſcribam legiſque doctorem poſt captam Hieroſolymam, & inſtaurationem Templi ſub Zorobabel, alias literas reperiſſe, quibus nunc utimur; cum ad illud uſque tempus, iidem Samaritanorum & Hebræorum characteres fuerint,* &c. S. Hieronym. in Præfat. ad libros Regum. *Leander in ſua Roma ſcribit, Bononiæ in templo Divi Dominici aſſervari Biblia in Albo corio ipſa manu Eſdræ ſcripta.* Neand. Geograph. part. I.

2 *Samaritica ſigna*] *Totidem verbis, quot Judæi, ne una quidem minus aut amplius, Pentateuchum legunt* [Samaritani.] *Et quod caput eſt, literis non adulterinis, ut Judæi, ſed meris Moſaicis characteribus, ut planè a Poſtello proditum eſt, & res ipſa loquitur.* Scalig. de Emendat. Tempor. lib. VII.

3 *Phœnices Graiis*] Accepiſſe Græcos literas à Phœnicibus fatentur non tantum Herodotus & Timon Phliaſius, ut jam diximus, ſed etiam Philoſtratus, Critias in Athenæo, Zenodotus apud Laertium, Callimachus, cujus verba ſunt:

Κάδμῳ μὲν γραπταὶ Ἕλλασι ἔγκυρσαν σελίδες

Vide Joſeph. Scalig. in Euſebii Chronicon ad annum MDCXVII. & Bochart. Geograph. Part. III. lib. 9. cap. 20. Quinetiam *primùm mercaturis & mercibus ſuis avaritiam & magnificentiam, & inexplebiles cupiditates omnium rerum importaviſſe in Graciam* auctor eſt Cicero apud Nonium de Repub.

4 *Graios Romanis*] *In Latium illas* [Literas] *attulerunt Pelaſgi.* Plin. N. H. lib. VII. cap. 56.

Ut quamvis variis utantur vocibus, îſdem
Verba tamen ſoleant ſignificare notis.
EN cladi infandæ [1] turrim Babylonis ad altam [29]
Quam noſtrum accepit, (ſentit & uſque) genus,
Literulis tandem poſſit non vana medela
Afferri, (cœptis hiſce favente Deo;)
Scribere ſi unimodis vellet gens quæque figuris,
Quæ rerum ipſarum vivida ſigna forent;
Signa ſcientifica, & referentia nomina rebus,
Quæ primus [2] cunctis indidit ille parens.
Qua ſi non verbis, tamen his communibus uſi
Indicibus poſſent ſenſa aperire ſua.
Monſtravit talem Præſul doctiſſimus [3] artem,
Monſtravit tantùm, mors rapit inde virum.
Quid ſi lingua una Deus ipſe negaverit uti [30]
Gentibus, & vario juſſerit ore loqui?
His ſignis poſſit [4] tamen omnes diſcere linguas
Tempore non longo, qui valet ingenio;
Quamvis is nunquam patrios exceſſerit agros,
Veronenſi illo plus latuitve ſene

FIDIS

1 *En Cladi infandæ*] *Peccati pœna eſt, tot eſſe linguas.* Lud. Viv. de Trad. diſcipl. lib. III.

2 *Quæ primus*] Ad verba illa Gen. II. 19. *Et quicquid Adamus* &c. hæc habet Kircherus; *Fuerunt*, inquit, *illis vera & germana nomina, & rerum naturis proprie accommodata.* Certe Plato in Cratylo ſic ſcribit: Οὐ πάντα δημιουργὸν ὀνομάτων ἦν, ἀλλὰ μόνον ἐκεῖνον τὸν ἀποβλέποντα εἰς τὸ τῇ φύσει ὄνομα ἕν ἑκάστῳ.

3 *Præſul doctiſſimus*] Joan. Wilkins Epiſcopus Ceſtrienſis, cujus inter alia opera ingenio & eruditione conſpicua, extat *de Charactere reali* Liber.

4 *His ſignis poſſit*] Atque hac ratione incommodo illi quæ ex linguarum multitudine venit, occurri poſſit. *Per variam enim hanc in uno ſubjecto peritiam*, inquit clariſſ. Buxtorfius, *plures illæ linguæ in unum quaſi iterum junguntur; & ſic unitas illa amiſſa quaſi recuperatur.* Apud Waltonum in Prolegom.

Fidis certa magis ſunt quæ uſurpantur ocellis,
Quam quæ animum ſubeunt miſſa per auriculas.
Sæpius impoſuere aures mortalibus ægris,
Parciùs imponunt lumina blanda viris.
Quæ videas oculis, quam quæ perceperis aure
Verbis, tu ſemper fide proinde magis.
Dant quoque literulæ non tantum verba videre: [31]
Sed palpare manu, cæcus ut ipſe legat.
Dum ſaxis etenim, rigido inſcribuntur & æri,
Non oculis tantum, ſed legitur digitis.
Vidi oculis captum, qui ductus literularum
Palpando ſcripti ſignificata daret:
Et qui ſentiret ductis per membra figuris
In cute quæ leviter ſcripta fuere ſua.
Vidi qui ſurdus fuerat, (mutuſque proinde
Ex quo forte miſer tempore natus erat,)
Qui ſibi quæſitis quæ in ſcriptis facta fuere,
Reſponſa in ſcriptis redderet apta ſuis.
Pingeret & voces, quas non audiverat unquam,
Ut quis facundum crederet eſſe virum.
Jam reliquos uſus quibus inſervire figuræ [32]
Hæ ſoleant, pubi haud indigitare piget.
Literulæ inſervire ſolent rebus numerandis [1],
Ne voces tantum has ſignificare putes;
Imo utramque ſimul rem præſtant, namque elementa
Et vocem & numerum ſæpe notare ſolent:
Sic, ut eadem opera, calami quoque ductibus îſdem
Tempora ſignentur, factaque in orbe virûm.

His

1 *Rebus numerandis*] De notis in numerando, quæ Romanis in uſu fuerunt videndus Budæus De Aſſe lib. III, ſub initio.

His priſcæ gentes uſæ in numerando fuerunt,
Eſſe hodierna Arabum [1] barbara ſigna ferunt,
Nunc quibus Europæ gentes utuntur, ocellis
Cum rerum numeros ſignificare velint.
Nominibus numerum [2] quæ magnum quemque no-
Credebant veteres omen ineſſe bonum: (tarent, [33]
Quæ parvum è contra, non fortunata putabant
Nomina; ſunt cuncta hæc ſomnia vana ſenum.
Nec vocem ſemper pulchræ ſignâre figuræ; [34]
Quandoque his ſcitè res quoque picta fuit,
Pro more Ægypti, quæ arcanis uſa figuris [3]
Res oculo, haud voces pingere viſa fuit.
Sic picta humanæ Samio diſcrimina vitæ
Una literulâ [4] cuncta fuere ſeni.

C Scri-

1 *Eſſe hodierna Arabum*] *Veteres ſcribendo majuſculis duntaxat*, inquit Pancirollus Tit. XLIV. *utebantur characteribus, ut videre eſt in marmoribus & Numis; in quibus minuſculæ litera reperiuntur nunquam. Sed hæ tamen poſtea celeriùs ſcribendi gratia fuerunt adinventæ. Idem de numeris judicandum eſt: quos illi quidem notis grandioribus ſignabant: verbi cauſa* I. V. X. L. C. *poſtea numeri & characteres novi ſunt reperti, veluti* 1. 5. 10. 50. 100. *quos Arabum linguæ, a quibus eos originem ducere opinor, Algoriſmos appellant.*

2 *Nominibus numerum*] *Credebant*, inquit N. Cauſſinus, *antiqui ſuperſtitioſa fide, tantam eſſe vim in nominibus, ut quæ numeris eminerent, cæteris inferioribus longè præſtantiora fælicioraque eſſent. Quamobrem ducibus ſingulari certamine congredientibus, ex literis numeralibus, quæ in cujuſque nomine reperiebantur omen captabant victoriæ. Hac ratione Hectorem Patroclo; Achilem Hectore ſuperiorem extitiſſe memorant.* De eloquentia ſac. & hum. Lib. IV. cap. 37. Vide, ſi vacat, reliqua ibidem.

3 *Arcanis uſa figuris.*] Nim. Hieroglyphicis, Ἐσήμαινον γὰρ οὐ διὰ λέξεως μόνου, ἀλλὰ καὶ διὰ συμβόλων ἔνιοι τὰς πράξεις. Dion. Thrax. apud Clement. Alex. Strom. Lib. V. Cujus ſcriptionis exemplum dat ibidem Clemens. Vide Ammian. Marcell. Lib. XVII. cap. 7. Tacit. Annal. Lib. IX. Diod. Sicul. Lib. I. & III. Unde de Ægyptiis Lucanus

------ *Saxis tantum volucreſque feræque*
Sculptaque ſervabant magicas animalia linguas.

4 *Una literula*] Y, De qua extat epigramma Virgilio vulgo adſcriptum, quod ſic incipit

Littera Pythagoræ diſcrimine, &c.

Scriptum nil licet [1] ipſe dedit, tamen aurea dicta
Horum ope ſignorum ſecula cuncta legent.
Hic ſapiens quantum ſcriptis profecit Hebræis, [35]
Dictura eſt alio noſtra Thalia loco.
Perlepida his multi condunt anagrammata [2] ſi-
Atque negotio in hoc emicuiſſe ferunt (gnis [36]
Nonnullos veterum; quæ res, me judice, monſtret
Ingenium quamvis, utilitate caret.
Denique (nam parva hæc pubi monſtraſſe juvabit [37]
Ante ego quam Inventi munera ſumma canam,)
Signati his nummi, ſervi [3], pecudeſque fuere,
His ſolitus merces quiſque notare ſuas.
His ſignata fuere olim vexillaque regum,
Et bene promeritis his monumenta viris;
Qualia magnanimi poſuerunt marmora Graii
Vindicibus patriæ, Romaque, Brute, tibi.

Literulis

1 *Scriptum nil licet*] Ὁ θεσπέσιος Πυθαγόρας μηδὲν αὐτὸς ἡμῖν ἴδιον καταλιπὼν τῆς αὐτοῦ ἠξίωσεν. Lucian. libro *De lapſu in ſalutatione.* Πυθαγόρᾳ μὲν ἅδην ὁμολογεῖται συγγράμμα. Joſeph. Antiq. Judaic. Lib. I. & cont. Appion. Lib. I. Diog. Laertius vero eos διαπαίζειν ait, qui à Pythagora nihil conſcriptum eſſe dicunt, atque ipſe initia quædam profert librorum Pythagoræ. Videndi Plinius N. H. Lib. XIV. cap. 17. & Proclus in Timæum Platonis. Lib. III.

2 *Anagrammata*] Commemorat antiqua aliquot anagrammata Euſtathius in Iliad. & Junonem aerem ſignificare probat ex anagrammatiſmo, Ὅτι ὃ ἥρα ὁ ἀὴρ ἁλᾶται φασι· καὶ ἐκ τοῦ ἀναγραμματισμοῦ. ἐξ οὗ γὰρ ἥρα γραμμάτων, ἐκ τούτων καλεῖται καὶ ὁ ἀήρ. Vide Nic. Cauſſin. de eloq. Lib. IV. cap. 38. Quin & D. Chryſoſtamus ex nomine Ἰησοῦς hoc anagramma non infeliciter elicit, Σὺ ἡ ὕϊς. Hom. ιζ'.

3 *Servi*] Tradit Diog. Laertius Bionem Antigoni ſciſcitanti Τίς; πόθεν εἶς ἀνδρῶν, πόθι τοι πόλις, ἠδὲ τοκῆες; Reſpondiſſe, Ἐμοὶ ὁ πατὴρ μὲν ἦν ἀπελεύθερος· πρὶν ἀγ-

κανι

Literulis cognata (notas [1] vocitâre Latini,) [38]
Sunt ſigna, haud muſæ prætereunda meæ.
(Quippe hoc inventum, O vatum præclare Patrone,
Maxime Mecænas [2], dicitur eſſe tuum,)
Cum duo captantur, vel ſæpe vocabula plura,
Exiguo puncto, lineolave brevi.
Vidi ego ſcribenti quando ſententia plena,
Quando oratio apex, aut notula una foret.
Sic volitare manum [3], ut non hac velocior eſſet
Lingua perorantis, curreret ipſa licet.
Ilias his ingens, & facta audacis Ulyſſei [39]
Una concludi ſic potuere nuce [4].

κῶνι ἀπομυσόμενος (διεδήλως ὃ τὸν ταειχέμπορον) γένος Βορυσθενίτης; ἔχων ὁ πρόσωπον, ἀλλὰ συγχεχυμένον ἐπὶ τῷ προσώπῳ, τῆς δεσπότου πιστείας σύμβολον. Lib. IV.

1 *Notas*] Has *cifras*, item *furtivas literas*, & *furtiva ſcripta* antiquis vocari ſolita teſtatur Marcus Donatus. Qui his uteretur, διὰ σημείων ſcribere dicebatur. *Et quod ad te de decem legatis ſcripſi, parum intellexti credo, quia διὰ σημείων ſcripſeram.* Cic. ad Attic. Epiſt. XIII.

2 *Mecænas*] Id tradit Dion Nicæus in hiſtoria Auguſti, eamque artem complures per Aquilam libertum docuiſſe. At Euſebius hujus rei inventum Tyroni Tullio Ciceronis Liberto tribuit. Vide Mabill. de Re Diplomat. ubi hujuſmodi notæ exhibentur.

3 *Sic volitare manum*] Catonis Uticenſis orationem exceptam fuiſſe omnem ſignis quibuſdam quæ dictiones referrent auctor eſt Plutarchus in vita. *Quid verborum notas, quibus quævis excipitur citata oratio, & celeritas manus linguæ ſequitur.* Senec.

Ille ſcriptor erit felix, cui litera verbum eſt,
Quique notis linguam ſuperet, curſumque loquentis,
Excipiet longas nova per compendia voces,

Manil. Aſtrom. Lib. IV. cap. 4. Extat etiam in hanc artem Martialis epigramma:

Currant verba licet, tamen eſt velocior illis:
Nondum lingua ſuum, dextra peregit opus.

4 *Nuce*] *Cicero tradit Iliada Homeri ita ſubtiliter in membrana deſcriptam, ut teſta nucis clauderetur.* Solin. Polyhiſt. cap. VI. ex Plinio.

Eſſe notas alias doctis Criticaſque vocari,
Grammatici puerum me docuere boni:
Qualia Sigma inverſum, obeluſque, dipleque fue-
Laudare his ſoliti vel reprobare notis (runt;
Sunt veteres, quoties legerent monumenta virorum;
Nec vacua his obelis ſcripta Platonis erant.
Signa hæc ſi extarent nobis authentica, libris
Doctâque appoſita, ut ſæpe fuere, manu:
Conſtaret quænam veterum ſententia multis
De rebus fuerit, dogmatibuſque virûm,
NON uno in ſcribendo uſæ ſunt ordine gentes; [40]
Eois etenim mos vetus ille fuit,
A dextra incipere [1]; at nobis contrarius ordo eſt,
A læva ad dextram ducere ſigna placet.
Mos erat & Graiis in cera hoc ordine ferrum
Ducere, quo agricolæ litora bobus arant [2]:
Non attollebant dextram, ſed meta prioris
Principium verſus poſterioris erat.
Incepere Indi à ſummo [3], calamumque deorſum
Ducebant rectà, quod ſua ſcripta probant.
Sic ego carminibus vocitant quæ Acroſtica Graii
Ad latus hoc vidi nomina ſcripta modo.

Quid

1 *A dextra incipere*] Hoc ſcribendi modo non Hebræi tantum & Orientales populi uſi ſunt, ſed etiam Ægyptii teſte Herodoto, Lib. II. Pomponius Mela ait *eos literis uti perverſè*. Lib. I. cap. 9.

2 *Quo agricola bobus arant.*] Ideo hunc ſcribendi modum Βουστροφηδὸν dixerunt veteres. Hujus meminit Pauſanias Eliacorum priori. Hoc etiam modo ſcriptas fuiſſe Solonis leges auctor eſt Euphorion apud Didymum, & ex eo Suidas.

3 *Incipere Indi à ſummo*] Id teſtatur Diod. Sicul. Lib. II. prope finem, qui de Inſulæ Taprobanæ incolis ſic ſcribit: Γράφουσι τοὺς στίχους ἐκ τῆς τὸ πλάγιον ἐκτείνοντες, ὥσπερ ἡμεῖς, ἀλλ' ἄνωθεν κάτω καταγράφοντες εἰς ὀρθόν.

Quid plura? his olim multùm diverſa placebant,
Quæ me Grammaticis linquere Apollo jubet:
Quorum eſt & quæ ſit cognatio, quæque poteſtas
Ordo & quis ſignis, dicere quotque ſimul
Omnis gens elementis utitur, & bene multa,
Quæ præſcripta manent, quæque juventa terit.
Pieriis intacta modis cano munera, donec
Majori ingenio, qui canet, alter erit.
Forte aliis anſam labor inclyta ſigna canendi
Carmine victuro præbeat ille meus.
SUNT veteres vario inſtrumento, materiaque [41]
In varia ſoliti pingere verba ſua.
Principio ſeclis rerum monumenta futuris
Scripſere in ſaxis [1], rupibus & rigidis.
Hinc aſſueverunt in plumbo [2] ſcribere cœlo,
In ferro, argento, marmore, & ære rudi [3].

1 *In ſaxis*] *Antiquiſſima monumenta memoriæ ſaxis impreſſa cernuntur.* Tacitus. In his primùm ſcriptitatum eſt: in lapidea enim columna ſcripſiſſe filios Seth tradit Joſephus Antiq. Lib. I. in tabulis item lapideis ſcripſit Deus Decalogum Exod. XXXI. 18. quas quidem tabulas Salvianus *Rupices paginas* eleganter vocat. De Danis veteribus ſic ſcribit Saxo Grammaticus in Præf. ad hiſt. Danicam. *In ſaxis*, inquit, *ac rupibus voluminum loco, vaſtas moles amplectebantur, codicum uſum à cautibus mutuantes.*

2 *Hinc aſſueverunt in plumbo*) Vide Plin. H. N. Lib. XIII. cap. 11. Hunc morem ſcribendi in plumbo reſpexiſſe videtur Job. cap. XIX. 23,24. *Quis mihi tribuet, ut ſcribantur ſermones mei? quis mihi det, ut exarentur in libro, ſtylo ferreo, & plumbi lamina, vel certe ſculpantur in ſilice?* Heſiodi carmen adhuc ſuo tempore in plumbeis tabulis in Muſarum templo (cujus Sacerdos Heſiodus fuit) aſſervatum fuiſſe ſcribit Pauſanias. Libros etiam plumbo conſcriptos in antiquis ſepulchris juxta Neapolin repertos teſtatur Geor. Fabricius, & ex eo Franc. Valeſius.

3 *Et ære rudi*] Livius Dec. I. Lib. 2. ait, *Fœdus ictum cum Latinis, fuiſſe in ſculptum in ænea columna.* Vide 1. Macchab. capp. VIII. & XIV.

Palmarum in foliis [1], malviſque patentibus, inde
Arborum & in teneris ſcripta dedere libris [2].
Raro in utraque [3] quidem facie ſcripſere librorum,
Materia his libris quod foret ipſa bibax.
At ſcriptum in tergo librum ſi quis daret, ejus [42]
Dictus Opiſthographus rite libellus erat.
Muſa Palimpſeſti mittit mea dicere priſcis
Uſus quis fuerit, dum brevis eſſe ſtudet.
Cuſtos ævi omnis fuit olim carbaſus alba,
Linteolis [4] rerum famaque ſæpe ſtetit.
Mos erat & priſcis niveas formare tabellas
Ex ebore, inque illis Acta referre virûm.

Poſtea

1 *Palmarum in foliis*] *In palmarum foliis primo ſcriptitatum, deinde quarundam arborum libris, poſtea publica monumenta plumbeis voluminibus, mox & privata linteis conſici cœpta aut cereis.* Plin. H. N. Lib. XIII. cap. 11. Alii pro *palmarum* legunt *malvarum*. Vide Guilandinum de Papyro. Oracula ſua Sibyllæ foliis inſcribebant: hinc Virgilius Æneid. Lib. VI. *Foliis tantum ne carmina manda.* Et Juven. Sat. VIII. *Credite me vobis folium recitare Sibyllæ.*

2 *Libris*] *Liber eſt interior tunica corticis quæ ligno cohæret, in qua antiqui ſcribebant.* Iſidor. Orig. Lib. VI. *Eſt medium quoddam inter lignum & corticem.* Idem Lib. XVII. *Libri arborum teneri, haud ſecus quam cera, literarum notas accipiunt,* ait Curtius Lib. VIII.

------ *Huc aliena ex arbore germen*
Includunt, udoque docent moleſcere libro.

Virg. Geor. Lib. II. Id eſt, ait Nonius Marcel. cap. 6. *cortice madido.*

3 *Raro in utraque*] *Spectantur,* inquit Plinius, *in chartis tenuitas, denſitas, candor, lævor. Primatum mutavit Claudius Cæſar: nimia quippe Auguſtæ* [chartæ ſic dictæ] *tenuitas non ſufficiebat calamis. Ad hoc tranſmittens literas, liturâ metum afferebat adverſis, & alias indecoro viſu pertranſlucida.* H. N. Lib. XIII. cap. 12.

4 *Linteolis*] *Licinio libros haud dubiè ſequi linteos placet.* Liv. Dec. I. Lib. IV. *Et ſi his contentus non fueris, lectites Græcos, libros etiam linteos requiras, quos Ulpia tibi bibliotheca, cum volueris, miniſtrabit.* Vopiſcus in Aureliano. Libros Sibyllinos non in chartaceis voluminibus, ſed linteis deſcriptos fuiſſe teſtatur Q. Symmachus Epiſt. Lib. IV. ep. 34.

Posthæc sunt tabulæ ex buxo [1], fragilique cupresso
Factæ, in queis visum condere scripta fuit.
Has pugillares [2] veteres dixere tabellas, [43]
Et cera tectas fama fuisse refert.
In cera scripsere stylo [3], nempe ejus acuta
Parte, alia soliti scripta abolere sua.
Inde in pelliculis glabris scripsere ferarum;
(Membranarum olim nomine clara fuit
Pergamus urbs Asiæ, forsan quia copia magna,
Illarumque frequens usus in urbe foret.
Pergami item (sic fama refert) pulcherrima quondam,
Urbi grande decus, Bibliotheca [4] fuit.)
Et quia membranas gentes volvendo plicarent, [44]
Inde liber dictus forte volumen erat.
Distincta areolis veterum, variisque columnis,
Tecta auro & gemmis scripta fuisse ferunt.
Vidi purpureo decorata volumina succo,
Et contra cariem multa linita cedro.

1 *Buxo*] *Scribe ei super buxum* (ἐπὶ πυξίς *Sept.*) *& in libro diligenter exara illud.* Isai. XXX. 8.

Non illas fixum charas effecerat aurum,
Vulgari buxo sordida cera fuit.

Propertius:

------ *Leges incidere ligno*

Horat. de arte. *Ante chartæ & membranarum usum in dolatis ex ligno codicillis epistolarum colloquia scribebantur, unde & portatores earum Tabellarios vocaverunt.* Isidor. Lib. VII. Orig. ex S. Hieronymi Epist. 42. Idem tradit Festus. Ejusmodi tabellam afferri sibi jussit Zacharias Luc. I. 63.

2 *Pugillares*] *Pugillarium usum*, ait Plinius H. N. Lib. XIII. cap. 11. *fuisse etiam ante Trojana tempora invenimus apud Homerum.* Locus est ιλ. ζ. supra citatus.

3 *Stylo*] Vide Isidor. Lib. XIX. cap. 9.

4 *Bibliotheca*] *Reges Attalici magnis philologiæ dulcedinibus inducti eum egregiam bibliothecam Pergami, ad communem delectationem instituissent, tunc item Ptolemæus infinito zelo, cupiditatisque incitatus studio,*

Alma dedit mollem Memphitica terra papyrum [1], [45]
Atque dedit calamos munera clara viris:
Inde ex Niliaca confecta eſt charta papyro,
Sed mihi præ veterum, charta hodierna [2] placet.
Scribimus in chartis poſſint quæ ætate metalla,
Et candore ipſas vel ſuperare nives.
Quæ fragilis quondam, nodoſaque fecit arundo,
Exequitur meliùs munera pluma levis;
Pluma levis, cecidit quæ forte ex anſeris ala,
Et quæ res uſus nullius ante fuit,
Evaſit tandem cygnis vocalior ipſis,
Æternos pleno fundit & ore ſonos:

Dignior

ſtudio, non minoribus induſtriis ad eundem modum contenderat Alexandria comparare &c. Vitruvius in Præfat. ad Lib. VII. de Architect. Idem tradit Galenus commentario in librum Hippocratis de natura humana. Is Ptolemæus eſt qui ſacram V. T. ſcripturam in linguam Græcam opera LXXII. Seniorum verti curavit: de qua quidem re videndus Ariſtæas in Hiſtoria LXXII. interpretum, Joſephus Antiq. Lib. XII. cap. 2. Philo in vita Moſis, & Euſeb. Præp. Evang. Lib. VIII. capp. 1. 2. & ſeq. Æmulationis regum Eumenis & Ptolemæi in inſtruendis bibliothecis meminit plinius H. N. Lib. XIII. cap. 11. quem vide, & in eum Dalecampio notata. Athenis bibliothecam publicam primus erexiſſe dicitur Piſiſtratus tyrannus: ejus meminit Herodotus in Terpſichore. Vide Gell. Lib. VI. cap. ult.

1 *Papyrum*] *Papyri natura dicetur; cum chartæ uſu maxime humanitas vitæ conſtet & memoria*, ait Plin. H. N. Lib. XIII. cap. 11. Papyrum naſci in paluſtribus Ægypti quieſcentibus Nili aquis ubi evagatæ ſtagnant: item in Syria, & circa Babylonem idem teſtatur (Vide Iſai. XIX. 7.) Quod vero ex Varrone papyrum non ante Alexandri tempora, & conditam in Ægypto Alexandriam repertam ſcribit, in eo fallitur; ſi modo cum Varrone ſentiat: proximo enim capite Varronis ſententiam falſam eſſe comprobat, repertis Numæ libris ex charta confectis multis annis antequam Alexander natus eſſet. *Præterea*, inquit Plinius ibidem, *Mutianus ter Conſul prodidit, nuper ſe legiſſe, cum præſideret Lyciæ, Sarpedonis à Troja ſcriptam in quondam templo epiſtolæ chartam.*

2 *Charta hodierna*] Quam inter *monodica artis* recenſet Clariſſ. Verulamius, *adeo ut*, inquit, *inter materias artificiales vix inveniatur ſimile.*

Dignior hinc inter niteat quæ ſidera cœli
Quam ſunt monſtra diu quæ tenuere polum,
Scribitur in gemmis [1], claroque in vitro adamante,
Qualibet in re nos ſcribere cogit amor.
Sæpius in viridi (ſic fama eſt) cortice fagi
Scripſiſti dominæ nomen, Amynta, tuæ.
Nunc multi offenſas [2] ſculpunt in marmore duro,
Pulvere dum ſcribunt, aut benefacta in aqua.
Scribere literulis vivis, viviſque tabellis
Conceſſum eſt ſuperis omnipotente manu:
Hiſce renaſcentes Phœbum ſcripſiſſe querelas
Triſtia teſtantur fata, Hyacinthe, tua.
In cute defuncti vatis [3], (cui patria Creta [46]
Clara fuit,) quædam ſcripta fuiſſe ferunt;
Atque ferunt ſervaſſe diu Lacedæmona [4] ſacram
Pelliculam, & tantum non coluiſſe viri.
Rerum fata canunt cunctarum adamante poetæ
Inſcribi ferro non revocanda Jovi:
Aſt ego pro libitu fingentibus omnia planè
Vatibus his dandam non reor eſſe fidem.

Pelli-

1 *Scribitur in gemmis*] Quod factum à Moſe legimus Exod. XXVIII. 10.

2 *Nunc multi offenſas*] Ætas hæc noſtra infælicem illam refert, de qua ſic conqueritur Plautus,

Ita ſunt omnes noſtri cives; ſi quid bene
Facias, levior pluma gratia eſt:
Si quid peccatum eſt, plumbeas iras gerunt.

3 *Vatis*] Epimenidis; hujus poſt mortem pellis literata inventa eſt: Τελευτήσαντος δὲ αὐτοῦ τὸ δέρμα εὑρεθὲν γεγραμμάσι κατάστικτον, ait Suidas.

4 *Servaſſe diu Lacedæmona*] Ἐπιμενίδειον δέρμα. ἐπὶ τῶν ἀποδέτων· κατέκειτο γὰρ φασὶ τῇ Λακεδαίμονι τοῦτο. Diogenian. Cent. VIII. Prov. 28.

Pelliculæ capræ [1] (quæ Diphthera [2] dicta ſit) idem [47]
Inſcripſiſſe Deum cuncta futura canunt.
MATERIAS liquidas quibus olim ſcribere gentes
Sunt ſolitæ, muſæ eſt cura referre meæ.
Uſibus his aptam præbebat ſepia lympham, [48]
Sepia carminibus percelebrata virûm
Scripſerunt minio [3] reges decreta potentes,
Scriptaque purpureis jura dedere notis.
Vidi cinnabari, tituloſque ſinopide pictos,
Libris nempe notæ qui melioris erant.
Verum atramento [4] tali in ſcribendo vetuſtas
Paſſim quali nos utimur, uſa fuit.
Fulgebant auro majora elementa libellis,
Argentoque (artem quam periiſſe dolet,)
Quæ cum cæruleis eſſent permixta figuris,
Lumina deliciis detinuere ſuis.
Scripta fuiſſe ferunt jura illa ſevera Draconis [5] [49]
Sanguine; crediderim, non quia ſcripta forent
Illa cruore virûm, ſed quod prope crimen ob omne [6]
Sanguine perfuſo pœna luenda foret.
Sæpius & ſurdis, ſi res non aptior eſſet
Sunt viſi in menſa pingere verba mero.

Aut,

1 *Pellicula capræ*] Amaltheæ nimirum, ut fabulantur poetæ.

2 *Diphthera*] Inde natum proverbium, Ἀρχαιότερα διφθέρας λαλῶ.

3 *Minio*] De minio, itemque de Cinnabari vide Caneparii Deſcript. IV. cap. 17.

4 *Atramento*] Lege eundem Canepar. deſcript. IV. cap. 3.

5 *Draconis*] Δράκων ὅ, ὁ καὶ αὐτὸς νομοθέτης περὶ τῶν τειακοσιομεδίμνων καὶ ἐνάτων Ὀλυμπιάδα γεγονὼς ἐνείσκεται. Suidas. Hic leges ante Solonem Athenienſibus tulit. de eo vide Gell. Noct. Attic. Lib. XI. cap. 18.

6 *Sed quod prope crimen ob omne*] Ob quam cauſam Demades dicere ſolebat, *Draconem non atramento, ſed ſanguine leges ſcripſiſſe.*

Aut, (pudor eſt dixiſſe) nigro carbone notare,
Si qua alio haud eſſent his relegenda modo.
Quinetiam in fluido quas pinges aëre voces,
Aut nuda in tabula lumina docta legent.
SUNT motis digitis animi qui ſenſa recludunt, [50]
Et ſuper articulos, quæ loquerentur, habent:
Imperfectè edant tales ſua ſenſa neceſſe eſt;
Sed nec ad abſentes hac datur arte loqui:
Quæ mutis ſolis, & qui ſua prodere ſenſa
Non nôrunt ſcriptis, utilis eſſe poteſt.
Si quis verba oculis, nulla mediante figura
Det ſuper articulos percipienda ſuos;
Neve ut mutorum mos eſt, pauca edat inepta
Rerum ſigna rudi, ridiculoque modo;
Rem, me judice, præſtat & utilem & ingenioſam:
Manſuram at vocem litera ſola dabit.
Quæ ſunt ſcripta libris quæ conſignata tabellis,
Præſens ævum, omnis poſteritaſque legent.
Doctus Ariſtippus [1] Rhodiis projectus in oris
Signa methematica in litore ducta videt;
Tunc ille ad ſocios: *Hominum veſtigia cerno:*
Ergo animo nobis jam licet eſſe bono.
Literulas ubicunque vides, veſtigia crede
Te reperiſſe hominum, ſunt ea ſigna animi
Majora his cunctis; nullum eſt problema daturum,
Unum quod bellè ſcriptum epigramma dabit.

DE

1 *Doctus Ariſtippus*] *Ariſtippus Philoſophus Socraticus, naufragio cum ejectus ad Rhodienſium litus animadvertiſſet Geometrica ſchemata deſcripta, exclamaviſſe ad comites ita dicitur: Bene ſperemus, hominum enim veſtigia video.* Vitruvius in Præfatione ad Lib. VI. de Architectura.

DE LITERIS INVENTIS.

LIBER SECUNDUS.

ARTIS mirificæ poſtquam primordia luſit
Verſibus in comptis ruſtica muſa mea,
(Nam ſalebroſa nimis res ornamenta negabat,)
Currant dehinc numeri liberiore pede:
Accipe jam tandem, Comes inclyte, fronte ſerena
Commoda quanta viris litera ſcripta tulit;
Nec pigeat præbere aures ſacra ſigna canenti,
Signa tui ſimiles quæ vetuere mori.
ABSENTES [1] his ceu præſens compellat amicos [1]
Quiſque ſuos, blandè deque ſalute rogat:
Vota, preces, ſtudia, his mittit luſuſque jocoſque,
His aperit curas, imminuitque ſuas.
Gaudia ſcribendo veteri impertitque ſodali,
Gaudia ſcribendo multiplicatque ſua.
Dat veniam, rogitatque, hortatur, conſulit, ornat;
Quoſque videre nequit, ſæpe valere jubet.

Vox

1 *Abſentes*] *Amicorum abſentium colloquia epiſtolæ.* Cic. II. Philip. Εἶναι γὰρ τῶν ἀπόντων οἷον τὸ ἕτερον μέρος τὰ διαλόγε, ait Artemo apud Demetr. Phal. περὶ ἑρμ. Scilicet *Dum peragunt linguæ charta manuſque vices.*

Vox una his fragilis gentes pervadit ad omnes,
Illius auditur toto & in orbe ſonus.
Quamvis quis poſſet vel Stentora [1] vincere voce,
Haud tamen illius vox capienda foret,
Ut tua ſcribentis, poſitus cum Gadibus ipſe
Voce etiam Thulen des reſonare tua.
His miſcent voces terra pelagoque remoti [2],
Et poſſunt muto verba ferenda dari.
Quin mandata (fides ſi famæ eſt) ocyor Euro [2]
Pertulit his domini ſæpe columba ſui:
Mercurio ſimilis, non ocyor illa Tonantis
Juſſa tulit, domini quam tulit illa ſui.
Sæpius alata internuncia profuit illis,
Qui ſibi divitias accumulare ſtudent:
Nam curſu ante volans famam, dum nunciat hujus
Naufragio amiſſas, illius auget opes.
Vidit, & hæc ſtupuit miracula, quiſquis Eoo
Ad noſtras oras hoſpes ab orbe venit.
Pectoris his arcana recludit amicus amico, [3]
Siquando expediat ſolus ut ille ſciat.
His affari oculos liceat, cum non licet aures,
Et tacitè mentis prodere ſenſa tuæ.
Et quem grande nefas eſſet vidiſſe ſodalem,
Huic tutò ſcribas, eripiaſque metu.

His

1 *Stentora*] Stentor, ſi Homero fides, is erat, qui quinquaginta hominum voces Superaret. Il. ε.

Τὴνθα ϛᾶσ᾽ ἤϋσε θεὰ λεύκωλενος Ἥρη
Στέντορι ϖδάμῳ μεγαλήτορι χαλκεοφώνῳ
Ὅ τόσον ἀνδήσασχ᾽, ὅσον ἄλλοι πεντήκοντα.

2 *Terra pelagoque remoti*] Καὶ γὰρ ἢ μάλα ϖολλὰ μεταξὺ
Οὐρεά τε σκιόεντα, θάλασσά τε ἠχήεσσα. Hom. Il. α.

His patuere fores, ubi rimula forte pateret
Nulla tibi, ſociis rimula nulla tuis.
Cuſtodem rident, ut ſit vigilantior Argo,
Atque intrant luci qua licet ire modo.
Sic mentem poſſis ſignorum munere amico
A te disjuncto ſignificare tuam,
Ut nec latrones, ſed nec commercia blanda
Oceani metuas quæ remorentur aquas.
Sume tibi tabulam, ducantur in orbe figuræ, [4]
In medio poſitus ſtet tremuluſque ſtylus,
Quem tetigit Magnes, (lapis eſt qui mobile ferrum
Ducit, & Arctoi replet amore poli:)
Altera jam diſceſſuro tradatur amico
Par tabula, & magico culta ſit illa ſtylo.
Spectandi tabulas ſtatuatur & hora diei,
Horaque conveniens una duobus erit.
Ille ubi diſceſſit, peregrinaque littora venit,
Ipſumque affandi tempus adeſſe ſcies;
Verte ſtylum digitis, elementaque cuſpide tange,
Quæ velles animi ſenſa referre tui.
(Magnetis vis tanta ſtylum tangentis utrumque,
Unum ſi moveas, (ſic vaga fama refert,)
Nemine, mira fides! tangente movebitur alter,
Sit Romæ hic quamvis, alter in orbe novo:)
Dicta hora ad tabulam gaudens accedet amicus,
Quæret ſollicitus quid ferat illa novi.
Jam trepidare ſtylum, non abſque horrore, videbit;
Et planè certas indigitare notas:
Ex quibus & voces quas ipſum ſcire volebas,
Is velut in tabulis omnia ſcripta leget.
Qui ſimili ratione tibi reſponſa recludet,
Et quæcunque volet verba legenda dabit.

SUNT

SUNT qui literulis mutatis [1], tranſpoſitiſque, [5]
Sæpeque pro libitu ſignificare datis,
Sic ſua ſoli uni mittunt arcana legenda,
Oedipodem ut vincat qui reſerata dabit.
Quid juvat innumeras ſcribendo oſtendere formas,
Queis uſos veteres fama fuiſſe refert,
Senſa animi quoties occultè ſignificarent;
Et ſociis ſolis ſcripta legenda darent.
Sunt arcana ſua [2] in mittendo mille figuris
Viſi olim veteres ludere, mille modis.
Cogebant ſervos pro charta conſcia terga
Præbere, in lacera ſignaque ferre cute,
Non ea inuſta modo, quæ vili in fronte gerebant,
(Indicium ſortis, nequitiæve ſuæ,)
Sed queis nota ſuis Domini prodeſſe voluntas,
Poſſet in adverſis ferreque rebus opem.
Commiſere alii candenti arcana papyro,
Scripta liquore quidem cui color eſſet aquæ:
Hinc oculos hominum facilè ſic ſcripta latebant,
Et nihil in charta, quod legeretur, erat:
Charta igni admota, apparebat litera ſcripta,
Nigraque facta ſtatim quæ prius alba fuit.

In

1 *Literulis mutatis*) Ejuſmodi occultè ſcribendi artem primus excogitâſſe videtur C. Jul. Cæſar: de quo Suetonius in vita; *Extant*, inquit, *& ad Ciceronem, item ad familiares domeſticis de rebus: in quibus ſiqua occultiùs perferenda erant, per notas ſcripſit, id eſt, ſic ſtructo literarum ordine, ut nullum verbum effici poſſet: quæ ſi quis inveſtigare & perſequi vellet, quartam elementorum literam, id eſt,* d *pro* a, *& perinde reliquas commutet.*

2 *Sunt arcana ſua*) De variis modis quibus veteres uſi ſunt, cum animi ſenſa ſociis ſuis occulte ſignificarent; & quid ſcytale Laconica eſſet, legendi A. Gellius Noct. Attic. Lib. XVII. cap. 9. Jo. Bapt. Porta Lib. II. de mirabilibus naturæ cap. 17. Caneparius de Atramento Deſcript. IV. cap. 2. D. Verulamius De Augment. Scient. & Jacob. de Sylveſtris Florentinus de Cryptographia.

In pomis alii ſecreta ferenda dedere,
In leporum, fædis viſceribuſque canum.
In ſcytale, (ſcripti genus id vocitare Lacones, [6]
Quo ſoliti in bello mittere juſſa duci:)
Utilis in primis ars tectè ſignificandi
Senſa animi ducibus, principibuſque fuit;
Ut bene rem gererent, mandataque mittere poſſent,
Hoſtibus haudquaquam percipienda ſuis.
Obſeſſis miſeris ars ſæpe hæc profuit una,
Adjecitque animos ingenioſa viris:
Sæpe eadem multis, retegi dum contigit illa
Quæ ſic ſcripta forent, pernicioſa fuit.
Arte proinde illa careat benè, quiſquis aperto
Voto, & privata vivere ſorte cupit.
Si fueris exul, nequeaſque videre parentes,
Conſortemve tori, aut pignora chara tua;
Præſenti auxilio venient tibi myſtica ſigna;
Ibunt, quò domino non licet ire ſuo.
A te perveniet perſcriptaque epiſtola blandè,
(Gratior Aoniis ſi ſit arata modis,)
Qua cupientes ut valeas reſcire, docebis;
Et quid agas, & quæ ſpeſque metuſque tibi.
Quam optes ut valeant, illos cupiaſque videre;
Jam minima factus vivere parte tui.
Sic elegis flebis, ſortem miſerentur ut omnes,
(Neſcio cur, res eſt ingenioſa dolor,)
Forſan amicorum turbæ dabis illa legenda,
Quæque tui abſentis pignus amoris erunt;
Quæ multumque juvent, quæ delectentque legentes,
Et faciant nunquam non meminiſſe tui.
Sæpius à ſocio tibi litera ſcripta fideli,
Per mare, per terras nuncia grata feret.

Et

Et tibi mente aderit, cui corpore adeſſe negatur,
Alloquio ut poſſit te recreare ſuo.
Sæpe a filiolis, à conjuge amante levamen
Litera perveniens grande doloris erit.
SI fama incerta accipiet de te quid amicus,
Hic poſſit ſcripto certior eſſe tuo,
Vera ne ſint quæ fama refert, nam vivere ſæpe
Quem fama occidit, litera ſcripta probat.
QUIN & amicitiam (famæ ſi creditur) olim
Munere ſcribendi multi iniere ſacram:
Cumque forent nunquam noti ſibi mutuò ab ore,
(Ut quos non una urbs, terra nec una tulit,)
Hos communis amor ſtudiorum ſæpe bonorum
Literulis ſcriptis jungere viſus erat.
Quamvis diverſum ſentirent, hoc tamen ipſum
Fecerunt ſalva ſemper amicitia.
Scilicet ingenuæ ſemper virtutis amore
Ducuntur mentes, hæc ubicunque ſita eſt.
OMNIS amans ſcriptis teſtari certat amorem,
Et fit amandi abſens doctus in arte magis:
Quæ non ſuſtinuit coram depromere verba,
Audax jam factus ſcribere non metuit.
Sæpe ab amante (& ineſt furor ille immanis amori,)
Litera pervenit ſanguine ſcripta ſuo.
O utinam nunquam didiciſſet ſcribere, ſignis
Utetur ſacris tam malè quiſquis amans!
Nec mea damnandam diramque ſuperſtitionem
Muſa canet, (gravis hic artis abuſus erat,)
Scilicet his quando poſitis certo ordine ſignis,
Collo & ſuſpenſis, aut miſeri manibus,
Uſi ſunt ad amores, & ſcelera ipſa nefanda, [7]
(Seu incantamenta hæc, ſive amuleta voces,)

Ad morbos, & dæmonas, & mala cuncta fuganda;
Haud nugas tales pagina noſtra feret:
Artis laudandos uſus mihi pandere mens eſt,
Commoda quanta viris ſigna dedere canam.
His ſua Rex juſtus mittit mandata per urbes,
Nec meliùs populo fit deus ille ſuo.
Si fortuna vetat magnos audire loquentes
Reges, (quos inopi vix adiiſſe datur.)
Attamen his ſignis dignantur numina regum
Officiis jungi, colloquioque tibi:
Condent victrices tibi ſcripta legendaque dextræ,
Utentur ſolitæ ſceptra vibrare ſtylo.
Securus regum penetres arcana libellis,
Summorum interſis conſiliiſque ducum,
Quos præſens ætas, & quos tulit alma vetuſtas;
(In libris etenim ſecula cuncta patent,)
Inſpicere his poſſis tu pectoraque ipſa potentum,
Ut metuant, miſeri ſint ſimul inter opes.
Quin tu, ſi ſapias privatæ munera vitæ
Laudabis, ſupra hos tuque beatus eris.
Indicia his animi grati præclara dedere
Permulti, haud aliter qui potuere dare.
Æternas retulit grates nam ſic tibi Flaccus,
Mecænas, celebrat dum benefacta tua:
Majores grates retulit tibi carmine, Cæſar,
Quam ſi pyramides ſtruxerat ille tibi.
Si tu fædifragi fugis ora videre tyranni,
Aut coram metuas hunc monuiſſe miſer;
(Qualis erat quondam Siculus Dionyſius, & nunc
Qualis is eſt, ſub quo Gallia tota gemit,)
Literulis metus omnis abeſt, adiiſſe tyrannos
Gaudent, & mores increpuiſſe malos.

Siquid

Siquid ab injuſtis paſſa eſt plebecula, reges
Scriptis admoniti ſæpe fuere bonis:
Pauperis & quando regi perferre querelam
Nemo eſt dignatus, litera ſcripta tulit:
Principis hæc genibus ſeſe ſine teſte volutans
Facunda eſt domini facta patrona ſui.
Abſens ſcribendo placavit ſæpe potentes,
Irritaturus quos adeundo fuit:
Et quem non lachrymæ veniam obtinuere preceſque,
Promeruit doctâ litera ſcripta manu.
Infelix Naſo ſcriptis quoque Cæſaris iram
Leniſſet, (ſcriptis quæ fera corda dooment,)
Conſcius Auguſti ſceleris [1] niſi Naſo fuiſſet, [8]
Namque aliquid vidit, quod ſibi crimen erat.
Multum peccavit, turpes dum ſuaſit amores,
At conſtat culpæ pœnituiſſe ſuæ:
Et quam non potuit nanciſci à principe vates,
Hanc veniam à cuncta poſteritate tulit.
SUNT veluti teſtes quoque ſcripta fidelia rebus,
Summam in judiciis hæc meruere fidem:
Sæpius inſontes defendere viſa fuerunt,
Dum peterent jugula, ut tela tremenda, reis.
Crimine ſi falſo tuus inſimuletur amicus,
Atque tuo indigeat fortè patrocinio,
Hunc tu ſi nequeas viva defendere voce,
Scribendo poſſis abſoluiſſe reum:
Fortunam, famam, vitamque hac arte videre
Me memini dominis ſalva manere ſuis.
Scripta diremerunt litem, quæ forſan ab ipſis
Cauſidicis finem non habitura fuit.

1 *Conſcius Auguſti ſceleris.*] Id ipſe innuiſſe videtur his verbis, *Cur aliquid vidi, cur conſcia lumina feci?*

Quinetiam mutus, quæ viderit, audieritve, [9]
Si valet in tabulis pingere, teſtis erit:
Diluet innocuis impactaque crimina; muto
Teſte reus pœnas promeritaſque dabit.
Sæpe in judiciis habita eſt fidiſſima teſtis
Vita jam functi litera ſcripta manu.
Mutentur quamvis homines cum tempore, ſcripta
Non ita mutantur, ſed ſine fine manent:
Illa fides ſcripto ſæpe eſt adjecta fideli,
Quæ ſcripti auctori jure negata fuit.
Sæpe errare facit mortales prava voluntas;
Velle ſuum ſcriptis, nolleque prorſus abeſt.
Sic quoque juſtitiæ famulantur ſigna verenda,
Ut voces cogant vincula ferre reas:
Conſcia ceu ſceleris mala ſcripta luentia vidi
Pœnas, auctores quas meruere ſui.
Improbitate virûm vidi quoque tradita flammis,
Hei mihi! quæ æternùm vivere digna forent.
PECTORE, ſi nequeas memori retinere vel ipſe [10]
Quæ dictâſti aliis, fortè vel audieris;
Mandabis chartis, ſcriptiſque fidelibus, unde
Promas (namque manent) hæc ubicunque voles.
Utile erat multis ſervaſſe diaria rerum,
Atque acta in vita cuncta notâſſe ſua.
Hoc magni fecere duces, & rebus agendis
Admoti, vanus nec labor ille fuit.
Auribus hauſta ſemel pauci ſub pectore condûnt;
Omnia qui potuit condere, nemo fuit:
At quæ quis relegat, quæ lumine ſæpe pererret,
Imprimat hæc animo, ſi volet ipſe, ſuo.
PUBLICA Res ſcripto ſæpe eſt ſervata fideli, [11]
Cum ſpes in bello nulla ſalutis erat.

Dum

Dum noctem recubans ſuper aurea ſtrata tyrannus
  Duceret inſomnem Perſa, volente Deo;
Annales relegi ſibi juſſit regni, & in illis
  Unius recolit dum benefacta ſenis,
Pro meritis tantis gens eſt ſervata fidelis,
  Inſidiis Amanis cum peritura foret:
At ſine literulis merita hæc ingentia ſcriptis
  Cum populo poterant occubuiſſe ſacro:
Sæpe eſt ſcripto conjuratio dira retecta,
  Civibus exitium quæ paritura fuit. (quam [12]
Num ſcelus infandum [1] reticebunt Britones un-
  Quo Romæ inſontes perdere velle fuit?
Cum Rex & regni proceres, totuſque ſenatus
  Jam perituri eſſent pulvere ſulphureo;
Cum decora inſtantis ſecli, nec vana futuri
  Spes eſſent uno tota cremanda rogo;
(Horreſco referens; quis dicet relligionem
  Quæ tam crudeles ſuadeat eſſe viros?)
Omne ſcelus ſcriptum felice errore retexit,
  Intulit horrendum ſuppliciumque reis.
Scilicet hinc patuit, Quod *qui regit omnia, gaudet*
  Intentis oculis [2] *vindicibuſque Deus.*

1 *Num ſcelus infandum*] *Nunc horrendam, & ab omnibus æquè damnatam conjurationem contra Magnæ Britanniæ Regis vitam continua narratione exequemur.* Thuan. Hiſt. tom. V. At non ab omnibus Romanæ Eccleſiæ hominibus damnata eſt illa conjuratio: certè non ab ipſo Pontifice, nec à Jeſuitis, cum Garnetus, qui propter illam conjurationem ſupplicio eſt affectus, ab ipſis Romanis in Sanctorum numerum relatus ſit.

2 *Gaudet intentis oculis*] Ἔχει Θεὸς ἐκδικον ὄμμα. Hom. Batrach.

Si oblatum Cæſar [1] legiſſet fortè libellum,
Brute, tuâ poterat non cecidiſſe manu:
Sic cecidit Cæſar Romanæ gloria gentis, [13]
Imperiique parens in ſua fata ruit.
At percuſſores vindicta eſt dia ſecuta,
Maxima enim manibus pars cecidere ſuis.
Quem juvat Æacidæ caſus cognoſcere Pyrrhi [2], [14]
Hic quam fauſta viro ſigna fuere, ſciet.
Infantem ad mortem cum ſævus quæreret hoſtis
Pyrrhum, in quo Epiri ſpes ſita tota foret;
Angelus, ut fama eſt, Androclideſque fidelis
Servarunt celeri præcipitique fuga.
Ventum erat ad Megara Actæi munita labore,
Pertranſire viros cum prohiberet aquæ
Quod juxta flueret rapidum horrendumque fluentum,
Et cymba, atque illo tempore ponte carens:
Jamque ferox hoſtis fugientum terga premebat,
Atque urbem rectà tendere viſus erat.
In ripa ſtabant Megarenſes ulteriori;
Hos Pyrrhi ſocii ſupplice voce rogant,
Auxilium ut ferrent miſeris; ſed ventus & ingens
Murmur aquæ (ventus namque agitabat aquam,)
Audiri planè clamantum verba vetabant;
Et puer ad ripam jam periturus erat:
Tunc quidam ex Pyrrhi ſociis ex arbore tracto
Cortici (erant in eo robora multa loco,)
Fortunam Pyrrhi inſcribit, verba hæc quoque ſubdit:
Pyrrhus adeſt, inquit, *veſter*, *opemque rogat.*

Alligat

1 *Si oblatum Cæſar*] Vide Suetonium in vita.
2 *Pyrrhi*] Refertur à Plutarcho in vita Pyrrhi.

Alligat hanc lapidi ſcripturam, & in ulteriorem
Ripam prævalida dat volitare manu:
Qua accepta ſtratis Megarenſes quercubus amnem
Impediunt, pontem perficiuntque rudem.
Hunc ſuper incolumes evadunt Regius infans
Et ſocii, ſubeunt tectaque tuta ſimul.
SI te pictura abſentis delectat amici,
Si chara ante oculos pendet imago tuos;
Quanto plus animi delectat vivida imago,
At nitet in ſolis talis imago libris.
Scripta benigna docent meliùs quam marmora, quale
Cuique ſit ingenium, & pectore quanta gerat.
Non ſic Praxiteles [1] non ſic pingebat Apelles [2],
Ut victura ſolent pingere ſcripta viros.
Exprimit haud mores hominum pictura, animoſque:
Effigiem mentis litera ſcripta dabit.
Ut vox eſt mentis [3], ſic litera vocis imago, [15]
Manſura in chartis marmora cum pereunt.
Pictores tentent *Herberti* [4] effingere vultus,
(Is tibi, magne Comes, ſanguine junctus erat,)

1 *Praxiteles*] Nobiliſſimus ſculptor, de quo videndus Plin. H. N. Lib. XXXVI. cap. 5.

2 *Apelles*] Hunc mirificis laudibus effert idem Plinius, eumque *omnes priùs genitos, futuroſque ſuperaſſe* ſcribit.

3 *Ut vox eſt mentis*] *Oratio vultus animi.* Senec. Epiſt. CXV. Λόγος ὥσπερ εἰκὼν τῆς ἐμῆς διανοίας. Iſocrat. *De Permutatione.* Eſt & imago rerum juxta Solonem, cujus illud erat: Λόγου εἴδωλον εἶναι τὰ ἔργα, teſte Diog. Laertio in Solone. Veriſſimè Democritus Lib. περὶ ἑρμ. Ἔστιν ἐν παντὸς λόγου εἶδος τὸ ἐναντίον τοῦ γεγραμμένου.

4 *Herberti*] Viri clariſſimi, Academiæ Cantabrigienſis Oratoris Publici, Theologi inſignis, & Poetarum ſui ſeculi facilè principis; cui maximè competere videtur id quod Callimachus olim de Heraclio Elegiaco ſcriptore cecinit,

Depingant ſummos habuit quos frontis honores,
Monſtrent quam pulchrè menſque locata fuit:
Semper erunt vatis pia carmina major imago,
Veriùs in ſcriptis ipſe videndus erit.
Elucent illic pietas, ſapientia, candor,
Prudens ſimplicitas, intemerata fides.
Cujus amor nobis nullo delebilis ævo eſt,
Qui fuerat patriæ gloria magna meæ.
Nam natale ſolum fuit illud utrique, ubi Chriſti
Iltutus [1] docuit, Dubriciuſque fidem:
Gymnaſia inſtituit Gildas ubi multa Britannis,
Et mores fertur perdomuiſſe feros:
Tempore quo Arturus regnabat maximus ille,
Qui (ſiquidem tradunt carmina digna fide)
Saxonas & Francos domuit, Dacoſque feroces,
Et latè in populos protulit imperium.

Illic

Αἱ ὃ τειαὶ ζωῆσιν ἀοιδόνες, ἧσιν ὁ πάντων
Ἀρχάντης αἰδὴς ἀν ἐπὶ χθόνα βαλλῆ.

De Herberto extat nobile teſtimonium Jacobi Duporti viri doctiſſimi Sylvar. Lib. III.

Quod ſum poeta (hoc & titulo indignus tamen)
Etiam Theologus, ſi quis hoc vitium putet,
Quot magna mihi patrocinentur nomina,
Apollinaris, Proſper, & Prudentius,
Et Nazianzi fulgidum in primis jubar!
Sed his omiſſis, inſtar omnium mihi,
Queis me tuebor, ſunt duo vates ſacri,
Jeilæus & Herbertus, *ille Regius*
Vetus ante Templum, Templi hic & Pſaltes novus:
Uterque ſanctus; & quidem hoc, me judice,
Poeta nullus Chriſtianus ſanctior.

1 *Iltutus*] De Iltuto, qui S. Germani diſcipulus, Gildæque Sapientis, *Badonici* dicti, præceptor fuit, necnon de Dubricio primo Landavenſi Epiſcopo, (aliis Legionum ad Iſcam Archiepiſcopo,) conſulendus Clariſſ. Uſſerius Armachanus Lib. de Primordiis Eccleſiarum Britan. capp. V. & XIII.

Hic quoque Caratacus [1] fama ſuper æthera notus [16]
Jura dabat, patriæ gloria ſumma ſuæ:
Qui vinci oſtendit Romanos poſſe, Silures
Hos contra quoties duceret ille ſuos.
Sæpe hos intrepidis oſtendere terga Britannis [2]
Impulit, atque ſibi conſuluiſſe fuga.
Hic rem Romanam attrivit victricibus armis,
At Romæ obſtabant ferrea fata viro.
Quamvis ſuſtentent ſe literæ & arma viciſſim,
Et benè conveniant, non tamen arma cano:
Artis quà poſſum ſacræ miracula pando,
Conveniunt elegis iſta minora meis.
PORRIGIT hiſce manus medicas languentibus abſens,
Reddit & incolumes doctus in arte ſua:
Profligat morbos ſcribendo, ſæpe ſalutem
Impertitque aliis, quam ſibi abeſſe dolet.
Convaluit ſcriptis *Gibboni* ſæpius æger,
Cum ſanando aliæ nil valuere manus:

Atque

1 *Caratacus*] Tacito Caractacus, Dioni Καταράκτακος, Zonaræ Καράκτακος, verum nomen *Caradocus*. *Itum in Silures*, inquit Tacitus, *ſuper propriam ferociam, Caractaci viribus confiſos; quem multa ambigua, multa proſpera extulerant, ut cæteros Britannorum imperatores præmineret.* Et mox, *Ne Romæ quidem ignobile Caractaci nomen erat.* Hic ab Oſtorio captus & Romam ductus coram Claudio Imp. Agrippina, & toto Senatu orationem eam habuit, quæ ipſis Romanis ſtupori fuit; tanta in ea captivi Regis magnanimitas effulſit. Extat apud Tacitum Annal. Lib. XII. cap. 37. Subjicit deinde hiſtoricus, Patres multa de Caractaci captivitate diſſeruiſſe, dicentes *neque minus id clarum, quàm cum Siphacem P. Scipio, Perſem L. Paulus, & ſiqui alii victos reges populo R. oſtendêre.*

2 *Oſtendere terga Britannis*] Quod ante Caratacum fecerant alii Britannorum reges: ſic enim Pompeius de Jul. Cæſare apud Lucanum;

Rheni gelidis quod fugit ab undis,
Oceanumque vocans incerti ſtagna profundi,
Territa quæſitis oſtendat terga Britannis.

Atque ut Apollo olim ſtravit Pythona ſagittis,
Sic morbos calamo confodit ille ſuo.
PARCITUR his linguæ, ſignis his parcitur auri,
Si tenera eſt auris, ſi tibi lingua dolet. [17]
Si tibi cum miſero ſint fortè negotia ſurdo,
Ad talem poſſis vel ſine voce loqui.
Pervia luminibus, quæ non ſunt auribus; & quæ
Hæ non accipiant, forſitan illa legant.
Hæc ſortem duram ſurdis pia ſigna levabunt,
Et quod lingua neget, litera ſcripta dabit.
Illa dabit miſeris ſimul omnia munera ſurdis,
Quæ ſunt carminibus mox celebranda meis:
Scilicet in toto quæ fiunt noſcere mundo,
Et veluti cunctis vivere temporibus:
Secum perpetuo veteres audire loquentes,
Vita functorum colloquioque frui:
Sanctorum vatum quot ſecula priſca tulerunt,
Uſurpare oculis verbaque ſacra Dei.
Sæpe à natura ſurdis (mirabile dictu!)
Signa hæc æternæ cauſa ſalutis erant.
(Nam poſſe hos uſum ſcribendi diſcere conſtat,
Literuliſque animi prodere ſenſa ſui:)
Quam tribuente Deo noſtris in ſenſibus imis
Verba creare ſolent auribus hauſta fidem,
Hanc ſurdis miſeris pia ſigna creantque foventque,
Perque oculos intrant pectora ſumma ſalus:
Ut quibus auriculas patulas natura negârit,
Hos lecta æternùm ſcripta perire vetent.
EVADET ſcriptis cui vox ſit adempta diſertus,
Et calamo linguæ damna reſarta dabit:
Si deſint miſero calami, atramenta, papyrus,
(Sunt cuncta ingenio pervia,) pinget acu;

Verba-

Verbaque texta dabit pulchrè, quæque ipſa periti
Scriptoris poſſint vincere ſcripta manu.
Sic potuit Philomela ſuos aperire dolores
Germanæ, & læſæ damna pudicitiæ.
Qua pœnas ſceleris dedit auctor, dilacerati
Viſcera dum nati devorat ipſe ſui.
Hic memorare juvat ſapientum gloria quanta
Priſcorum cuidam pingere poſſe fuit.
Juſtus Ariſtides [1], cum injuſtè a civibus eſſet [18]
Damnandus, quidam ruſticus hunc adiit,
Nomen Ariſtidæ petiitque ut ſcribere vellet
In concha: Sapiens inde rogare virum;
Noſtin' Ariſtiden, inquit, *tibi num malefecit?*
Ille utrumque negat; *Sed quia juſtus*; ait,
Audit, ab urbe procul pellendum judico: ſcriptum
Nomen Ariſtides tradidit inde viro:
Tradidit, æternùm de injuſtitiaque triumphum
Ducere ſignorum munere viſus erat:
Exilio proprio ſubſcripſit, fugit Athenas
A quibus antiquam vidit abeſſe fidem:
Certè inter cives injuſtos vivere juſtum,
Res viſa eſt quovis exilio gravior.
At niſi Ariſtides didiciſſet ſcribere, conchæ
Ille honor inſcripti nominis exciderat.
NIL opus eſt illis, nobis majora canenda
Carminibus noſtris pagina ſacra dedit.

Zacharias

1 *Ariſtides*] Rem totam narrat Plutarchus in Apophthegm. Erat Ariſtides adeo inſignis juſtitiæ vir, ut τὸν δίκαιον cognomen merito illi datum ſit; cui & populus Athenienſis hunc Æſchyli verſiculum accommodavit, Ὃς οὐ δοκεῖν ἄριστος, ἀλλ' εἶναι θέλει. Hunc Themiſtocles in exilium ejici curavit, ſed paulò poſt revocatus & reſtitutus eſt.

Zacharias olim divino numine læſo [19]
Mutus erat, ſancto vox & adempta ſeni.
Huic cum mirandus natus puer eſſet, & ipſe
Nomine ſignandus fortè parentis erat:
Tum pater in tabulis *Joannem* ſcripſit, & addit
(Juſſa Dei peragens) hoc ſibi nomen erit:
Quæ effari haud potuit, depinxit verba propheta,
Et viſa eſt linguæ munus obire manus;
Literulis debens, (dum nomen proderet illis,)
Ut non culpa foret, quod modo pœna fuit.
His fragiles hominum pervadunt ſecula voces, [20]
Gaudentque auctori ſic ſupereſſe ſuo.
His vita functi poſſunt lenire dolorem
Illis qui charis ſe ſupereſſe dolent.
Dum tua ſcripta lego, *Pocoki*, O gloria gentis
Qui fueras, animæ pars meliorque meæ [1],
Allevor, & lachrymas oculis abſtergeo, & omnem
Triſtitiam videor depoſuiſſe meam:
Dum lego te, ſolitos ſermones jungere tecum,
Et videor præſens ora videre tua.
Te mente amplector, divinaque pectora laudo,
Erigor adverſus triſtia fata mea;
Et mecum tacitus: *Quis jam Pocokius*, inquam,
Quam rex Perſarum non magis eſſe velit?
Bibliotheca animata quod ille inceſſerit olim,
Debuit ingenio, literuliſque ſacris.

Et

1 *Animæ pars meliorque meæ*] Edv. Pocokium S. T. D. Linguarum Heb. & Arab. apud Oxonienſes Profeſſorem, Ædis Chriſti Canonicum, virum clariſſ. & ſummum literarum lumen ſemper amari & colui plurimùm: Ille vicißim me juvenem ſingulari benevolentia amplexus eſt. Dictum eſt Ariſtotelis apud Diog. Laert. Lib. V. Φίλῳ ὅτι μία ψυχὴ δύο σώμασιν ἐνοικοῦσα.

Et cum magnorum pereunt vel nomina regum,
Regnabit ſcriptis clarus in orbe ſuis:
Vivet, florebit, volitabit in ore virorum,
Carminibus forſan vivet & ille meis.
SÆPIUS ætati ſcribendo profuit omni, [21]
Lingula dicendo cui minus apta fuit.
Scribendo Iſocrates qui nulli cederet ejus
Ævi, dicendo prorſus meptus erat [1].
Nempe fuit nimii, ſi vera eſt fama, pudoris,
Ambitione carens vir, fugienſque fori.
Hic Oratores multos dedit eſſe diſertos,
Jamque dat, illius qui monumenta legunt.
FLEXANIMA his ſacris alitur facundia ſignis.
His oratio fit compta & amæna magis [2].
Nulla fuit numeris perfecta adeo omnibus unquam
(Humani proles ſi fuit ingenii,)
Quæ non retractanda foret, nec viſa ſecundis
Auctoris curis indiguiſſe ſui:
Sæpe viri ſummi ſcriptis inducere limam,
Sæpe polire ſolent, quæ placuere minus;
At ſine ſcriptura quæ figat verba tabellis
Verba virûm lima vix polienda forent.

Sunt

1 *Dicendo prorſus ineptus erat*] *Plures eruditorum aliam eſſe dicendi rationem, aliam ſcribendi putaverunt; ideoque in agendo clariſſimos quoſdam nihil poſteritati, manſuriſque mox literis reliquiſſe; ut Periclem & Demadem: rurſus alios ad componendum optimos, actionibus idoneos non fuiſſe, ut Iſocratem.* Quintil. Lib. XII. cap. 10.

2 *Compta & amæna magis*] Auguſtum Cæſarem *neque in Senatu, neque apud populum, neque apud milites locutum eſſe unquam, niſi meditata & compoſita oratione: ſermones quoque cum ſingulis, atque etiam cum Livia ſua graviores, non niſi in ſcriptis, & è libello habuiſſe*, auctor eſt Suetonius in vita, cap. 84. *omnis oratio*, inquit Fabius, *tres habet virtutes, ut emendata, ut dilucida, ut ornata ſit.* Inſtit. Orat. Lib. I. cap. 5. Has virtutes abſque ſcribendi arte in dicendo nemo facilè aſſequatur.

Sunt qui mirentur non multo effuſa labore
Carmina, queis rarò gratia ineſſe ſolet:
At qui victurum carmen dabit, atque poetas
Inter laudandos nomen habere cupit,
Multa utetur, (præcepti memor) ille litura,
Sæpe ſtylum vertet, ſæpe recudet opus:
Judicium fidi prudens optabit amici,
Mutari, tolli [1], quid velit uſque petet:
Illius atque obelos blandos præponet inani
Laudi non meritæ quam dare vulgus amat.
Id Maro dum faceret felix ea condidit olim, [22]
Quæ ſtupuit Roma, & ſecula cuncta legent:
Ille edi juſſit, (ſic fert vaga fama) placerent
Non niſi quæ Tuccæ, quæ Varioque [2] ſuo.
Dicitur & vates dum ſacram Æneida vellet
Corrigere, heu fatis ſuccubuiſſe ſuis.
Hei mihi! Naſoni quod & aſpera fata negârint
Supremam ſcriptis impoſuiſſe manum:
Quæ nulla emendet manus altera, Naſo diſertus
Emendaturus, ſi licuiſſet, erat.
SÆPIUS officium pia ſigna obiere magiſtri,
His quibus heu nimium res fuit arcta domi.
Nam puer his ſolis edoctus promere verba,
Non audita ſibi, ſed neque viſa priùs,
Hæc eadem repetens memori ſub pectore condit,
Et fit facundus, qui fuit ante rudis;

Eloquio

1 *Mutari, tolli*] *Palamedes*, ait Apollonius Thyan. apud Philoſtratum, *literas invenit, non ſcribendi ſolùm cauſa, ſed ut etiam cognoſcere quiſque poſſet, quæ ſcribenda non eſſent.*

2 *Quæ Tuccæ, quæ Varioque*] *Varius & Tucca Virgilii & Horatii contubernales poetæ habentur illuſtres: qui Æneidum poſtea libros emendarunt ſub ea lege, ut nihil adderent.* Euſeb. in Chronico ad Olym. CXC. 4.

Eloquio pollens Græco, pollenſque Latino,
A ſolis doctus [1] verba ſonare libris.
Dum tua ſcripta legit, te, Quintiliane, magiſtro
Utitur, & vivum te ſibi adeſſe putat:
Conſulit his ſignis; tu mortuus inſtruis illum
Scriptis, & grandi das ſimul ore loqui.
Sic toto ingenuæ moderator in orbe juventæ,
Non ævi unius, ſed magis omnis eris.
Dum ſtudiis honor eſt, ſemper celebraberis ingens
Gloria Romanæ, Quintiliane, togæ.
JUVERUNT trepidos recitantes ſigna, ſimulque [23]
Dicendi palmam ſæpe dedere viris.
Fortè peroraret qui coram civibus, illis
Nil fiſus ſignis, nil brevibuſque notis,
Auſis excideret magnis, populoque moveret
Riſum, facundo præditus ore licet.
Tullius haud faceret, ſolitum quem ſcribere cuncta [2],
Quæ dicturus erat, fama fuiſſe refert.
Cedant literulis cunctæ artes, queis ſine magnus
Orator nemo, nemo poeta fuit.
Abſque hac arte ſacra ſtudiis decus omne periret,
Suaviloquæ linguæ gloria cuncta viris.
LITERA ſcripta dedit populi quod blanda loquela [3] [24]
Vivat, cum populo non ſit in orbe locus.

Sæpe

1 *A ſolis doctus*] Tales αὐτοδίδακτοι fuerunt multi.

2 *Solitum quem ſcribere cuncta*] Id de eo, ſi bene memini, refert Plutarchus in vita. Oratori optimum hoc conſilium dat Quintilianus Lib. XII. cap. 9. *Afferet ad dicendum curæ ſemper quantum plurimum poterit. Neque enim ſolum negligentiæ, ſed & malæ, & in ſuſcepta cauſa perfidi ac proditoris eſt, pejus agere quam poſſit. Ideoque ne ſuſpiciendæ quidem ſunt cauſæ plures, quam quibus ſuffecturum ſe ſciat. Dicet ſcripta quam res patietur plurima: &, ut Demoſthenes ait, ſi continget, & ſculpta.*

3 *Quod blanda loquela*] *Quod Hebræa, Græca, Latina perſeverant, eſt à libris & literis.* Rev. Walkonus in Prolegom. pag. 4. §. 15.

Sæpe miſer populus lingua illa cogitur uti,
Quam ſibi victores impoſuere ſui:
Sic populus ſanctus nunc Græco, nuncque Latino,
Barbarico tandem cogitur ore loqui:
Ut ſine literulis cum libertate vel ipſa
Judæo poterat lingua perire ſacra.
Quod tua nunc poſſint reſonare vocabula gentes,
Roma, & cum imperio non periere tuo,
His debes; hæc ſigna tibi, non arma dedere
Æternam dici, toto & in orbe coli,
Jamdudum plebi Romanæ lingua Latina
Haud nota eſt, Græcis ipſaque Græca minus:
Barbara nunc Roma eſt, etiam ſunt barbaræ Athenæ,
Literulis niſi quod cultum in utraque manet.
Quamvis Roma caput mundi jam deſiit eſſe,
Illius ore loqui gens tamen omnis amat:
Non poterant Romæ [1] ſeclis monumenta futuris
Reſtare imperii nobiliora ſui.
Quod nunc Græcorum volvant monumenta Britanni,
Quod Græcos Græcè jam doceantque loqui:
Ex veterum ſcriptis quod nata ſit una voluptas
Omni ævo, id munus nobilis artis erit.
Non minus ætati placuerunt carmina noſtræ
Aſcræi, priſcis quam placuere, ſenis:
Neve aliud ſenſere patres, aliudque nepotes
De ſene qui ſacram condidit Iliada:
Illius ingenium ætas admirabitur omnis,
Et vatum princeps ſemper Homerus erit.

SÆPE

1 *Non poterant Romæ*] *Ita nempe Romanum imperium eſſe videbatur, ubicunque Romana lingua dominabatur.* Laur. Valla in Præfat. ad libros elegantiarum.

SÆPE mihi visa est sapientia mira regentis [25]
Res hominum, immensum consiliumque Dei:
Ut quæ essent seclis cunctis relegenda futuris,
Lingua, quam vulgus nesciat, illa daret.
Quæ usurpat vulgus, variant cum tempore verba,
Et sunt vulgo ipso mobiliora rudi.
Si Romæ semper vernacla Latina fuissent,
Neve, ut nunc, solis invenienda libris;
(Nam vulgo Romæ linguam mutare subinde,
Atque novas voces cudere moris erat;)
Asperiora forent nobis divina Maronis
Carmina, vel cecinit quæ Venusinus olor;
Vel quæ Lucanus, vel seclis inclyta scripta
Quæ dedit eloquii Tullius ille parens:
Quàm fuerint ipsis quæ scripsit Nævius, & quæ
Ennius ediderit, Pacuviusque senex:
Aut quàm nunc Anglis sunt hæc quæ nobilis olim
Vates *Chaucerus* carmina scripta dedit,
Chaucerus (quo olim tantùm Woodstoca superba
Cive fuit, quantùm Mantua Virgilio,) [26]
Jam lectore caret; dum tot post secla leguntur
Tityrus, & segetes, armaque clara ducum.
Sic perierunt quæ vulgo feliciter, illa
Salva his sunt signis, non varianda dehinc.
Gallia Bartasii, gens Itala carmina Tassi
Quamvis sæpe legant, ingeniumque probent,
Verba tamen sordent; nunc barbara verba putantur,
Temporibus summè quæ placuere suis.
Pauca manent nobis lingua monumenta Britanna,
Quæ modo *Chauceri* tempore scripta forent:
Quamvis ter centum vates non amplius annis
Temporibus duris abfuit ille meis.
Nulla diu vivent, quæ vulgi condita lingua, [27]
Quamvis nec careant arte nec ingenio:
At quæ Romano sublimia carmina felix
Eloquio condas, secula cuncta legent.

Vix priſcis cedens Buchanani muſa vigebit,
Æquales rapiet cum Libitina ſuos,
Lingua vulgari qui carmina ſcripta dederunt,
Vicinis ſolis forte legenda ſuis.
Hic eſt ille ſuum quem Scotia jactat alumnum,
Et quem vel ſummis vatibus annumeret:
Altera ſpes Britonum nunc eſt in flore juventæ,
Victurus quicquid Græcia docta tulit.
Hic puer externas à Principe miſſus in oras,
Totius docti rettulit orbis opes:
Dent, *Adiſone*, tibi modo matureſcere fata,
Et nomen Britonum carmine ad aſtra feres.
Anglia tota tuum miratur jure Catonem,
Laudat honeſtatem, juſtitiamque viri;
Virtuteſque alias quibus ille excelluit Heros,
Noſcitur & Romæ grande fuiſſe decus.
Quod Libertati patriæ ſupereſſe recuſans,
Infelix dextra concidit ipſe ſua,
Id factum nollem; nec judico id eſſe Catone
Dignum, fortunæ ſuccubuiſſe malæ.
Ingenium vivax, & lucidus ordo, Cothurno
Digna Sophocleo multaque dicta tibi:
Quod ſi ſcripſiſſes Graio, aut ſermone Latino,
Lumina quæ admittunt cuique negata novo,
Anglia te meritò celebraſſet noſtra *poetam*
Ingenio priſcis, & ſimul arte parem.
Me dolor inceſſit, quoties pulcherrima vatum [28]
Anglorum lingua carmina ſcripta lego;
Et mecum reputo: Quæ nunc placuere relecta,
Venturis ſeclis ſunt ſonitura malè;
Ut quæ ſcribantur lingua fluxa atque caduca,
Tam manſura diu, quam placeant populo.
Wallerus muſarum deliciæ, & decus ingens
Quo magis haud quiſquam vivere dignus erat;
Carmina qui ſcripſit vel cedro digna perenni,
Tempus victurum per breve ſpondet opus,

Quod

Quod non ſcribatur Græco aut ſermone Latino,
Carminibus ſpondet nec meliora ſuis,
Illa licet dedit Anglo, ut muſæ ſic loquerentur,
Anglorum lingua ſi voluere loqui.
Si viſum fuerat verbis ceciniſſe Latinis,
Weſleio Nati facta ſtupenda Dei,
Ille *Vidæ* ingenui ſuperaſſet nobile carmen
Miſiſſetque ævum nomen in omne ſuum:
Scripta forent ſeclis cunctis relegenda futuris
Et magna ingenii fama futura viri.
Optima quid mirum ſi rodat carmina vulgus?
Virtuti conſtans eſt comes invidia:
Carbilius vilis ſic carpſit ſcripta Maronis,
Et ſua riſerunt tempora Mæoniden.
Vatibus id ſummis fatale videtur, ut ipſi
Non niſi poſt cineres ſint in honore viris.
Eſt, ut Flaccus ait, *ſanctum vetus omne poema*,
Suntque odio multis carmina quæque nova,
Sæpe poema bonum damnatur, nempe quod Auctor
Vivat, & æquales ingenio ſuperet:
Scilicet invidiæ nos cedere cogimur omnes;
Paſcitur in vivis, nunc quoque livor edax;
Livor, qui quondam poſt fata quieſcere viſus,
Poſt cineres multis jam ſolet eſſe gravis.
Si lingua æterna teneros luſiſſet amores
Couleius noſtras, ingenioque pari
Anglis quo cecinit, tibi ſoli, Naſo, ſecundus
Hic poterat toto forſan in orbe legi:
At plantæ vivent, Davidicaque acta Latino
Carmine quæ cecinit, ſidera donec erunt.
Si ſic *Miltono* ſeclis ceciniſſe futuris
Viſum erat, ut cecinit civibus ille ſuis,
Vatibus hunc unum Graiis ſimul atque Latin
Haud dubitem cunctis oppoſuiſſe virum.
Tu quoque *Cenſoris* merito qui jure *Britanni*
Nomen habes, ſcriptis idque tuere decus;

Cui Cato Romanus cedat, Graiuſque Menippus,
Perſius, & quicquid turbida Roma tulit;
Qui mores hominum ſic pingis, ut improbitatis
Jam multos pudeat, ſtultitiæque ſuæ:
Quamvis ingenio præſtans des ſcripta Britannis,
Quæ bonus æternum vivere quiſque velit;
Temporibuſque tuis profis, tamen omnibus inde
Venturis ſeclis utilis eſſe nequis.
Quod ſi Romana velles jam condere lingua
Carmina, (namque tibi quæque Camæna favet,)
Gauderent omnes meritam tibi cedere palmam,
Qui Satyris mores increpuere malos:
Temporibus poſſes cunctis prodeſſe futuris,
Perpetuus morum Cenſor in orbe fores;
Candidus in primis, juſtus, virtutis amicus,
Et cui ſint odio crimina, non homines.
Omnibus in terris monumenta Latina leguntur:
Anglis ſcripta bonis Anglia ſola leget.
Illa manent, & ſunt manſura per omnia ſecla:
Hæc ſunt cum dominis mox peritura ſuis.
Ergo qui valeat, prudens ſermone Latino
Vivere quod cupiat, condere tenet opus.
Quam linguam libri ſervant, & pectora docta,
Neſciat & populus, ſola perennis erit.
CÆTERA nunc magni Inventi miracula pandam,
Et ſeclis cunctis munera clara canam.
Sic conſurgat opus mihi, ut artis munera ſacræ
Poſtremis referam maxima quæque locis.
Sæpe viam ad ſummos ars hæc munivit honores,
Et fecit charos regibus eſſe bonis,
Hos qui nec generis jactarunt nobilitatem,
Neve opibus magnis eminuere ſuis.
Sed qui perlectis libris in flore juventæ,
Secli evaſerunt lumina ſumma ſui;
Atque loco obſcuro nati, virtutibus ipſi
Viſi ſunt patriam nobilitâſſe ſuam.

Nam

Nam decus à patria ſapiens haud accipit ingens, [31]
Illuſtrem patriam ſed magis ipſe facit.
Nicomachi nato ſic nobilitata Stagira eſt,
Cuniſque Arpinum, Marce diſerte, tuis.
QUAMVIS arte ſacra cumulandis ſerviat una [32]
Mundi divitiis ars prope nulla minus:
Attamen ingenuos, ſic nunc, ut forſitan olim,
Mortales multos doctus Homerus alit.
Horreat in pannis ſapientia, fulgeat oſtro
Stultitia, (id fieri ſæpe videre licet,)
Hæc oſtro fulgens, erit hoc deformior ipſo,
In pannis etiam pulchra erit illa ſuis.
Hæc facit inter opes inopes, facit illa beatam
Pauperiem, veras divitiaſque dabit.
Et quamvis doctis, ut tempora priſca fuerunt,
Hæc ætas non ſit noſtra benigna viris:
Literulis aliquid priſci tamen extat honoris,
Nempe ſub eximii Principis auſpiciis.
Artibus ingenuis, ſtudiis, dum vixit, honeſtis,
Et muſis viſa eſt ANNA favere ſacris;
Tutata eſt Britonum res armis, legibus ornans,
Legibus & vim dans moribus ipſa ſuis;
Anglis æterno conjunxit fœdere Scotos,
ANNA parens patriæ præſidiumque ſuæ;
GENTEM UNAM FECIT, dici voluitque *Britannos*
Omnes, ſubque una vivere lege dedit.
Junxit forte roſas HENRICUS, at ANNA coronas
Jungens devinxit ſecula cuncta ſibi.
Hinc pro ſe cepit ſociiſque fidelibus arma,
Et multo hoſtili ſanguine tinxit humum;
Sive Moſæ ad ripam Gallos Boioſque fugaret,
Sive in Danubii præcipitaret aquas.
Sæpe triumphavit, dum belli nobile fulmen
MARLBURIUS Britones duceret intrepidos.
Jam regna Heſperiæ Gallorum erepta fuiſſent
Unguibus, & Domino reddita cuncta ſuo,

Si

Si prudens uti noſſet ſucceſſibus ANNA,
Quos ipſi dederat, qui regit aſtra, Deus:
Sic viſa eſt felix, ut totus diceret orbis,
En ANNÆ *Europæ vincula rupta manu!*
Hoſtis victus erat, ſupplex pacemque petebat;
At victo favit *Factio ſæva* domi;
Perſuaſit Reginæ finem imponere bello,
Et violare fidem ſæpe datam ſociis.
Sic qui victus erat terraque marique Tyrannus,
Quæ rapuit, noſtro crimine Gallus habet:
Et data pax illi, qui nullum credit in orbe
Eſſe Deum, atque fidem nomen inane putat.
(Illud adulteria, & cædes, perjuria, furta,
Et toties à ſe fœdera rupta probant.)
Ah quis iniqua legens, quæ tu, *Catalaunia* fida,
Immerito paſſa es temperet à lachrymis,
A ſociis contra leges hominumque Deique
Deſerta, & Gallis tradita fædifragis!
Quam tibi chara fuit LIBERTAS, *Barcino*, parta
Sanguine majorum, facta ſtupenda docent:
Tu ſtabis fidei monumentum triſte, Sagunto
Soli vicinæ cedere viſa tuæ.
MARLBURIUS magnus, quem ſecula nulla tacebunt,
Qui patriæ columen, grande decuſque ſuæ eſt,
Qui toties Gallos fudit, cepitque tot urbes,
Iſta videns exul ſponte fit inde ſua.
Gallia læta fuit quondam ſub Regibus Anglis,
Nec grave ſemper erat facta ſubire jugum:
At mihi ſi vati ſit mens præſaga futuri,
Nec patriæ nimio ducar amore meæ,
Rex erit Anglorum, qui Gallica regna reducet,
Neve geret fruſtra *Lilia mixta roſis.*
Aſpice venturos, animoſe Britanne, triumphos,
I pete templa, bono votaque ſolve Deo:
Læta dies venit, qua Princeps ſanguine cretus
Anglorum regum, Saxoniæque Ducum,

Romani

Romani Imperii Elector, columenque decuſque,
Cui moriens regnum tradidit ANNA ſuum,
GEORGIUS Anglorum decus & tutela ſuorum
Accepit meritis debita ſceptra ſuis.
Ille bonis exoptatus, regnumque priuſquam
Regnaret viſus promeruiſſe fuit;
In quo majeſtas, & ſummi frontis honores,
Omniaque eximio Principe digna nitent.
Hic vir, hic tibi promiſſus compeſcet Iberos,
CAROLE, te regnis reſtituetque tuis.
(Si non ſanctorum ſanguis conatibus obſtet,
Quo quondam Auſtriaca eſt ebria facta domus.)
Forſan erit, quando Turcam clariſſimus Heros
Sternet, & Europæ finibus ejiciet.
Regibus ille bonis ortus, cui gloria Chriſti
Regnandi finis ſit, populique ſalus,
Efficiet demùm, ut virtus ſit ubique in honore,
Quæ quondam viſa eſt *unica Nobilitas.*
Ipſe ſuo exemplo populo virtute præibit,
Normaque vivendi vita Regentis erit:
Aula futura ſchola eſt, in qua generoſa juventus
Ornari diſcat moribus eximiis.
AUGUSTAM tollet nocitura theatra per Urbem
(Sunt his nequitiæ ſemina jacta locis,)
Humani generis peſtes Atheoſque latroneſque
E medio tollet, proteret omne nefas.
Hos quibus una fides, ſpes una, Deuſque ſit unus,
GEORGIUS æterno junget amore pios.
Religio & leges illo regnante vigebunt,
Atque bonis ſtudiis reſtituetur honos.
Gallorum incipient Angli dediſcere mores,
Atque favens Romæ Factio quæque ruet.
Tandem priſca fides, tandem pietaſque redibit,
Et procul omnis erit *Frauſque doluſque malus.*
Aurea defeſſo renovabit ſecula mundo,
Et pacis blandæ gentibus auctor erit.

DE

DE LITERIS INVENTIS

LIBER TERTIUS.

MUNERA Pierides, paulò majora canamus
Artis, quæ vincat cuncta reperta viris:
Vos mihi ſuaviloquæ date condere carmina divæ,
Quæ HERBERTUS veſter, dum vacat, ipſe legat.
Inter tot curas & tanta negotia regni
Ille heros vobis ſæpe vacare ſolet:
Dumque legit monumenta virûm, ſcribenda deinceps
Ipſe facit, quæ omnis proſteritaſque leget.
PUBLICA literulis ſtat res, commercia mundi [1]
Fiunt, cunctorum pactaque firma manent.
Quem non juramenta ligant, promiſſa fideſque,
Chirographum vincit, ſcriptaque jure valent.
Percutiunt omnes his ſignis fœdera gentes
Fœdera quæ debeut omnibus eſſe ſacra:
Utiliterque virorum inventa [1] perire vetantur;
Artibus [2] atque armis ſtat ſimul hiſce decus.

Literulis

1 *Utiliterque virorum inventa*] *Literæ*, inquit Cælius Rhod. *vetuſtatem prorogant, nihil ſinunt perire; &, quod omnia conterit, tempus noſtris cogunt manibus ſuccumbere: quid æquè admirandum, in quod ne mortis quidem rapacitas jus ullum habeat?* Antiq. lect. Lib. IV. Literas μνημόσυνα λίθου vocat Plutarchus Lib. *De aqua & igne.* Vide Diod. Sicul. Lib. XII.

2 *Artibus*] *Literis*, ait Vives, *artes omnes ceu theſauro conſervantur, ne*

Literulis nihil esse bonis conjunctius armis
Agnoscet veterum qui leget acta ducum:
Scilicet in populis quondam victoribus orbis
Florebant semper literæ & arma simul.
Tunc est Græcorum sapientia proxima cœlo,
Cum Persis victis Græcia jura daret.
Tunc victrix omnes superavit musa Maronis,
Roma triumphati cum caput orbis erat.
Regibus inter se litem decernere bello [2]
Si visum est, armis scripta præire jubent:
In quibus hi belli satagunt exponere causas,
Sæpiùs at veram dissimulare solent.
Pluribus haud opus est monstrare, ut litera scripta
Militet in castris vel super arma ducum.
Cum bellum gererent Pœni (gens æmula Romæ,)
Atque silendo res perficienda foret,
In scriptis solis ducibus dare jussa solebant;
Sæpe salutare id consiliumque fuit.
Si classe instructa res esset forte gerenda,
Scripta dabat ducibus gens ea cauta suis,
Ipsa geri ut vellet rem significantia totam,
Scripta nisi in magno non referenda mari.

Romanos

ne unquam intercidant; cum contrà infælix sit illa per manus traditio. De Causis corrupt. art. Lib. I. Et Quintilianus, *Divinum*, inquit, *hoc literarum & mirabile beneficium, ut custodiant voces, & veluti depositum reddant absentibus.* Denique Vitruvius, *Non mediocres, sed infinitæ sunt his* [majoribus] *agendæ gratiæ, quod non invidiosè silentes prætermiserunt, sed omnium generum sensus conscriptionibus memoriæ tradendos curaverunt. Namque si non fecissent, non potuissemus scire, quæ res in Troja fuissent gestæ, nec quid Thales, Democritus, Anaxagoras, Xenophanes, reliquique Physici sensissent de rerum natura; quasque Socrates, Plato, Aristoteles, Zenon, Epicurus, aliique philosophi hominibus agendæ vitæ terminationes finiviſſent: seu Cræsus, Alexander, Darius, cæterique reges, quas res, aut quibus rationibus gessissent, fuissent notæ, nisi majores ad posteritatem commentariis extulissent.* In Præfatione, ubi suprà.

Romanos faſtos qui evolverit, ille Catonis [3]
Conſulis agnoſcet facta ſtupenda legens,
Literulis ſolis cecidiſſe ea mœnia ſcriptis,
Tormentis nullis quæ ruitura forent.
Tolli luce una Cato[1] mœnia juſſit Iberis
Urbibus, atque una luce ruêre ſimul.
Quod non ſcripta valent? reges traxere potentes
Nunc pacem amplecti, nunc fera bella ſequi;
Scriptis permoti populi quoque pacis amantes
Illatam ſociis vim repulere ſuis;
Pacem inſtaurarunt: queis pax non quæritur armis, [4]
Bella quidem laudis nil habitura gerunt.
Vidimus in bello ut proſint pia ſigna, quieta
In pace ut proſint, nunc memorare juvat.
HIS domus innocuo ſervantur & arva colono,
Dum legi ſtat honos, res ſua cuique manet.
His antiqua manent dominis patrimonia veris,
Servantur regum jura timenda malis.
Communis populi & regis ſententia lata [5]
Lex eſt, nempe jubens juſta, & iniqua vetans.
Regula vivendi ex recta ratione profecta,
Integra, pro libitu nil facienſque ſuo:
Affectaque carens omni[2] per ſecula gaudet
Voce una populo principibuſque loqui.

Blandi-

1 *Tolli luce una Cato*] M. Porcius Cato *devictas à ſe Hiſpaniæ civitates exiſtimabat in tempore rebellaturas fiducia murorum. Scripſit itaque ſingulis ut diruerent munimenta, minatus bellum, niſi conſeſtim obtemperaſſent; epiſtolaſque univerſis civitatibus eodem die reddi juſſit. Unaquæque urbium ſibi ſoli credidit imperatum. Contumaces conſpiratio potuit facere, ſi omnibus idem denunciari notum fuiſſet.* Frontin. Lib. I. cap. 1. Vide Poliæn. Lib. VIII. & Plin. de viris illuſtr.

2 *Affectaque carens omni*] Νόμος ὅτι νῦς ἀνὰ ὀρέξεως. Ariſtot. Polit. Lib. III. cap. 12.

Blanditias pariter temnens, iraſque potentum,
Quorum ſcit mores increpuiſſe malos.
Omnibus æqua, ſibi conſtans, mens denique pura,
Neſcia vel precibus muneribuſve capi.
Sunt leges hominum, & ſunt queis cœleſtis origo,
Antiquis patribus quas dedit ipſe Deus.
Humanas mutent homines; ſed credimus uni
Immutare Deo jura licere Dei.
Sunt leges cœtus humani vincula ſacra;
Vis, hæ ſi ſileant [1], imperat una viris.
Et veluti in ſylvis [2] animalia cuncta minora
Præda illis fiunt, cætera quæ ſuperant,
Viribus & præſtant: ſic legibus abſque verendis
Inter mortales cuncta gerenda forent.
Scilicet imbellis foret omnis præda potenti,
Cauſaque juſta necis *Plus habuiſſe* foret.
Si deſint leges, periit Reſpublica, honeſtum [6]
Nomen item periit, dira tyrannis erit.

At

1 *Vis, hæ ſi ſileant*] Quæ fiunt, ubi leges ſilent, docet Ennius pulcherrimis his verſibus, qui extant apud A. Gellium Noct. Attic. Lib. XX. cap. 10.

Pellitur è medio Sapientia, vi geritur res,
Spernitur orator bonus, horridus miles amatur,
Haud doctis dictis certantes, ſed maledictis;
Miſcent inter ſeſe inimicitias agitantes,
Non ex jure manu conſertum, ſed magè ferro
Rem repetunt, regnumque petunt, vadunt ſolida vi.

Reſpublica, cujuſcunque fuerit generis, legibus conſtat; ſi leges deſint, tyrannis eſt: id docet Ariſtoteles Polit. Lib. IV. Ὅταν γὰρ μὴ νόμοι ἄρχωσιν, οὐκ ἔστι πολιτεία· δεῖ γὰρ τὸν μὴ νόμον ἄρχειν πάντων.

2 *Et velut in ſylvis*] Aut, ut Athenagoras loquitur, Ἰχθύων ζῶντες, καὶ γὰρ ἔστοι καταπίνουσι τὸν ἐμπεσόντα, ἐλαύνοντες ὁ ἰσχυρότερος τὸν ἀσθενέστερον. Legatione pro Chriſt. cap. 29. Alludens ad verſus Heſiodi Ἔργ. I.

Ἰχθύσι μὲν καὶ θηρσὶ, &c.

At ſine ſcriptura quid prodeſt condere leges,
Quas ſcirent pauci, nemoque perlegeret?
Quæ nunc dum in templis pendent [1] de mœnibus æri
Inciſæ [2] aut ſaxis, omnibus inde patent.
Civibus inde bonis ſecura mente leguntur,
Horrorem incutiunt omnibus inde malis.
LITERULIS ſacris conduntur Teſtamenta [3],
Quiſque domum moriens ordinat hiſce ſuam.
Mortuus alloquitur ſcriptis [4] ſua pignora blandis,
Et docet, ut ſolitus quando ſuperſtes erat.
Quin natorum animos defuncti verba parentis
Interiùs penetrant, alliciuntque magis.
Nemo his non poſſit, quæ ſit ſuprema voluntas [7]
Materia in quavis ſignificare ſua.
Quæ daret in clypeo moriturus ſanguine miles,
Hæc priſcæ leges ſcripta valere jubent.
NEC minus hic ſignis debet Medicina benigna,
Cui cura eſt homines eripuiſſe neci.

Eſt

1 *In templis pendent*] *Placuit*, inquit Pomponius, *Decemviros conſtituì, per quos leges à Græcis civitatibus petitæ in tabulis buc is perſcriptæ, pro roſtris componerentur, ut poſſent apertiùs percipi.* D. 1. 2. 2. S. 4.

2 *Æri inciſæ*] Æreis tabulis leges inſcribere mos fuit antiquitùs; hinc Ovidius Metam. I. *Nec verba minantia fixo Ære ligabantur.* Cicero in Catilinaria ait, *Æra legum in Capitolio fuiſſe tacta de cœlo.*

3 *Conduntur Teſtamenta*] Eleganter S. Auguſtinus, *Tam diu*, inquit, *contenditur de hæreditate mortuorum, quam diu Teſtamentum non proferatur in publicum: & cum Teſtamentum prolatum fuerit in publicum, tacent omnes, ut tabulæ aperiantur & recitentur. Judex intentus audit, advocati ſilent, præcones ſilentium faciunt, univerſus populus ſuſpenſus eſt, ut legantur verba mortui, non ſentientis in monumento. Ille ſine ſtrepitu jacet in monumento, & valent verba ipſius*, &c.

4 *Mortuus alloquitur ſcriptis*] Vide notas infrà ad num. [22].

Eſt vitæ unius brevis experientia rerum,
Neve immortales[1] ars facit ulla viros:
At ſignis illis veterum experientia noſtra eſt,
Vivit & ingenium, dum pia ſcripta manent.
En niſi ſcripta forent mirandi Aphoriſmata Coi[2],
(Is decus eximium eſt artis Apollineæ,)
Vix ſcirent homines morbos depellere ſævos,
Et poterat ſecum forte perire ſalus:
At ſcribendo ſenex & nobis prorogat annos,
Atque ſibi æternum comparat inde decus.
QUAS urbes alii ſubeundo pericula multa
Videre, in ſcriptis tutus adire queas:
Atque domi reſidens varia orbis regna pererres;
Totum perluſtres & ſine nave mare.
Jamdudum cecidere domus, periere ruinæ
Urbibus, at doctis non periere viris.
Hi Romæ poſiti nôrunt ubi templa ſuperba
(Donec erant) falſo cuique ſtetere deo:
(Tanquam vixiſſent ſemper, ſimul hiſque dediſſet
Orbis non urbis civibus eſſe Deus,)
Hic, aiunt, *templum Veneris ſtetit, hic quoque Martis,*
Illic parva domus, Romule magne, tibi.
Romule, in urbe tua jam regnat Præſul, & orbem
Quem viciſti armis, ſubdidit ille dolo.
HIS mores, hominumque datur cognoſcere leges,
Quæ benè gens omnis, quæ ſtatuitque malè;

Quas

1 *Neve immortales*] Ἱπποκράτης πολλὰς νόσους ἰασάμενος, νοσήσας ἀπέθανεν. M. Anton. Imp. ὥσπερ ὁ ἰὸς εἰς ἑαυτόν. Lib. III.

2 *Mirandi Aphoriſmata Coi*] Huic Libro magnum elogium dat Suidas, dum vocat Βίβλον ἀνθρωπίνων ὑπερβαίνουσαν σύνεσιν.

Quas exerceat artes, & queis dedita ſacris;
Atque hinc, ſi ſapias, commoda multa feres.

OMNIA mirificis revocantur tempora ſignis;
Cunctarum ætatum dum manet hiſtoria;
Quæ ſcriptis commiſſa[1] fidelibus, ipſa magiſtra eſt
Vitæ, quæ fugias, quæque ſequare[2], docens.
Et veluti tubulo quem quis fabricaverit arte,
Quæ poſita in cœlo cuncta videre datur:
Sic ope librorum[3] tibi fas ab origine mundi
Lumine res hominum pervolitare tuo.

Non

1 *Quæ ſcriptis commiſſa*] Titus Livius cur ante Urbem à Gallis captam (quod contigit anno U. C. 366.) hiſtoria rerum Romanarum admodum obſcura eſſet, hanc rationem reddit, nempe *Quod perraræ per eadem tempora literæ fuere, una cuſtodia fidelis memoriæ rerum geſtarum.* Lib. VI.

2 *Quæ fugias, quæque ſequare docens*] *Quàm multas nobis imagines, non ſolum ad intuendum, verum etiam ad imitandum fortiſſimorum virorum expreſſas, ſcriptores & Græci & Latini reliquerunt? Quas ego mihi ſemper in adminiſtranda republica proponens, animum & mentem meam ipſa cogitatione hominum excellentium conformabam. Quemadmodum enim pictor habet exempla ſuorum operum, in quæ ſemper intuetur: ita nos aliquos laudatos viros mente intueamur, quos aliquo modo ſequi & imitari ſtudeamus.* Cic. Orat. pro Archia. Ἰσοείας ἀρχαίας ἐξέρχεσθ μὴ κατόκνει· ἐν αὐτάῖς γὰρ ἑυρήσης ἅπερ ἕτεροι σωπῆσαν ἐγκώπως· καὶ μάθοις ἐκεῖθεν τὰς τε τῶν προπατόρων ἀρετὰς, καὶ τὰς τῶν φαύλων πακίας, τάς τε τῶν βίου πολυτρόπους μεταβολὰς, καὶ τῶν ἐν αὐτῷ πραγμάτων τὰς ἐναλλαγάς. Baſil. Imp. in exhort. ad Leonem filium. cap. 56. Vide Diod. Sicul. Bibl. Lib. I. cap. 1. & quæ infra annotantur ad num. [16].

3 *Sic ope librorum*] *Quid profectò admirabilius, quam pauculis literarum figuris contineri, quicquid ſacri, publici, privati dici aut cogitari poteſt? Quæ præterea urbium, regionum, generiſque humani facies tandem foret, ſublata hac fida cuſtodia omnium geſtorum, omnium doctrinarum, omnium fœderum, pactorum,* &c? Voſſius in Præfat. ad Art. Gram.

Non facile libris, ſi ſcriptor idoneus adſit[1],
Conſignata virûm dicta vel acta cadunt.
Signa ſacra exiſtunt cunctis mortalibus æqua,
His vivunt reges, his quoque vivit inops.
Unius lucis tam[2] Conſul, quam Cato magnus, [8]
In faſtis potuit vivere, Roma, tuis.
His ſine geſtarum miſeranda oblivio rerum,
Mortales caperet, deprimeretque ſimul.
Neſcirent etenim gentes ortæ unde fuerunt,
Atque hujus mundi qualis origo fuit.
Ut fuerint artes inventæ, hominesque feroces
Eſſe ut deſierint, ut domitaque feræ,
Urbes extructæ, leges quoque poſtea latæ,
Ne quis fur nequam, neve homicida foret.
Cuncta geri ut placuit juſto moderamine, rege
Exiſtente omnis vindice nequitiæ.
Jecerit ut & primi Aſſyrius fundamina regni;
Ut Perſa hinc armis vicerit Aſſyrium;
Ut Macedo Perſam mollem ſubjecerit, orbis,
Romane, ut totus ceſſerit inde tibi.
Qui præcelluerint uſquam ſapientia, & urbes
Legibus ornarint, munierintque bonis.
Qui fuerintque duces fortes, belloque potentes,
Qui tutati armis juſtitiamque ſacram.

Intere

1 *Si ſcriptor idoneus adſit*] Παραπλήσιόν τι τὰς ἐπιτηδείας ἐπὶ τὴν ἀναγραφὴν τῆς ἱστορίας ἀφορμὰς μετὰ πολλῆς ἐπιμελείας τε καὶ φιλοπονίας. Dion. Halicarn. Lib. I. cap. 1.

2 *Unius lucis tam Conſul*] Mortuo Q. Fabio Coſ. extremo anni die in paucas horas ſuffectus eſt à Julio Cæſare C. Caninius, in quem Cicero in epiſt. XXX. Lib. VII. ad Curium ſic jocatur: *Caninio Conſule ſcito neminem prandiſſe; nihil tamen eo Conſule, malè factum eſt: fuit enim mirificâ vigilantiâ, qui ſuo toto Conſulatu ſomnum non viderit.*

Interea ut variè dederit Deus ipſe per orbem
Gentibus imperium, ſervitiumque grave.
Neſcire hæc turpe eſt, brutum, & miſerabile planè;
Ingenuo minimè convenienſque viro.
Nam neſcire [1] quidem quid in orbe evenerit antè
Quam tu natus eras, hoc puerum eſſe foret.
Qui rebus fuerint auctores inveniendis,
(Hos miſeræ gentes ceu coluere deos,)
Hiſtoriæ monſtrant: nempe urbes condere primus
Quis docuit, populo & jura verenda dedit.
Et quis in expertæ concredere ſemina terræ
Monſtravit, poſtquam gleba ſubacta foret:
Atque dedit veſci frumentis glande relicta.
Mutavit vino quis bene primus aquam;
Et docuit teneram palmis adjungere vitem.
Cujus item inventum pinguis oliva fuit.
Quis primus tauros docuit juga ferre feroces,
Et frænis celeres quis cohibebat equos.
Quis chalybem durum vaſta fornace reſolvit,
Quis ferrum primus vulnificumque dedit.
Viſceribus matris quis demum extraxerit aurum,
Æternùm meliùs quod latuiſſe foret.
Namque auro effoſſo periit mortalibus ægris
Et fas, atque omnis cum probitate pudor.
Crimen paupertas habita eſt, & fallere virtus,
Hinc furta & cædes, & ſcelus omne placent.
Cudere qui nummos docuit, quis vendere primus,
Et quis libram æquam, & pondera juſta dedit.

Dirus

1 *Nam neſcire*] *Neſcire quid antea quam natus ſis acciderit, id eſt ſemper eſſe puerum.* Cic. in Oratore cap. 34.

Dirus adinvenit quis & arma nocentia, tectus
Quis galea primus, cinctus & enſe fuit.
Atque ferox haſta jaculoque eſt viſus in hoſtem
Irruere, & circùm ſpargere mille neces.
Proh dolor! inventor ſcribendi quis fuit artis,
Cætera qui doceant, non docuere libri:
Ut nec quis fuit inventor mirabilis artis,
Qua ſuper articulos res numerare datur;
Et paucis notulis [1], quot arenæ in littore ponti,
Edere quæ immenſo quot ſimul aſtra polo.
Aut ingrata nimis tenuere ſilentia priſci,
Aut ſaltem tempus ſcripta abolevit edax.
Non potuit tamen illud edax abolere vetuſtas,
Neve illud libri nos latuiſſe ſinunt:
Quis ſolers hominum duxit de marmore vultus [2],
Primus & in tabulis pingere viſus erat.
Hinc populo exorta eſt turpis farrago deorum,
Dum quod finxit opus ſculptile, quiſque colit.
Quis primus fragili tentavit cærula cymba,
Ipſa legens cautus littora tuta priùs:

1 *Et paucis notulis*] Solaris perigæi circulus deſcribi poteſt figuris octo, conſtat enim Leucis 11889541. Firmamenti ſupremi ambitus, putà ſecundum Æquatorem, figuris novem, leucarum enim eſſe judicatur 151184400. Hinc Geometriæ periti demonſtrare nôrunt concava ſuperficies firmamenti quanta ſit. Dicunt porro quod ſi hæc immenſa capacitas arenis repleretur, arenarum numerus figuris quinquaginta comprehendi poſſet. Vide Archimedis *Arenarium*, de quo ſic canit Silius Lib. XIV.

Non illum mundi numeraſſe capacis arenas
Vana fides.

2 *Duxit de marmore vultus*] *Credo equidem vivos ducent de marmore vultus.* Virgil. Æneid. VI. Simonides Melicus dicere ſolebat, ζωγραφίαν εἶ) ποίησιν σιωπῶσαν καὶ σιγῶσαν· ποίησιν δὲ ζωγραφίαν λαλοῦσαν καὶ φθεγγομένην.

Inde ratem ventis commiſit, & æquora verrit,
Atque volante domo vidit utrumque polum.
Aſtrorum potuit quis primus pandere curſus;
Et lunæ varias rite notare vices;
Tempora metiri, reduces ſoliſque labores,
In parteſque annum findere quemque ſuas:
Inque ſuas itidem noctem partire diemque;
Non menſis priſcis, nota nec hora fuit.
Poſtea quis ſphæram dedit [1], (id miraculum & artis,
Et planè excelſæ nobile mentis opus)
In qua terram imam [2], circumque rotantia ſeſe
Æquali motu ſigna videre fuit:
Omnia tam bellè fabricata, ut dixeris, auctor
Æmulus ipſius quod foret ille Jovis.
Quis primus voluit caſus aperire futuros,
Ignarus ſortis cum foret ipſe ſuæ.
Herbarum vires, quibus ultima fata morentur,
Invenit primus quis repulitque necem;

Indomi-

1 *Poſtea quis ſphæram dedit*] Sphæram primum feciſſe Muſæum Athenienſem Eumolphi filium auctor eſt Diog. Laertius in proœmio ad vitas philoſophorum. Sphæram miro artificio fecit Archimedes Syracuſanus, quam Claudianus pulchro epigrammate celebrat, cujus initium:

Jupiter in parvo cum cerneret æthera vitro.

2 *In qua terram imam*] Terram medium Univerſi occupare veteribus creditum eſt; ſic enim Ariſtoteles, Ἠρεμεῖ ὅτι μέσον. De cœlo Lib. II. cap. 3. Διὰ τοῦτο γὰρ κἂν ἐπὶ τυχόντα κεισθῇ νῦν ὅτι τὸ κέντρον. Idem Lib. eod. cap. 14. Et docet, Οὐ μόνον σφαιροειδῆ τὸν ὄγκον ἀναγκαῖον εἶναι τῆς γῆς, ἀλλὰ καὶ μὴ μέγαν πρὸς τὸ τῶν ἄλλων ἄστρων μέγεθος. Id. cap. 15. Hinc Cicero Tuſcul. Quæſt. Lib. I. *Perſuadent*, inquit, *Mathematici, terram in medio mundi ſitam, ad univerſi cœli complexum, quaſi puncti inſtar obtinere, quod* κέντρον *illi vocant.* (Vide Amm. Marcellin. Lib. XV. & Plin. Lib. II. cap. 68.) Quod demonſtrat Ptolemæus Magnæ Συνταξεως Lib. I. cap. 6.

Indomitumque ignem dedit inſervire medendo,
Educens flammis pharmaca ſumma feris,
Materia ex omni, plantis, rigidiſque metallis,
Atque ex vipereis carnibus antidotum.
Muſicæ & inventor celeberrimus extitit olim,
Et docuit primus quis ceciniſſe lyra.
(Muſica divinum munus [1], ſuperûmque voluptas, [9]
Illa levat curis pectora, corda domat.
Siqua fides priſcis, & ineſt ſimul orbibus altis
Muſica quæ poſſit vel recreare deos;
Et quid agant animæ cœleſtes, id mihi tantùm
Scire datur, *Quod ament, perpetuòque canant* [2],)
Poſtea dulciſonis quis junxit carmina nervis,
Et celebrare dedit Martia facta virûm.
Et ne cui poſſint veteres fortaſſe videri
Ingenii palmam præripuiſſe novis:
Quis tandem medium [3] naturæ totius audax
Conſtituit ſolem; ſic docuitque viros:

1 *Muſica divinum munus*] Βεγτοῖς ἥδιϛον ἀείδειν. Muſæus apud Ariſt. Polit. Lib. VIII.

2 *Quod ament, perpetuòque canant*] Juvat hic pulcherrimos Joannis Miltoni verſus deſcribere, quos ille admodum juvenis concidit:

Nos etiam patrium tunc cum repetemus Olympum,
Æternæque moræ ſtabunt immobilis ævi,
Ibimus auratis per cœli templa coronis
Dulcia ſuaviloquo ſociantes carmina plectro
Aſtra quibus geminique poli convexa ſonabunt.

3 *Quis tandem medium*] Is erat Nicolaus Copernicus, patria Boruſſus Canonicus Warmienſis, qui Ariſtarchi Samii ſententiæ accedens, terram mobilem, ſolem in medio univerſi immobilem conſtituit. Hunc Tycho *Alterum Ptolemæum, & incomparabilem Aſtronomum* vocat in Epiſtolis. Ejus hypotheſis partim ex Ariſtarchi Samii, ut diximus, partim ex Philolai Pythagorici, Heraclidis Pontici, & Ecphanti hypotheſibus conflatur; & Ptolemæanâ probabilior jam pleriſque videtur.

Scilicet hunc circum flammantia ſidera cœli,
Cum terra & luna rite moveri & agi:
Interea Phœbum nulla gaudere quadriga,
Aſt uno immotum ſe retinere loco.
Quis vitreis oculis queis Lyncas vincere poſſit,
In cœlo potuit ſigna videre nova:
Et mortalis adhuc factus conviva deorum,
E cœlo retulit quæ ſuperâre fidem.
Gentibus oſtendit propria non luce micare[1],
Et ſervire ſuo ſidera multa Jovi.
Congeriem aſtrorum viſendam nocte ſerena
Eſſe hanc, quæ priſcis *Lactea* dicta *via* eſt[2]: [10]
Luſtravit lunæ orbem, ubi vidit flumina, montes,
Immenſoſque lacus, oppida, caſtra, domos:
Aut vidiſſe ſibi viſus fuit; (omnia nolo
Vera putes, retulit quæ bonus ille ſenex[3].)
Quis longoque tubo[4] fabricato ex ære rigenti
Ipſa imitari auſus fulmina dira Jovis;

Immiſit

1 *Propria non luce micare*] Dubitatum eſt antiquitus, Lunane ſua an aliena luce fulgeret: id conſtat ex Lucretii verbis Lib. V.

Lunaque ſive notho fertur loca lumine luſtrans,
Sive ſuam proprio jactat de corpore lucem.

At Cicero in Somnio Scipionis de hoc ſidere rectè ſcribit: *Ex quibus*, inquit, *erat minima, quæ ultima cœlo, citima terris, luce lucebat aliena. Hæc ſolis diſcipula obſequitur curſibus ſupernis, diſpenſat lumen, ideoque ſemper eſt inſtabilis.* Galilæus extra omnem dubitandi aleam poſuit, lunam & planetas corpora eſſe opaca, & reflexo ſolis lumine ſplendere.

2 *Lactea dicta via eſt*] Vide Ariſt. Meteor. Lib. I. cap. 8.

3 *Senex*] Galilæus Galilæi Florentinus, *ſiderens nuncius, magna longeque admirabilia ſpectacula pandens, ſuſpiciendaque proponens, maximè philoſophis atque Aſtronomis, quæ perſpicilli nuper a ſe reperti beneficio ſunt obſervata facie lunæ.* Leo Allatius in Apibus Urbanis.

4 *Quis longoque tubo*] Is fuit Bartolus Swartz, ſeu Niger, ut a nonnullis vocatur, natione Germanus, profeſſione monachus, & Chymiſta, qui cum vim pulveris ſulphurei ex ſcintilla ignis (quæ fortè ſilice excuſſa in eum inciderat) percepiſſet, machinam mox ferream fabricavit, pulverem Bombardicum aptavit, & globulus injec-

tor

Immiſit ſævos ſtans eminus urbibus ignes,
Mœnia disjecit, quæ modo adiſſe nefas.
Et quis Magnetis [1] primus miracula pandit, [11]
(Certior hic nautis quam Cynoſura ſalus.)
Orbis quis factus ſolis comes æquore toto
Diviſos veteri repperit orbe novos [2].
Et quis adinvenit vitalem in corpore ſuccum [12]
Per venas ferri [3] more fluentis aquæ.

jectos ejecit. Factum hoc circa annum Chriſti 1340. nam anno 1354 in Danico mari, & ante illud tempus anno nimirum 1342. in Algazira Maurorum urbe in uſu fuerunt Bombardæ, ut ex Mariano teſtatur Seth. Calviſius ad eum annum. Vide Munſteri Coſmographi. Lib. III.

1 *Et quis Magnetis*] Joan. Gira Amalphenſis invenit, teſte Blancardo miram illam Magnetis proprietatem, qua ad polum ſemper convertitur, unde quidam cecinit,

Prima dedit nautis uſum Magnetis Amalphis.

Gul. Gilbertus Gloceſtrienſis Med. Doctor de Magnetis natura & uſu optimè ſcripſit, qui tamen Joſ. Scaligero *magis doctrinam ſuam, quam Magnetis naturam probavit.* In Epiſt. Lib. II. ep. 200.

2 *Repperit orbe novos*] Quod factum eſt à Chriſtoph. Columbo Anno D. 1492. Adeo verum non eſt, quod eſt à Cicerone dictum in Oratione tertia in Verrem, dum ait, *Eſt autem modo locus intra oceanum jam nullus, neque tam longinquus, neque tam reconditus, quo non per hæc tempora noſtrorum hominum libido iniquitaſque pervaſerit*: Siquidem Hiſpanorum libido iniquitaſque ulterius pervaſit. Senecæ verba quæ in ejus Medea extant, præterire non poſſum, cum ejuſmodi ſint, ut illis hanc novi Orbis detectionem multis auctor prædixiſſe videatur:

Venient annis
Secula ſeris, quibus oceanus
Vincula rerum laxet, & ingens
Pateat tellus, Typhuſque novos
Deteget orbes, nec ſit terris
Ultima Thule.

3 *Per venas ferri*] Hic eſt ille Celeberrimus Gul. Harvæus, qui ut Hobbeſius ſcribit, *Scientiam humani corporis, Phyſicæ partem utiliſſimam, in libris ſuis de motu ſanguinis, & de Generatione Animalium, mirabili ſagacitate detexit & demonſtravit*: R. R. *Jacobi Carolique medicis primarius; ſolus (quod ſciam) qui doctrinam novam ſuperata invidia vivens ſtabilivit.* In Præf. ad Elem. Philoſoph. Sect. I. *De Corpore.* Sunt tamen qui Platoni (τὸ αἷμα τὸ φερεφλοιον ſanguinem vocanti,) in primis Salomoni (Vide Eccleſ. XII. 6.) *Sanguinis Circulationem* cognitam fuiſſe putent. Sunt alii qui Britannus hanc laudem invidentes Paulo Sarpio Veneto tribuunt.

Cujus palma fuit liquido monſtraſſe metallo,
Quæ cœli facies quoque futura die;
Certiùs Heſperium quam ſi ad mare nubila ſurgant,
Occidat aut Phœbus ſi rutilante coma.
Quis potuit felix demum reperire ſpecilla,
(Inventis ſummis annumeranda virûm)
Quæ dant luminibus vires, refoventque ſenectam,
Et faciunt doctis non nimis eſſe gravem.
Denique cujus erat commentum machina parva,
Ut volitet tempus quæ bene ſæpe monet;
Seu ſol ſplendeſcat, ſeu nubibus ora recondat,
Sive domi fueris, ſeu modo carpis iter,
Nocte dieque refert vel non poſcentibus horam,
Pervigiles recreans blandula ſæpe ſono.
Has & quas alias quiſque olim invenerit artes,
Et quæ vitæ hominum commoda quiſque tulit,
Æternis ſignata libris monumenta virorum
Pandunt, & ſeclis cuncta legenda ferunt.
(Arſque, Syracuſius [1] qua ſaxa ingentia torquens [13]
Nunc aciem obrueret, verteret inque fugam;
Nunc, Marcelle, tuas ſuſpenderet aëre naves [2],
Auſus conatus temnere quoſque tuos)

Perdita

[1] *Syracuſius*] Ἀρχιμήδης Ἱέρωνι τῷ Βασιλεῖ συγγενὴς ὢν καὶ φίλος, ut ſcribit Plutarchus in Marcello, *Unicus ſpectator cœli & ſiderum, mirabilium inventor ac machinator bellicorum tormentorum*, ut de eo Livius Lib. XXIV. *Qui Romanos exercitus mechaniis artibus ſæpe proſtravit, ut de eodem* Jul. Firmicus Matheſ. Lib. VI. cap. 3. Floruit anno U. C. DXLI.

Suſpenderet aëre naves] Adeo ut Marcellus dicere ſolitus ſit, ταῖς μὲν ναυσὶν αὐτὸς κυαθίζειν ἐκ θαλάττης Ἀρχιμήδη, ut tradit Plutarchus in vita Marcelli. Vide Cic. de Finib. cap. 9. & in Ver. 6. Val. Max. Lib. VIII. cap. 7. num. 7.

Perdita ſi fuit, heu! cauſa eſt quia juſſerit auctor,
Scripta ut de arte illa litera nulla [1] foret:
Quam voluit, ceu poſteritati inviderat artem,
Vivere ſecum uno, ſecum itidemque mori.
Sphæra inſculpta [2] viri (mandarat ut ipſe) ſepulchro, [14]
Oſſa oſtendebat quo jacuere loco:
At factum hiſtoriis Cicero id niſi fortè notaſſet,
Ignotâ æternùm delituiſſet humo,
Quod mortale fuit: meliori parte vigebit,
Et magni ingenii nomine clarus erit.
LAUDIBUS hiſtoriæ juvat uſque inſiſtere, cujus [15]
A teneris annis captus amore fui.
Hiſtoria eſt rerum cuſtos [3], lux temporum [4], & una
Virtuti in terris [5] qua prope conſtat honos.

1 *Litera nulla*] *Quamvis tantam tamque ſingularem Geometriæ uſum Archimedes ſingularibus exemplis, & admirandis operibus oſtenderit, propter quæ non humana ſed divina ſcientiæ laudem ſit adeptus, hæſit tamen in illa Platonis perſuaſione, nec ullam Mechanicam literam prodere voluit.* Quintil. Inſtit. Lib. I. cap. 10.

2 *Sphæra inſculpta*] *Archimedis ſepulchrum M. T. C. Siciliæ Quæſtor ignoratum à Syracuſanis, cum eſſe omnino negarent, ſeptum undique & veſtitum vepribus & dumetis, ſtudioſè indagavit. Tenebat enim quoſdam Senariolos, quos in ejus monumento eſſe inſcriptos acceperat, qui declarabant in ſummo ſepulchro ſphæram eſſe poſitam cum cylindro. Ergo cum omnia colluſtraret oculis (erat enim ad portas Agraianas magna frequentia ſepulchrorum) animadvertit columellam non multùm è dumis eminentem, in qua inerat ſphæræ figura & cylindri. Immiſſi cum falcibus multi purgarunt & aperuerunt locum. Quò cum patentibus eſſet aditus, in adverſa baſi apparebat epigramma, exeſis poſterioribus partibus verſiculorum dimidiatis fere. Ita nobiliſſima Græciæ civitas, quondam vero doctiſſima, ſui civis unius acutiſſimi, monumentum ignoraſſet, niſi ab homine Arpinate didiciſſet.* Cic. Tuſcul. V. Contigit hoc annis plus minus ducentis poſt mortem Archimedis.

3 *Rerum cuſtos*] Herodotus hiſtoriæ parens hiſtoriam ſuam ſic orditur: Ἡροδότου Ἁλικαρνασσέος ἱστορίης ἀπόδεξις ἥδε· ὡς μήτε τὰ γενόμενα ἐξ ἀνθρώπων τῷ χρόνῳ ἐξίτηλα γένηται, μήτε ἔργα μεγάλα τε καὶ θωμαστά, τὰ μὲν ἐν Ἕλλησι, τὰ δὲ ἐν βαρβάροισιν ἀποδεχθέντα ἀκλεᾶ γένηται. Hunc imitatus Diod. Siculus Lib. I. cap. 2. Τὰ μὲν

Carpitur in vivis virtus, poſt funera tandem
Sublata ex oculis incipit illa coli.
Verum quod vivat, quod commemoretur in ævum,
Ipſa coli ut poſſit, debet id hiſtoriæ.
Præſidet hæc rebus geſtis, totumque per orbem
Libera de cunctis judicat illa viris.
Ipſa probat, laudatque ſimul bene geſta virorum,
Impiaque infami ſtigmate facta notat.

HAC

μὴν ἄλλα μνημεῖα διαμένει χρόνον ὀλίγον, ὑπὸ πολλῶν ἀναιρούμενα φειδόσεων. ἡ δὲ τῆς ἱστορίας δύναμις ἐπὶ πᾶσαν τὴν οἰκουμένην διήκουσα, τὸν πάντα τ' ἄλλα λυμαινόμενον χρόνον ἔχει φύλακα τῆς αἰωνίου φιλοδόξεως τοῖς ἐπιγινομένοις.

4 *Lux temporum*] *Hiſtoria teſtis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magiſtra vitæ, nuncia vetuſtatis.* Cic. de Oratore Lib. II. *Hiſtoria ſi adſit, ex pueris facit ſenes; ſin abſit, ex ſenibus pueros.* Lud. Viv. de Trad. diſcipl. Lib. V. Hiſtoriæ laudes habes apud Niceph. Gregoram in principio Hiſt. Rom. atque alios Scriptores plurimos, maximè Polybium, Lib. I.

5 *Virtuti in terris*] Τοῦτο δὲ ἄκεσμα ἐφήμερον τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος, καὶ φθιερόμενον ταχὺ καὶ ἀπολλύμενον καὶ ἀπορρέον, τῇ μνήμῃ σώζει, καὶ τὰς ἀρετὰς φυλάττει, καὶ τὰς πράξεις ταῖς δόξαις ἀθανάτους ποιεῖ. Max. Tyr. Diſſert. XII. Διὰ ταύτας μὲν δὴ τὰς αἰτίας, ἔδοξε μοι μὴ παρελθεῖν καλῶς ἰσοείαν ἐγκαταλειφθεῖσαν ὑπὸ τῶν πρεσβυτέρων ἀμνημόνευτον, ἧς ἀκριβῶς γραφείσης συμβήσεται τὰ κράτιστα καὶ δικαιότατα τῶν ἔργων· τοῖς μὲν ἐκπεπληρωκόσι τὸν ἑαυτῶν βίον ἀνδράσιν ἀγαθοῖς, δόξης αἰωνίου τυγχάνειν, καὶ πρὸς τῶν ἐπιγιγνομένων ἐπαινεῖσθαι, ἃ ποιεῖ τὸν θνητὸν φύσιν ὁμοιοῦσθαι τῇ θείᾳ, καὶ μὴ σωματοθνήσκειν αὐτοῖς τὰ ἔργα τοῖς σώμασι· τοῖς δὲ ἀπ' ἐκείνων τῶν ἰσοθέων ἀνδρῶν νῦν τε ὄσι, καὶ ὕστερον ἐσομένοις, μὴ τὸν ἥδιστον τε καὶ ῥᾴστον αἱρεῖσθαι τὸν βίον, ἀλλὰ τὸν ἀγενέστατον καὶ φιλοτιμώτατον, ἐνθυμουμένοις ὅτι τὸν ἐπιφόρους καλὰς τὰς πρώτας ἐκ τῶν γένους ἀφορμὰς, μέγα ἐφ' ἑαυτοῖς φρονεῖν, καὶ μηδὲν ἀνάξιον ἐπιτηδεύειν τῶν προγόνων. Dion. Halicar. Lib. I. cap. 6.

HAC pœnas sævi post fata dedere tyranni,
Defuncti reges hac viguere boni:
Et quibus extiterit sua forsan iniquior ætas,
Hos illaudatos non sinit esse diu.
Qui sanctos simulant, & maxima crimina patrant,
Confodit, & larvam detrahit hisce malam.
Et laudat, culpatque odio procul omni & amore,
Digna hæc dat meritis præmia cuique suis.
Historiam talem mihi visus tradere seclis
CLARENDONUS erat, nobilis ille Comes,
Veri cultor, amans & servantissimus æqui,
Alter Aristides justitiâ, exilio.
Hunc neque prosperitas unquam corrumpere mollis,
Nec sors læta minùs frangere visa fuit.
Gloria magna viri, annumerasse nepotibus ANNAM,
(Tempora cui certè nulla tulere parem:)
Ast ANNAM docuisse sacram feliciter artem
Qua regat hæc populum, gloria major erat.
Pro veris qui falsa dabit [1]; me judice, nunquam
Historici sacro nomine dignus erit.
Audeat historias falsas qui condere, culpam
Admittit, cui sit debita pœna gravis.
Qui falsa excudet, quamvis se pœnitet acti,
Attamen ille nocet, dum mala scripta manent.

Non

1 *Pro veris quì falsa dabit*] Historiæ lex est optima, quam Lucianus in eo quem de historia scribenda libro posuit, παρρησιάζεσθαι καὶ ἀληθεύειν: id tamen ipsum ante illum dixit Cicero II. de Oratore: *Quis nescit*, inquit, *primam esse historiæ legem, ne quid falsi dicere audeat; deinde ne quid veri non audeat: ne qua sit in scribendo gratiæ suspicio, ne qua simultatis.* Vide Plin. Lib. VII. Epist. 33.

Non ego quæ Jovius [1] mendacia, quæque Varil-
Scripſere, auctorum morte luenda reor: (las [2] [16]
Nec quæ Virgilius Polydorus [3] ſcripſit ineptè
De rebus noſtris, in quibus hoſpes erat:
Quod livore malo ducti, aut mercede pudenda,
Auſi ſint famam dilacerare bonis.
At ſi vera quidem hiſtoria eſt, ſi denique caſta,
Scriptori & viſa eſt nulla deeſſe fides:
Delectat, quocunque modo ſit ſcripta [4], nec ulla eſt
Ferme, quæ non ſit facta docere ſimul. [5] [17]

Conſilia

1 *Jovius*] Paulus Jovius Italus, Epiſcopus Nucerinus. *Cum rogaretur Jovius*, inquit Joan. Bodinus (in Methodo Hiſtoriæ cap. 4.) *cur ſimularet falſa, vera diſſimularet? Amicorum gratia id à ſe factum reſpondit.* Lipſii de eo judicium habes notis ad Lib. I. Politic.

2 *Varillas*] Gallus, ſcriptor mendaciſſimus noſtri temporis, & ſuprà quàm dici poteſt ineptus. Hujus mendacia Reverendus Epiſcopus Sarisburienſis ſatis detexit, & auctorem omnibus deridendum propinavit.

3 *Polydorus*] *Erat certè Polydorus* (ut de eo ſcribit Balæus) *ob erudita illa de Rerum Inventoribus, ſacrorum ritibus, & Prodigiis Opuſcula, ab ipſis etiam piis ſuſpiciendus.* De Script. Britan. Cent. XIII. At hiſtoricus parum fidus, de quo Clariſſ. viri D. Hen. Savilii illud eſt judicium: *Polydorus*, inquit, *ut homo Italus, & in rebus noſtris hoſpes, & (quod caput eſt) neque in republica verſatus, nec magni alioqui vel judicii vel ingenii, pauca ex multis delibans, & falſa plerumque pro veris amplexus, hiſtoriam nobis reliquit cùm cætera mendoſam, tùm exiliter ſanè & jejunè conſcriptam.* Præfat. ad Rer. Anglic. Scriptor. Vide Franc. Godwin. in Præfat. ad Annales. De illo exſtat Oweni epigramma:

Virgilii duo ſunt: alter Maro; tu, Polydore,
Alter; Tu mendax, ille poeta fuit.

4 *Delectat, quocunque modo ſit ſcripta*] *Orationi enim & Carmini eſt parva gratia, niſi eloquentia ſit ſumma: hiſtoria quoquo modo ſcripta delectat.* Plin. jun. Epiſt. Lib. V. ep. 8. Σωκλόντι ὃ ἐπῶ, ὅτι καθ' ἱστορίαν λόγοι τῷ μὲν ἀνηκόῳ τερπνότατον καθ' ἡδονὴν, τῷ δ' εἰδότι ἐπαγωγότατον κατὰ τὴν ἀνάμνησιν. Max. Tyr. Diſſ. XII.

5 *Facta docere ſimul*] *Nec vero ſum inſcius, eſſe utilitatem in hiſtoria, non modo voluptatem.* Cic. de Fin. Lib. V. cap. 19. Ἱστορία ξυμφερτὴ σοφία, πολλῶν τε νόων, S. Greg. Naz. in Carm.

Consilia hæc regum pandit, varioſque labores,
Et quos eventus[1] cuncta habuere notat.
Præcipuè oſtendit, potuit Deus ut bona multa
Ex hominum factis elicuiſſe malis:
Ut regat is ſapienter cuncta ab origine mundi,
Temporibus cunctis ſervet ut ille ſuos.
Niliaco domino Joſephus venditur, inde
Joſephus multis cauſa ſalutis erat.
Excitat in Chriſti plebem Judæa tyrannos,
Gentibus hinc ſparſum lumen in orbe fuit.
Sanguine ſe innocuo ſanctorum polluit orbis,
Sanctorum ſan guis is quoque ſemen erit.
Denique ſæpe mali docet ut tolluntur in altum,
Lapſu præcipites ut graviore ruant.
Qui legit hiſtorias, huic experientia creſcit[2],
Illis edocto multa cavere mala.
Exempla ad magna in primis[3] ſe effingit, & ipſe
Olim facturus plurima digna legi.

Qui

1 *Et quos eventus*] Οὐχ ἧττον δεῖ φροντιστέον τῆς αὐτῆς πράξεων ἡγεμόνος, ὅτε τοῖς γράφουσιν, ὅτε τοῖς ἀναγινώσκουσι τὰς ἱστορίας, ὡς τῶν πρότερον, καὶ τῶν ἅμα, καὶ τῶν ἐπιγινομένων τοῖς ἔργοις. Ἱστορίας γὰρ ἐὰν ἀφέλῃ τις τὸ διὰ τί, καὶ πῶς, καὶ τίνος χάριν ἐπράχθη, καὶ τὸ πραχθὲν πότερον ἔυλογον ἔχει τὸ τέλος, τὸ καταλειπόμενον αὐτῆς, ἀγώνισμα μόνον, μάθημα ὃ ἐγένετο· καὶ παραυτίκα μὲν τέρπει, πρὸς ὃ τὸ μέλλον ἐδὲν ὠφελεῖ τὸ παράπαν. Polyb. Hiſt. Lib. III. 31.

2 *Huic experientia creſcit*] Et quidem optima, quæ nempe non ex tuis, ſed alienis venit infortuniis: jure igitur merito dixit Polybius Καλίστω παιδείαν πρὸς ἀληθινὸν βίον, τὴν ἐκ τῆς πραγματικῆς ἱστορίας παραγινομένην ἐμπειρίαν. Hiſt. Lib. I. cap. 1.

3 *Exempla ad magna in primis*] *Hoc illud eſt præcipuè in cognitione rerum ſalubre ac frugiferum, omnia te exempli documenta in illuſtri*

Qui legit acta virûm, ſit prudens inde neceſſe eſt,
  Sæpius ex illis multa futura ſciet:
Non quæ fortè Tages, vel quæ cecinere Sibyllæ,[18]
  Sed rebus quæ mens extrahat ipſa ſibi:
Nam dum præteritis prudens præſentia confert,
  Ipſe futurorum ſic quoque gnarus erit.
Sic optare puer ſolitus ſum ſæpius: O ſi
  Illis temporibus vivere contigerat,
In quibus aut Cicero, aut rigidi vixere Catones,
  Aut clara illa Dei Paulus in orbe tuba!
Nam miratus eram ſemper mentemque fidemque,
  Quæ in priſcis illis emicuere viris:
At quoniam in ſcriptis mihi fas audire loquentes
  Priſcos, illorum colloquioque frui;
Et quia dulce animo eſt, percurrere ſecula mundi,
  Et veluti cunctis vivere temporibus;
(Cognitio priſcis licet illis certior eſſet
  Rerum, inventa illis multa fuere licet;
Latior at nobis campus patet hiſtoriarum,
  Geſta in mundo ætas pluraque noſtra legit;

Quæ

ſtri poſita monumento intueri, inde tibi tuæque reipublicæ quod imitere capias: inde fœdum inceptu, fœdum exitu, quod vites. Liv. in procem. ad Lib. I. Hiſt. Rom. *Ex his negotiis, quæ ingenio exercentur, in primis magno uſui eſt memoria rerum geſtarum. Nam ſæpe ego audivi præclaros viros noſtræ civitatis ſolitos ita dicere, cum majorum imagines intuerentur, vehementiſſimè animum ſibi ad virtutem accendiſſe: Non ceram illam, neque figuram tantam vim in ſe habere: ſed memoria rerum geſtarum eam flammam egregiis viris in pectore creſcere; neque priùs ſedari, quam virtus eorum, famam atque gloriam adæquaverit.* Saluſt. in bello Jugurth. Scilicet veriſſimum eſt, quod laudatiſſimus auctor Polybius ſcribit initio hiſtoriæ ſuæ: Διὰ τὸ μηδεμίαν ἑτοιμοτέραν εἶναι τοῖς ἀνθρώποις διόρθωσιν, τῆς τῶν προγεγενημένων πράξεων ἐπιστήμης. Ergo liceat mihi juventutem Claudiani verbis alloqui:

Interea muſis animus dum mollior inſtet,
Et quæ mox imitere legas, nec deſinat unquam
Tecum Graia loqui, tecum Romana vetuſtas:
Antiquos evolve duces. De IV. Conſ. Honorii.

Quæ perſpecta minùs priſcis, ea cognita nobis,
Extant & noſtris multa reperta viris;
Quinetiam nobis veterum experientia lucro eſt;
Hæc ego dum tacitè mente revolvo mea:)
Ipſe Deo grates ago; nec mihi fœcibus omnis
Ævi adeo naſci diſplicuiſſe ſolet.
Plurima quæ cecinit quondam ventura vetuſtas,
Infelix ætas edita noſtra videt.
Queis bene perpenſis ſapiens, mutatio rerum
Quæ ſit in orbe citò fortè futura, ſciet.
Magna Dei noſtri eſt patientia; tempore plebis
Afflictæ gemitus audiet ille ſuæ.
Certa en! ſera licet ſequitur vindicta tyrannos;
Innocui Dominus ſanguinis ultor erit.
Si liber eſt cœlum,(namque id docuere magiſtri,[1])[19]
Sideribus claris cunctaque ſcripta manent:
Sidera qui poſſit legere, huic ſimul omnia in orbe
Quæ ſunt, quæ fuerint, quæque futura patent:
At cum ſiderei ſcripti rariſſimus extet
Lector, & incertum talis an ullus erat;
Iſta relinquentes ſenibus, qui cœlo & in aſtris,
Quæ ſibi confinxit mens maleſana, vident;
Munera nos canimus tabulis, nitidaque papyro
Lectori cuivis quæ pia ſigna dabunt.
TEMPORIBUS cunctis anteactis vivitur illis
Ipſa vetant vitæ de brevitate queri.
His veterum turbæ ſe immiſcet doctus, & audit
Nunc Samiumque ſenem, nunc & Ariſtotelem.

Nunc

1 *Magiſtri*] Rabbini, quorum in hac parte vanam ſuperſtitionem depingit doctiſſ. Gafarellus, libro *De inauditis Curioſitatibus* Gallicè conſcripto.

Nunc Senecæ [1] alloquio fruitur, nunc, Marce diſerte [2],
Totus mellifluo pendet ab ore tuo.
Quem fueraſque ſupra mortalem credere viſus,
Volvere præ reliquis ſcripta Platonis [3] amat.
Sæpe libenter adit Plutarchum [4] illum, inclyta Roma
Quem vocat [5] ipſa ſuum, Græcia quemque ſuum.
Suſpicit

1 *Senecæ*] *Senecæ & multæ & magnæ virtutes fuerunt, ingenium facile & copioſum, plurimum ſtudii, multarum rerum cognitio, in qua tamen aliquando ab iis, quibus inquirenda quædam mandabat, deceptus eſt.* Et mox; *In philoſophia parùm diligens, egregius tamen vitiorum inſectator fuit. Multæ in eo claræque ſententiæ, multa etiam morum gratia legenda: ſed in eloquendo corrupta pleraque.* Quintil. *Vir excellentis ingenii atque doctrinæ.* Columel. de Re Ruſt. Lib. III. cap. 3. *Laudatiſſimus inter omnes veteres ſcriptor & virtutis ſtudio pæne Chriſtianus.* Lipſ. in Epiſt. ad Paul. V. P. R. Vide Tacit. Annal. Lib. XIII. & Plin. H. N. Lib. XIV. cap. 4.

2 *Marce diſerte*] Fuit ille teſte S. Auguſtino *Romani maximus auctor eloquii.* De C. D. Lib. XIV. cap. 18. *Non tantum perfectus Orator, ſed etiam philoſophus fuit, ſiquidem ſolus extitit Platonis imitator.* Lactant. Inſtit. Lib. I. Denique qui, Quintiliano judice, *non immeritò ab hominibus ſuæ ætatis regnare in judiciis dictus eſt: apud poſteros verò id conſecutus, ut Cicero jam non hominis, ſed eloquentiæ nomen habeatur.* Addit, *Hunc igitur ſpectemus; hoc propoſitum nobis ſit exemplum: Ille ſe proficiſſe ſciat, cui Cicero valdè placebit.* Inſt. Orat. Lib. X. cap. 1. Vide notas infrà ad num. [23]

3 *Platonis*] *Quis uberior in dicendo Platone? Jovem ſiquidem aiunt philoſophi, ſi Græcè loquatur, ſic loqui.* Cic. in Bruto. *Ariſtoteles longè omnibus, Platonem ſemper excipio, præſtans ingenio & diligentia.* Idem Tuſc. Quæſt. Lib. I. *Philoſophorum, ex quibus plurimum ſe traxiſſe eloquentiæ M. Tullius confitetur, quis dubitat Platonem eſſe præcipuum, ſive acumine diſſerendi, ſive eloquendi facultate divina quadam & Homerica? Multùm enim ſupra proſam orationem, & quam pedeſtrem Græci vocant, ſurgit: ut mihi non hominis ingenio, ſed quodam Delphico videatur oraculo inſtinctus.* Quintil. Lib. X. cap. 1. *Plato ille ſublimis apex philoſophorum & columen.* Arnob. Lib. I. *Plato ille divinus multa de Deo digna, nec communia ſentiens multitudini.* Idem Lib. II.

4 *Plutarchum*] *Plenus eſt auctor ille rerum, plenus monitorum ad virtutem.* Lud. de Viv. De Trad. Diſcipl. Lib. V. *Plutarchus totius ſapientiæ ocellus.* Scaligerana I. Theodorus Gaza interrogatus, ſi omnes libri perdendi eſſent, & ipſi optio daretur, quem ſervatum vellet: reſpondit, *Plutarchum.*

5 *Inclyta Roma quem vocat*] Natione enim Græcus cum eſſet, in imperio tamen Romano munia publica obivit, & à Trajano Conſulari dignitate ornatus eſt.

Suſpicit at nullos auditve libentius ille,
Quàm quos commendat cum pietate fides:
Qui ſua divinis dum fontibus ora rigarent,
Tam dulces latices inde dedere pii.
Quorum ego ſi tenui celebrarem carmine laudes,
Sentio jam ſatiùs me tacuiſſe foret.
Grandia non temere tibi ſunt, mea muſa, canenda,
Ne Phaëthonteas tu patiare vices.
Hoc tantum vatum minimo concedite, docti,
Ut narrem ſummè qui placuere mihi.
A teneris placuit nobis Ignatius [1] annis,
Cujus ſcripta manent martyre digna Dei:
Sic ſemper ſpirant pietatem, ſemper amorem,
Ingens Præſulibus ſcripta futura decus.
Semper erit vindex Ignatius ordinis ejus,
Supremum in ſacris quem dedit eſſe Deus.
Vox eſt nota viri de noſtræ auctore ſalutis:
En meus eſt [2], dixit flens, *crucifixus amor.*
Poſt illum placuere mihi duo lumina noſtræ
Militiæ, (& ſemper ſint placitura precor,)
Alter erat magnus Chryſoſtomus [3], aurea lingua
Cui fuit, & populi flectere corda potens;

Nil

1 *Ignatius*] Vir ſanctiſſimus, qui, teſte Chryſoſtomo, cum Apoſtolis familiariter vixit, & à D. Petro, (διαδοχῆς τὸ μεγάλου Πέτρου δεξιᾶς, ut loquitur Theodoretus) Epiſcopus Antiochenus conſtitutus eſt. Martyrio coronatus An. D. CVII.

2 *En meus eſt*] Ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται. Epiſt. ad Romanos.

3 *Chryſoſtomus*] Ὁ μέγας τῆς οἰκουμένης φωστὴρ, ὁ χρυσοῦς τὸ γλῶττα. **Theophylact.** in Matt. XVIII. Ἅπασαν γὰρ Ἰουδαϊκὴν γεαφὴν καὶ Χειρογράφου ὑπεμνημάτισεν ὡς ἄλλος τις. Et mox dicit, τὸ γλῶσσαν αὐτοῦ καταῤῥῆξαι, ὑπὲρ τοὺς Ναζιραίους καὶ ἀῤῥάκτους. ἐδόκει δὲ τοῦ ἀπ' αἰῶνος τοιαύτην ἀνατρέψειν λόγων ἀνατροπήν. Suidas, quem vide; itemque **Phot. Biblioth. Cod. CLXXII.** & Iſidor. Peluſ. Lib. II. epiſt. 42.

Nil mortale ſonans, ſermo dulcedine nectar [1],
Ambroſiam, Hyblæos exſuperanſque favos:
Juſtus & intrepidus, quem nec moviſſe potentum
Blanditiæ à recto, nec potuere minæ.
Thaſcius alter erat Cyprianus [2], nobile lumen
Qui fuit, & fuſo ſanguine Martyr obit.
Ille novæ Antiſtes Romæ, hic Carthaginis altæ,
Quæ rerum dominæ urbs æmula ſola fuit.
Vita inculpatus, morumque ſeverus uterque
Cenſor erat, fidus Paſtor uterque gregis.
Inter Chriſticolas memorabile nomen habebit,
Æternùm in ſcriptis vivet uterque ſuis.
In pretio mihi ſemper erat par nobile vatum,
Quos clara ingeniis Hiſpalis alta tulit:
Scilicet altiſonans Prudentius [3], atque Juvencus [4],
Muſa diſerta viro caſtaque utrique fuit.

Carmine

1 *Sermo dulcedine nectar*] *E cujus ore melle dulcior fluebat oratio.* Sic Cicero de Neſtore Lib. *De Senectute.*

2 *Cyprianus*] *Magnum quidem meritum novimus Cypriani Epiſcopi & Martyris.* S. Auguſt. De bapt. Lib. II. *Inſtar fontis puriſſimi lenis inceſſit & placidus.* S. Hieron. ad Paulinum. *Unus igitur præcipuus & clarus extitit Cyprianus, quoniam & magnam ſibi gloriam ex artis Oratoriæ profeſſione quæſierat; & admodum multa conſcripſit in ſuo genere miranda. Erat enim ingenio facili, copioſo, ſuavi, & (quæ ſermonis maxima eſt virtus) aperto: ut diſcernere nequeas, utrumne ornatior in eloquendo, an facilior in explicando, an potentior in perſuadendo fuerit.* Lactant. Inſt. Lib. V. *Non alium video inter eos, qui Latinè ſcripſerunt, qui ad Apoſtolici pectoris vigorem propiùs accedat: ubique ſentias paſtorem loqui, ac Martyrio deſtinatum.* Eraſm. Epiſt. Lib. II. ep. 18. Vide Caſſiod. Divin. Lect. cap. 19. Evagr. Hiſt. Eccleſ. Lib. IV. cap. 16. Fuit Cypriani Tertulliani admirator in primis, adeo ut cum Tertulliani libros poſceret, *Da Magiſtrum*, diceret.

3 *Prudentius*] Poeta Chriſtianus, vel Joſ. Scaligero judice, *elegantiſſimus: Quo*, ut Barthii verbis utar, Adverſar. Lib. VIII. cap. 11. *nemo divinius de Chriſtianis rebus unquam ſcripſit.* Uti & Eraſmi; *Tantum ſpirans tum ſanctimoniæ, tum ſacræ eruditionis, ut mereatur inter graviſſimos Eccleſiæ Doctores annumerari.*

4 *Juvencus*] *Sacerdos Hiſpanicus, nobili genere natus, Conſtantini Magni*

Carmine perpetuo canit hic miracula Chriſti,
Atque per omne ævum dat relegenda piis:
Martyras ille canit moriendoque parta tropæa,
Obſtruit æternùm, Symmacheque, ora tibi.
Omnia quis ſperet, quæ ſigna dedere verenda
Munera concludi carmine poſſe brevi?
ALLOQUIMUR nondum natos, ſeroſque nepotes [20]
Paucis quæ vincant marmora cuncta notis:
Poſteritati omni inſerimur [1], cui ſæpe ſepulti
Conſilia in ſcriptis optima quæque damus.
Signa ſacra ut nobis dant conſultoribus uti,
Qui nec adulantur, ſed nec habent odio:
Sic dant alloqui eos tolerant qui vera loquentem,
Rectum de nobis judiciumque ferent.
Nam quos preſſere invidia ſua tempora vates,
Serior eſt ætas viſa adamare magis.
Scilicet haud multis ſunt grata fidelia dicta,
Dum vivit monitor qui dedit illa bonus.
Ergo ego ſi poſſem tenui prodeſſe labore,
Alloquerer ſcriptis poſtera ſecla meis.
Degeneres mores, & peſſima tempora flerem
Quæ vidi, cunctis tempora plena malis:
Impia cum totum ferverent bella per orbem,
Quæ furiis actus moverat unus homo [2],
Dicere ſi hunc hominem liceat, qui deſtruit urbes,
Quas ſervaturus barbarus hoſtis erat.
Et cui mortales ſit perdere ſæva voluptas,
Monſtrum ex quo natus dente minace fuit.

Magni temporibus. Scripſit quatuor Evangelia hexametris verſibus, pœne, ut ait Hieronymus, ad verbum transferens. Lil. Gyrald. de Poet. Dial. V.

1 *Poſteritati omni inſerimur*] *Optimus quiſque maximè poſteritati ſervit.* Cic.

2 *Unus homo*] Ludovicus XIV. Gallorum tyrannus.

Qui Chriſti ſancto inſignitus nomine [1] tantùm,
Sæpe eſt aggreſſus Chriſti abolere gregem:
Hoſtibus [2] & Chriſti juratis fœdere junctus [3]
Contra Chriſticolas arma nefanda tulit.
Cujus facta docent, quod juſtitiamque, fidemque,
Et pietatem ipſam nomina vana putet.
Conquererer de diſſidiis in Relligione,
Hoſtis quæ ſeruit, jam refovetque vafer:
Precipuè quæ inter fratres [4] fera bella geruntur,
Unum quos decuit cor, velut una fides.
Nunc Chriſti ſponſæ lugerem triſtia fata,
Quæ fuit à natis tot mala paſſa ſuis.
Nunc memorarem illis mandata noviſſima Chriſti,
Ad pacis ſtudium pertraheremque pios.
Ut foret illa redux [5], non mille pericla recuſem,
Mille ignominias, mille ſubire neces.
(Qui pacem fugiunt, his relligio perit omnis;
Relligio vera eſt, quæ facit unanimes:)
Quorum non poſſem vivens componere lites,
His etiam moriens conſuluiſſe velim.

Quæ

1 *Qui Chriſti ſancto inſignitus nomine*] *Chriſtianiſſimi* enim titulo ſuperbit, cum ſit Chriſtianorum inteſtiſſimus hoſtis.

2 *Hoſtibus*] Nempe Turcis, quos ut Hungariam invaderent, Viennamque obſidio cingerent, excitavit; illiſque ſuppetias tulit: & adhuc contra Chriſtianos excitare non deſinit. Idem Condæum alioſque viros principes contra Turcas ire volentes adjectis minis prohibuit.

3 *Fœdere junctus*] Non primus: fecerat id ante illum Franciſcus I.

4 *Præcipuè quæ inter fratres*] Hos alloquerer Auguſtini verbis: *Ut moveor, ut doleo, ut timeo! prociderem ad pedes veſtros, fierem quantum valerem; rogarem quantum anarem; nunc unumquemque pro ſeipſo, nunc utrumque pro altero; & pro aliis, & maximè infirmis, pro quibus Chriſtus mortuus eſt, qui vos tanquam in theatro vitæ hujus cum magno ſui periculo ſpectant: nec de vobis ea conſcribendo ſpargatis, quæ quandoque concordantes delere non poteritis, qui nunc concordare nolitis.*

5 *Ut foret illa redux*] *Tædet me planè miſeretque harum turbarum, quibus miſerè agitatur orbis Chriſtianus; utinam vero opis noſtræ foret, illas, non duo verò, ſuſpiriis, lachrymis, ſed quovis aut ſudore aut ſanguine demum ſedare.* Rev. Joſ. Hallus Epiſc. Exon. in epiſt. dedicat. ad Henochiſm.

Quæ emendare nefas, olim ipſa notâſſe juvabit,
Crimina me odiſſe hæc ſecla futura ſcient:
(Scribere ſi poſſim quæ poſt mea funera vivant,
Quæ procul invidia ſecla futura legant:)
Me quoque amicitiam ſemper coluiſſe beatam,
Cum multis doctis eximiiſque viris:
Et potuiſſe ſimul, licet haud ſentire viderem
In cunctis mecum rebus, amare tamen.
Denique laudatos tentarem tradere ſeclis,
Qui bene de ſtudiis promeruere meis.
Nunc mea muſa tuo, Comes inclyte, freta favore
Hoc tibi ſacratum condere pergit opus.
Non ego carminibus mihi famam, HERBERTE, pa-
Opto, ſed ſtudiis utilis eſſe volo: (rare
Si placuiſſe tibi poſſint mea carmina, vivent;
Ultima cum non ſit laus placuiſſe tibi.

SOLA hæc ſigna vetant, ne nos oblivio carpat[1], [21]
Cætera cum pereunt, hæc monumenta manent[2].
Poſteritatem aliquando & nos vixiſſe docebunt,
Nomina ſupremis eripientque rogis.
Ingenio valuiſſe nihil, nihil arte fuiſſet,
Ars niſi pingendi verba reperta foret;
Qua ſola mentis proles[3] ſapientia vivit,
Cum mens depoſito corpore ad aſtra redit.

1 *Ne nos oblivio carpat*] *Nos certè tempus hoc futile & caducum ſtudiis proferamus, & quatenus denegatur nobis diu vivere; relinquamus aliquid, quo nos vixiſſe teſtemur.* Plin. jun. Lib. III. epiſt. 2.

2 *Hæc monumenta manent*] *Ingenii præclara monumenta, ſicut animæ, immortalia ſunt.* Salluſt. in Jugurth.

3 *Qua ſola mentis proles*] Plato in Phædone literas vocat ψυχῆς ἢ σοφίας φάρμακον. Varro etiam illarum præſtantiam celebrat in principio librorum ſuorum de Re Ruſtica ad uxorem: Profitetur enim *ſe velle ad eam de hac reſcribere, non ſolum ut ipſe quoad viveret,*

Namque huic debetur, quod & aurea dicta virorum,
Atque bona ingenii non potuere mori:
Irrita priſcorum dum tot molimina regum [1],
Olim cum dominis interiere ſuis.
Fruſtra alii tentent numeroſa vivere prole:
Ingenii proles vivere ſola facit.
Crediderim Inventum non hoc mortale fuiſſe
Humani ingenii, ſed magis eſſe Dei;
Delapſamque artem cœlo, qua nominis omnis
Gloria conſtaret poſt ſua fata viris.
Virgilius [2] vivet, vivet divinus Homerus [3],
Dum pretium ingenio literuliſque manet.

Aſcræi

viveret, quid fieri oporteret, illam moneret, ſed etiam poſt mortem. Neque patiar, inquit, *Sibyllam non ſolum cecinisſe, quæ, dum viveret, prodeſſent hominibus, ſed etiam quæ cum periiſſet ipſa, (& id etiam ignotiſſimis quoque hominibus, ad cujus libros tot annis poſt publicè ſolemus redire, cum deſideramus quid faciendum ſit nobis ex aliquo portento,) me, nedum vivo quidem, neceſſariis meis quod proſit facere.*

1 *Molimina regum*] Pyramides, quas regum Ægyptiacorum tumulos fuiſſe ad illorum memoriam conſervandam, (quod tamen minimè factum eſt) multi ſcriptores tradiderunt. Huc faciunt Lucani verba Lib. IX. ver. 155.

Non mihi Pyramidum tumulis avulſus Amaſis,
Atque alii reges Nilo torrente natabant.

2 *Virgilius*] *Ut apud Græcos Homerus, ſic apud nos Virgilius auſpicatiſſimum dederit exordium, omnium ejus generis poetarum Græcorum noſtrorumque illi haud dubiè proximus.* Quintil. Lib. X. cap. 1. In tamen, ut *propior ſit primo quam tertio*, ut de eo olim Domitius Afer apud Quintilianum. *Homericæ perfectionis per omnia imitator Maro, nullius diſciplinæ expers, & quem nullius diſciplinæ error involvit.* Macrob. in Somn. Scip. Lib. I. cap. 7. Hunc Alexandrum Imp. Rom. *Poetarum Deum*; Cæſarem, *Poetarum Platonem* appellari ſolitos ſcribit Lampridius.

3 *Divinus Homerus*] *Clariſſimum deinde Homeri illuxit ingenium ſine exemplo maximum: qui magnitudine operum & fulgore carminum ſolus appellari Poeta meruit; in quo hoc maximum eſt, quod neque antè illum, quem ille imitaretur; neque poſt illum qui eum imitari poſſet inventus eſt: neque quemquam alium, cujus operis primus auctor fuerit, eo perfectiſſimum, præter Homerum, & Archilochum reperiemus.* Vell. Paterc. Hiſt. Lib. I. In hoc vero fallitur Paterculus, quod Homerum qui imitaretur, nemo ſit inventus, dixerit; cum omnes de

Aſcræi vatis [1], curiſque ingentis Arati [2]
Afferet exitium ſola ſuprema dies.
Carmina dum nervis aptantur, Flacce [3], vigebis;
Heroaſque canens Pindarus altus [4] erit.
In nova qui cecinit mutatas corpora formas,
Omni manſurum tempore nomen habet.
Sublimis doctuſque Maro, ſed Naſo poeta
Ante omnes alios ingenioſus [5] erit.
Quamvis ſæpe calens vino non uſque pudicis [6]
Carminibus luſit Teïus ille ſenex,
Cum Naſone tamen toto cantabitur orbe,
Pectora dum flammis improbus urit amor.

cti fateantur, Virgilium hunc quam feliciſſimè imitatum fuiſſe; multi etiam ſuperaſſe credant. Ego vero Quintiliani ſententiæ lubens ſubſcripſerim, de Homero hæc ſcribentis. *Hunc nemo in magnis ſublimitate, in parvis proprietate ſuperaverit. Idem lætus ac preſſus, jucundus & gravis, tum copia tum brevitate mirabilis: nec poeta modo, ſed oratoris virtute eminentiſſimus.* Inſtit. Orat. Lib. X. cap. 1. *Omnis eruditionis fons & norma ſemper habitus*, ut de eo Caſaubonus Lib. II. de *Satyr. Rom.*

1 *Aſcræi vatis*] *Vir fuit* [Heſiodus] *perelegantis ingenii, & molliſſima dulcedine carminum memorabilis; otii quietiſque cupidiſſimus.* Patercul. Lib. I. Vide Quintil. Lib. X. cap. 1.

2 *Arati*] *Conſtat inter doctos hominem Aſtrologiæ ignarum ornatiſſimis atque optimis verſibus Aratum de cœlo & ſtellis ſcripſiſſe.* Cic. de Orat. Lib. I. Hujus hemiſtichium citat. D. Paulus Act. XVII. Τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν.

3 *Flacce*] *Lyricorum Horatius ferè ſolus legi dignus. Nam & inſurgit aliquando, & plenus eſt jucunditatis & gratiæ, & variis figuris & verbis feliciſſimè audax.* Quintil. Lib. jam laudato.

4 *Pindarus altus*] Pindarus μεγαλορρώτατος & Athenæo audit.

5 *Ingenioſus*] *Laſcivus quidem in Heroicis quoque Ovidius, & nimium amator ingenii ſui: laudandus tamen in partibus.* Quintil. ibid. *poetarum ingenioſiſſimus.* L. Ann. Senec. Nat. Quæſt. Lib. III. cap. 27. Lactantius *Metamorphoſeων libros Opus præclariſſimum* vocat.

6 *Non uſque pudicis*] De Anacreonte ſic canit Ovidius:

Quid niſi cum multo Venerem confundere vino
Præcepit Lyrici Teïa muſa ſenis?

Vivet & Archilochus, ſemperque legentur Iambi
Mordaces [1], vates ſe quibus ultus erat.
Steſichorique graves, ſimul Alcæique Camænæ
Vivent, his quamvis ſors fuit æqua parùm [2].
Pauca licet Cei [3] maneant monumenta poetæ,
Non tamen eripiet mors decus omne viro:
Quatuor inventis celebrabitur ille figuris,
Quæ linguam decorant, Græcia docta, tuam.
Dum Lyricis honor eſt, florebit maſcula Sappho,
Callimachi [4] ſemper fama loquetur opus.
Orpheï [5] non ullo marceſcent tempore laurus,
Teque canente, Bion, ſemper Adonis erit.
Carmine lugubri, lachrimaſque movere potenti
Extinctum flebis, Moſche, Biona tuum.
Herûs qui cecinit [6], juveniſque audacis amores,
Oppoſita urbs Seſto dum ſtet Abydus, erit.
Semper Pleïades [7] Lycophron numerabitur inter,
Sit licet obſcurus [8], non tamen arte caret.

Nicander

1 *Mordaces*] Impuri etiam judicio Origenis cont. Celſ. Lib. III. pag. 125.

2 *Fuit æqua parùm*] Horum enim carmina pœne omnia perierunt.

3 *Cei*] Simonidis; Hunc quatuor literas H, Z, Ψ, Ω. linguæ Græcæ adjeciſſe ſcribit Plinius Lib. VII. cap. 56.

4 *Callimachi*] *Tunc & Elegiam vacabit in manus ſumere, cujus princeps habetur Callimachus.* Quintil.

5 *Orpheï* Qui Θεσμιάδας, ἀοιδᾶν Πατήρ Pindaro audit.

6 *Herûs qui cecinit.*] Muſæus, non antiquus ille ſed longe recentior.

7 *Pleïades*] Sub Ptolemæo Philadelpho Anno ante Chriſtum 283, literarum ſtudio floruerunt Græci quamplurimi; in primis Aratus, Apollonius Rhodius, Theocritus, Lycophron, Nicander, Philicus, & Homerus junior, omnes poetæ eximii, qui quoniam numero eſſent ſeptem, Pleiades dicti ſunt.

8 *Sit licet obſcurus*] Lycophronis *Caſſandram* τὸ σκοτεινὸν ποίημα vocat Suidas. De hoc Statius in Sylvis,

Tenebraſque Lycophronis atri.

Cur

Nicander vivet, vivet doctuſque Serenus,
Dum medicas poſcet languida turba manus.
Ætas nulla ſales aſpernatura Catulli [1],
Neve ulla eſt elegos, blande Tibulle [2], tuos.
Nulla eſt ad Sophoclis [3] non ſurrectura cothurnum,
Euripidi unà cum tempore creſcet honos.
Æſchylus [4] & vivet qui pallam invenit [5] honeſtam,
Edocuit Graios magnificèque loqui.
Quamvis multa boni perierunt ſcripta Menandri [6],
Fama tamen nunquam eſt interitura viri:
Aurea quæ reſtant præclari dicta poetæ,
A ſeclis cunctis cur celebretur, erunt.

Cur autem Lycophron obſcurus fuerit, docebit te doctiſſ. Meurſius in Commentario ad hæc verba, Δυσφάτος αἰνιγμάτων οἶμας.

1 *Catulli*] *Poetarum elegantiſſimi* A. Gellio Noct. Attic. Lib. VII. cap. 20. Quem ego tamen juventutem ne attingere quidem velim: adeo plerumque impurus & obſcænus eſt.

2 *Tibulle*] *Elegia Græcos quoque provocamus, cujus mihi terſus atque elegans maximè videtur auctor Tibullus. Sunt qui Propertium malint.* Quintil.

3 *Sophoclis*] *Tragediæ princeps,* [Sophocles] *cujus gravitas & Cothurnus, & ſonus cæteris multò ſublimior.* Idem.

4 *Æſchylus*] *Æſchylus ſublimis, gravis, & grandiloquus uſque ad vitium; ſed rudis in pleriſque & incompoſitus.* Idem.

5 *Qui pallam invenit*] Sic de illo Horatius:

Poſt hunc perſonæ, pallæque repertor honeſtæ
Æſchylus, & modicis inſtravit pulpita tignis,
Et docuit magnoque loqui, nitique cothurno.

Impietatis nomine damnatus quomodo evaſerit, docet Ælianus Var. hiſt. Lib. V. cap. 19.

6 *Menandri*] *Qui vel unus, meo quidem judicio, diligenter lectus ad cuncta quæ præcipimus efficienda ſufficiat: ita omnem vitæ imaginem expreſſit: tanto in eo inveniendi copia, & eloquendi facultas, ita eſt omnibus rebus, perſonis, affectibus accommodatus.* Quintil. Hujus ſunt quæ à D. Paulo citantur 1 Cor. XV. 33. & *ab Apoſtolo ſanctificata eſſe* non inconcinnè ſcribit Tertullianus, Φεύγειν ἐθὴ χρηϑ' ὁμιλίαι κακαί.

Doctus Ariſtophanes [1], cultuſque Terentius [2] Afer.
Ennius [3] æternùm vivet in ore virûm.
Donec erunt homines omnis mirabitur ætas
Carmina ſub Samii [4] nomine nota ſenis.
Semper ſana dabit vitæ præcepta Theognis [5],
Formabit mores Phocylideſque [6] bonus.
Semper erunt Plauti [7] præconia, Perſius [8] acer
Impuris ſemper moribus hoſtis erit.
Et Juvenali, qui in Satyris tua carmina carpſit,
Æternas pœnas, impia Roma, dabis:
In ſcriptis illi fuit hiſtrio [9] fortè notatus,
Hinc factus vates exul obire fuit.

Nulla

1 *Doctus Ariſtophanes*] *Ariſtarchus atque Ariſtophanes poetarum judices.* Quintil. *Homo qui per ebrietatem multa conſcripſit,* ait Lud. Vives. Eſt Ariſtophanes perpetuus Euripidis obtrectator; & hoc ſaltem nomine bonis omnibus odioſus, quod Socratem, philoſophiæ parentem, impudenter in Nebulis ſuis proſcindere auſus ſit.

2 *Terentius*] Quem Cicero ſemper maximi fecit. *Terentianâ,* ait alicubi, *verbis libenter utor.* Fuiſſe qui Terentii ſcripta ad Scipionem Africanum referrent, docet Quintilianus Lib. X. Certè Scipionis & Lælii opera adjutum fuiſſe in ſcribendo teſtantur & Cicero & Varro.

3 *Ennius*] De quo Ovidius: *Ennius ingenio maximus, arte caret.* Hic animam Homeri in ſe immigraſſe dicebat; unde Latinorum *Homerus* ſemper habitus fuit. Vide notas infrà ad num. [25].

4 *Carmina ſub Samii*] Non ſunt enim Pythagoræ, ſed alicujus ex ejus ſectatoribus: nonnulli Philolao, alii Lysidi Tarentino adjudicant. Vide notas ſuprà ad Lib. I. num. [34]. Horum Carminum Editionem optimam collatis MSS. & notis adjectis Vir clariſſimus mihique amiciſſimus Pet. Needham S. T. B. Coll. D. Joannis apud Cantabrigienſes Socius nuper adornavit.

5 *Theognis*] Poeta Megarenſis, de quo vide Suidam.

6 *Phocylideſque*] Non ille antiquus, & Theognidis æqualis, ſed alius longe recentior, qui Scaligero judice Judæus quiſpiam fuit. Multa in ejus carmine ex S. Scriptura planè deſumpta ſunt.

7 *Plauti*] *Varro dicit, Muſas Ælii Stolonis ſententia Plautino ſermone locutas fuiſſe, ſi Latinè loqui vellent.* Quintil. Lib. X.

8 *Perſius*] *Multum & veræ gloriæ, quamvis uno libro Perſius meruit.* Idem ibid. Vide Martial. Epigram. Lib. IV. epigr. 28.

9 *Hiſtrio*] Paris quidam Panromimus. Hunc Juvenalis quod ſcommate notaſſet, jam octogenarius, ſpecie honoris, Præfectus cohortis in Ægyptum mittitur, ibique moritur: inde à Sidonio Apollin. *Arati Hiſtrionis exul* vocatur.

Nulla obventura eſt numeris jactura Properti;
Thebaïdi, Stati[1] docte, nec ulla tuæ.
Fatidicamque ratem, raptamque ex Cholchide vellus,
Qui cecinere duo[2], hos gloria ſera manet:
Heu ni immatura[3] præreptus morte fuiſſes,
Major erat, Valeri, fama futura tua!
Carmina Manilî tunc ſunt peritura diſerti,
Cum ſua deſtituent ſidera clara polum.
Orbe ruente cadent inſani ſcripta Lucretî[4],
Ingenio hic pollet, ſed pietate caret.
Qui mores pinxit nobis, animumque Neronis,
Nequitiæ quamvis Arbiter[5] ille fuit,
Attamen ingenii laudem feret improbus ille,
Vatibus & ſummis annumerandus erit;
Ut qui monſtrârit, ſe viribus haud caruiſſe
Condendi majus, ſi voluiſſet, opus.
Te quoque laudarem, niſi tinctos felle viderem
Spurcitieque tuos, Bilbilitane[6], jocos.

Effu-

1 *Stati*] *Statius cultiſſimus atque ingenioſiſſimus poeta: neque ullus veterum aut recentiorum propiùs ad Virgilianam majeſtatem accedere valuit. Etiam propinquior futurus, ſi tam propè eſſe noluiſſet.* Jul. C. Scalig. de Re Poet. Lib. VI.

2 *Qui cecinere duo*] Apollonius Rhodius, & Valerius Flaccus. *Apollonius*, ait Quintilianus, *Argonautica edidit, non contemnendum opus aquali quadam mediocritate.* Ingratus erga præceptorem ſuum Callimachum fuiſſe dicitur Apollonius.

3 *Heu ni immatura*] *Multùm in Valerio Flacco nuper amiſimus.* Quintil.

4 *Lucreti*] *Lucretius poeta ingenio & facundia præcellens.* A. Gell. Noct. Attic. Lib. I. cap. 21.

5 *Arbiter*] *T. Petronius Arbiter, Eques, Romanus, inter paucos familiarium Neroni aſſumptus eſt, elegantiæ Arbiter, dum nihil amœnum & molle affluentiâ putat, niſi quod ei Petronius approbaviſſet.* Tacit. Annal. XVI. cap. 18. *Reliquit carmen ſani coloris, & judicium de carmine ad Stagiritæ mentem accommodatum.* Borrich. de poet.

6 *Bilbilitane*] M. Val. Martialem intellige, qui Bilbili in Celtiberia tempore Claudii Imperatoris natus eſt. *Erat*, teſte Plinio Epiſt. Lib. III. ep. 21. *homo ingenioſus, acutus, acer, & qui plurimum*

Effugiet mortem Siculuſque Theocritus[1] atram,
Dum ſit cura ovium, cura vel ulla boum.
Oppianumque[2] legent omnes, dum docta juventus
Piſcibus in liquidis inſidiatur aquis.
Dum canibus lepores, canibus venemur & apros,
In pretio blandus Nemeſianus erit.
Gratius[3] apta dabit venantibus arma Faliſcus;
Clarus amicitia, Naſo diſerte, tua.
Dum fontes & rura placent, Columella[4] legetur,
Agricoliſque bonis numinis inſtar erit.
Pandet iter lectu jucundum muſa Rutilî[5],
In mare Tyrrenum dum, Tiberine, cades.

Silius

mum in ſcribendo & ſalis haberet & fellis; nec candoris minus. De quo Jul. C. Scaliger, *Multa*, inquit, *ſunt ejus Epigrammata divina; in quibus & ſermonis caſtitas, & argumenti ſpecies luculenta eſt: verſus verè candidi, numeroſi, pleni, denique optimi. Alia fœda, ne legerim quidem, tantùm abeſt; ut ad cenſuram vocem.* Hypercrit. cap. 6.

1 *Theocritus*] *Admirabilis in ſuo genere Theocritus, ſed muſa illa ruſtica & paſtoralis non forum modo, verum ipſam etiam urbem reformidat.* Quintil.

2 *Oppianumque*] Ὀππιανὸς Κίλιξ, ἀπὸ Κωρύκου πόλεως· Γραμματικὸς καὶ ἐποποιὸς, γεγονὼς ἐπὶ Μάρκου, Αὐρηλίου Βασιλέως, ἔγραψεν Ἁλιευτικὰ &c. Ἀναγνωσθέντων ὑπ' αὐτοῦ ποιημάτων αὐτοῦ ἐπὶ τοῦ Αὐτοκράτορος, ἐδωρήσατο αὐτῷ πρὸς ἕνα στίχον ἐν μέτρῳ, σταθῆρα χρυσοῦν, ἤγουν νόμισμα, ὡς λαβὼν αὐτὸν ἐπὶ πᾶσι νομίσματος μυριάδας β. Hæc Suidas. In deſcriptione vero Equi generoſi, pleraque è Jobi cap. 39. mutuatus eſt.

3 *Gratius*] Carmen condidit, quod *Cynegeticon* inſcripſit. *Duo elegantes poetæ Venationis præcepta poemate tractarunt, Gratius & Nemeſianus: Nemeſiani ſtylus candidus, nec vulgare ſonans; Gratius vero caſtigatior.* Jul. C. Scalig. Poetic. Lib. VI.

4 *Columella*] Natione Hiſpanus, *utilis*, inquit Cardinalis Bona, *eloquens, & politus auctor, qui de re Ruſtica minime ruſticè ſcripſit, tempore Claudii Imperatoris.*

5 *Rutilî*] Rutilius Numatianus natione Gallus, floruit tempore Honorii Imperatoris, poſt An. Chriſti CCCC. de quo vide Lil. Greg. Gyraldum, & Voſſium.

Silius [1] uſque tuos celebrabit, Roma, triumphos;
Pharſalicas acies [2] ſecula cuncta legent.
Infernos raptus, debellatoſque Gigantes,
Atque legent laudes, caſta Serena, tuas;
Quas cecinit civis (ſi vera eſt fama) Canopi [3],
Sed quem Niliacis Italia invideat:
Sic ille ingenium, majeſtatemque Maronis
Exprimit, haud multò facta minora canens:
Non ea dum memorat, quæ geſſit Honorius ille;
Sed divi illius dum canit acta patris [4].
SIGNA ſacra hæc ſummis poſt funera ſæpe fuerunt
Invidia oppreſſis officioſa viris.
Socratis [5] ingentis potuit ſic fama tueri,
Fato cui functo gloria ſalva manet;
Diſcipulus [6] ſcribit dum facta animoſa magiſtri,
Cur data philoſopho dira cicuta fuit:
Quæ ſunt verba viri, quis vultus jam morituri,
Mortiferum intrepido quàm bibit ore merum;
Poſſe quidem dicens Anytum Melitumque necare
Innocuum ſeſe: lædere poſſe negans. [22]
Damnavit quamvis hunc curia Martis Athenis [7],
Poſteritate tamen judice ſanctus erit:

Qui

1 *Silius*] Qui Plinii judicio *ſcribebat carmina majori cura quam ingenio.* Epiſt. Lib. III. ep. 7.

2 *Pharſalicas acies*] Scripſit Lucanus carmen de Bello civili, & de victoria quam Cæſar de Pompeio in campis Pharſalicis reportavit. Hic, inquit Quintilianus, *eſt ardens, & concitatus, & ſententiis clariſſimus, &, ut dicam quod ſentio, magis Oratoribus quam poetis annumerandus.*

3 *Civis Canopi*] Claudianus: *maximus poeta, ſolo argumento ignobiliore oppreſſus.* Jul. C. Scaliger de Re Poet. Lib. VI. cap. 5.

4 *Patris*] Theodoſii Magni.

5 *Socratis*] Hunc mirifice laudat Themiſtius Oratione II.

6 *Diſcipulus*] Plato.

7 *Curia Martis Athenis*] Areopagus.

Qui quantum noſci naturæ lumine poſſit,
Cultor erat veri teſtis & ipſe Dei [1].
Qui colit ignotum, cum verum ſcire negatur,
Cultorem veri quis neget eſſe Dei?
Hujus erant voces: *Non eſt miſer*, inquit, *iniqua*
Qui patitur; *verùm qui facit, ille miſer* [2].
Atque, *Deo potius parendum eſt* [3], *O populares*,
Quam vobis, ſi quid turpe jubetis, ait.
Cumque foret morti jam proximus, atque veneno
Pocula fortè manu plena teneret, aït;
Parcite vos lachrymis, oro, quia nôſtis, amici,
Quod me poſt obitum vita beata manet;
Cum juſtis, quibus ipſe Deus virtutis amore
Corporis illecebras temnere poſſe dedit.

Et

1 *Teſtis & ipſe Dei*] Accuſatus eſt Socrates atheiſmi, & iniquiſſimè damnatus: non enim Deum eſſe negabat, ſed deos quos populus coleret, non eſſe deos aut palam verbis, aut factis conſtanter aſſerebat. Præclarum, eſt S. Juſtini Martyris de Socrate judicium in Apologia II. Οἱ μὴ λόγῳ βιώσαντες, Χριστιανοί εἰσι, κἂν ἄθεοι νομίζηνται· οἷον ἐν Ἕλλησι μὲν Σωκράτης, καὶ Ἡράκλειτος, καὶ οἱ ὅμοιοι αὐτοῖς.

2 *Qui facit, ille miſer*] Κάκιον εἶναι τὸ ἀδικεῖν, ἢ τὸ ἀδικεῖσθαι, Socratis ſententiam fuiſſe tradit A. Gellius Noct. Attic. Lib. XII. cap. 9. Unde Hierocles hauſiſſe videtur, quæ apud Stobæum Serm. X. ſcribit: Ἴσως ὡς διπλῆς ἔστης τῆς ἀδικίας, αὐτὸς ἀπολαῦσαι πρότερος, ἔπειτα καὶ τὸ ἀδικούμενον ὑπ' αὐτοῦ μέρος. Ἓν μὲν γὰρ μόνον ἐστὶ τὸ ἀδικούμενον ἐν παντὸς, ἡ ψυχή. τὸ δὲ ἀδικεῖν καὶ ἐπιβουλεύειν ἡ κακία, καὶ ἐν τῷ ἀδικοῦντι, καὶ χρὴ τοῦτο ἀδικουμένῳ. *Probi injuriam facilius accipiunt, quam alteri tradunt*, vox fuit Q. Metelli Numidici, teſte eodem Gellio.

3 *Atque Deo potius parendum eſt*] Ἐγὼ ὑμᾶς, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ἀσπάζομαι μὲν καὶ φιλῶ, πείσομαι δὲ τῷ Θεῷ μᾶλλον, ἢ ὑμῖν. Socrates apud Platonem in Apol. Sunt pœne ipſa verba quibus uſus eſt D. Petrus occaſione non multùm abſimili: Act. V. 29. Πειθαρχεῖν δεῖ Θεῷ μᾶλλον, ἢ ἀνθρώποις.

Et vivent ſemper, quæ tu, Severine Boethi [1],
E triſti poteras carcere ſcripta dare:
Præbebunt miſeris ſolamina, ſecla docebunt,
Te patriæ cauſa non metuiſſe mori:
Te Gothici rabiem minimè læſiſſe tyranni [2],
Juſſu ejus quamvis ultima paſſus eras.
ABSQUE ſacris ſignis nobis ignota fuiſſet
Vis in dicendo nobilis Iſocratis [3];
Ignota & Lyſiæ [4] facundia, quin periiſſet
Æſchini [5] & Iſæo [6] nominis omne decus.

Quis

1 *Severine Boethi*] Fuit ille Conſul Romanus An. Chr. DX. Philoſophus & poeta eximius; vir ſui ſeculi longè doctiſſimus.

2 *Tyranni*] Theodorici, Italiæ Regis.

3 *Iſocratis*] *Iſocrates (cujus domus cunctæ Græciæ quaſi ludus quidam patuit, atque officina dicendi) magnus orator, & perfectus Magiſter: quamquam forenſi luce caruit, intraque parietes aluit eam gloriam, quam nemo quidem, meo judicio, eſt poſtea conſecutus.* Cic. in Bruto. *Iſocrates in diverſo genere dicendi nitidus, & comptus, & paleſtræ quam pugnæ magis accommodatus: omnes dicendi veneres ſectatus eſt. nec immeritò; auditoriis enim ſe, non judiciis comparârat. In inventione facilis, honeſti ſtudioſus, in compoſitione adeo diligens, ut cura ejus reprehendatur.* Quintil. *Quanti habitus fuerit Iſocrates, vel ex eo patet, quod orationem unam viginti talentis vendidit.* Plin. H. N. Lib. VII. cap. 30. Vide Dion. Halicarn. de Structura Serm. & Plutarch. in vita.

4 *Lyſiæ*] *Lyſias ſubtilis atque elegans; & quo nihil, ſi oratori ſatis ſit docere quæras perfectius. Nihil enim eſt inane, nihil acceſſitum; puro tamen fonti, quam magno flumini propior.* Quintil. *Favorinus de Lyſia & Platone ſolitus eſt dicere: Si ex Platonis, inquit, oratione verbum aliquod demas mutesve, (atque id commodiſſimè facias,) de elegantia tantùm detraxeris: ſi ex Lyſiæ, de ſententia.* A. Gell. Noct. Attic. Lib. II. cap. 5.

5 *Æſchini*] *Demoſthene plenior Æſchines, & magis fuſus, & grandiori ſimilis, quo minus ſtrictus eſt: carnis tamen plus habet, lacertorum minus.* Quintil. Vide Phot. Biblioth. Cod. 61.

6 *Iſæo*] Fuit ille Demoſthenis præceptor. Vitam ejus deſcripſit Plutarchus; eloquentiam laudant Dion. Halicarnaſſenſis, & Photius: item Juvenalis innuit his verbis,

Ingenium velox, audacia perdita, ſermo
Promptus, & Iſæo torrentior.

Quis tua nunc miraretur, Demoſthenes [1], ora,
Aut te regnantem, Marce diſerte, foro;
Jam niſi veſtra viris tererentur ſcripta ſtupenda,
Scripta quibus ſemper fama futura comes?
Et dum ſcripta manent, de Antonio ab urbe fugato
(Immeritò quamvis illius enſe cadas)
Marce triumphabis [2]: Demoſthenes, aurea ſerta
Tuque feres [3], fidei præmia juſta tuæ.
Dicendi exemplum ſeclis det uterque futuris;
Optimus is qui vos pulchrè imitetur [4], erit.
FORTIA facta virûm [5] ſcriptis memorantur in ævum,
Atque duces horum munere nomen habent [6].

Amphi-

1 *Demoſthenes*] *Oratorum princeps, ac pœnè lex orandi fuit: Tanta vis in eo, tam denſa omnia, ita quibuſdam nervis intenta ſunt, tam nihil otioſum, is dicendi modus, ut nec quod deſit in eo, nec quod redundet, invenias.* Quintil.

2 *Marce triumphabis*] *Salve primus omnium Parens patriæ appellate, primus in toga triumphum, linguæque lauream merite, & facundiæ, Latiarumque literarum parens: atque (ut Dictator Cæſar, hoſtis quondam tuus, de te ſcripſit) omnium triumphorum lauream adepte majorem, quanto plus eſt, ingenii Romani terminos in tantum promoviſſe, quam imperii.* Plin. H. N. Lib. VII. cap. 30.

3 *Aurea ſerta Tuque feres*] Nota eſt lis, quam Æſchines propter Coronam Oratori à civibus ſuis delatam, intentavit. Orationes utriuſque elegantiſſimæ illæ quidem de hac re extant. Æſchines (referente Plinio libro jam laudato) cum orationem, qua fuerat uſus adverſus Demoſthenem Rhodi legiſſet, legit & Defenſionem ejuſdem Demoſthenis ob quam pulſus fuerat in exilium, mirantibuſque amicis, tum eos magis miraturos dixit, ſi ipſam belluam orantem audiviſſent: Verba ejus, teſte Cicerone, erant, Τί ὃ, εἰ αὐτὸ ἄκουσε ἄνηκόεστος; De Oratore Lib. III.

4 *Imitetur*] *Demoſthenem imitemur; quid enim aliud nos agitamus? aut quid aliud optamus? at non aſſequimur.* Idem de Clar. Orat.

5 *Fortia facta virûm*] *Neque enim quiſquam eſt tam averſus à Muſis, qui non mandari verſibus æternum ſuorum laborum facile præconium patiatur.* Idem in orat. pro Archia poeta. *Ardeo cupiditate incredibili, neque, ut arbitror, reprehendenda, nomen ut noſtrum ſcriptis illuſtretur, & celebretur tuis.* Idem Lucceio. Nec aliter Plinius junior Tacito ſcribit, optans ut nomen ſuum ipſius hiſtoriæ infereretur, quo fieret immortalis: (quod tamen minime factum eſt:) *Auguror*, inquit, *nec me fallit augurium, hiſtorias tuas immortales futuras,*

Amphitryoniadæ [1] periissent mille labores,
Quæque ille indomitus mille pericla tulit;
Hæc nisi ab interitu placuisset fortè poetis
Servare, Alciden & prohibere mori.
Quod nunc Pelidæ [2], quod & Hectoris arma legantur,
Divinus fecit carmine Mæonides [3]; [23]
Mæonides, cujus dum carmina sacra manebunt,
Fama est priscorum non moritura ducum.

FLO-

futuras, quo magis illis inseri cupio. Nam si esse nobis curæ solet, ut facies nostra ab optimo artifice exprimantur, nonne dabimus operam, ut operibus tui similis prædicator contingat?

6 *Horum munere nomen habent*] Ὁ δ' ὄλβιος ὅντινα Μοῦσαι φιλέωνται. Hom. in Hymnis. Ἐκ μοισᾶν ἀγαθὸν κλέος ἔρχεται ἀνθρώποισιν. Theocrit. Idyl. XVI. *Quam multos scriptores rerum suarum magnus ille Alexander secum habuisse dicitur? Atque is tamen cum in Sigæo ad Achillis tumulum adstitisset, O fortunate, inquit, adolescens, qui tuæ virtutis Homerum præconem inveneris! & verè; nam nisi Ilias illa extitisset, idem tumulus, qui corpus ejus contexerat, nomen ejus etiam obruisset.* Cic. in Orat. pro Archia.

1 *Amphitryoniadæ*] Ἡρακλῆς ὦ βέλτιστε παράδειγμα ἐγένετο ἀρετῆς, καὶ τὴν γὴν ἅπασαν ὑπηρετήσας, τυράννων τε ὠμότητα καὶ θηρίων ἐκάθηρεν ἀλλοκότων. Sic laudat Herculem Themistius Orat. II. Tanquam Apuleii verba transtulisset: *Hercules lustrator orbis, purgator ferarum, gentium domitor, in cœlum ob virtutem ascitus.* In Apol.

2 *Quod nunc Pelidæ*] Juvat hic Ovidii verba describere:

Carmina vestrarum peragunt præconia laudum;
Neve sit actorum vita caduca, cavent:
Carmine fit vivax virtus, expersque sepulchri,
Notitiam seræ posteritatis habet.
Turbida consumit ferrum, lapidemque vetustas
Nullaque res majus tempore robur habet.
Scripta ferunt annos; scriptis Agamemnona nôsti,
Et quisquis contra, vel simul arma tulit.
Quis Thebas, septemque duces sine carmine nôsset?
Et quicquid posthac, quicquid & antè fuit?
Di quoque carminibus, si fas est dicere, fiunt;
Tantaque majestas ore canentis eget.

3 *Mæonides*] Ἡρώων ἀρετὰς κήρυξ, μακάρων ὁ περφήτης. Antip. in Antholog. de Homero.

FLOREBANT olim ſtudiis qui rebus in orbe
Imperio præerant; priſcaque fama refert,
Convivas regum doctos fulſiſſe potentum,
Et charos ſummis ſæpe fuiſſe viris.
Quinetiam in bello, non tantum in pace quieta, [24]
Hos comites magni ſæpe habuere duces.
Sic domitori Aſiæ [1] ſocius decus ille Lycei [2],
Diſcipulo magno dicitur iſſe ſuo.
Sic everſori, Polybi, Carthaginis [3] altæ
Tu ſocius, monitor tu quoque fidus eras.
Ennius hunc comitatus erat, per bella per ignes,
Scriberet æterno ut carmine facta ducis. [25]
Ergo juſſiſti ſtatuam nomenque poetæ [4]
Imponi tumulo, Scipio magne, tuo.
Socilus Hannibalis [5], ſcripſitque Philænius acta,
Cum comes in caſtris eſſet uterque duci:
At monumenta virûm perierunt, perdidit illa
Quod gaudet nil non perdere, tempus edax.
Multis Herodotus dant vivere Thucydideſque [6], [26]
Et doctus Xenophon, Attica dictus apis;

Miran-

1 *Domitori Aſiæ*] Alexandro M.

2 *Decus ille Lycei*] Ariſtoteles Alexandri M. Præceptor. Extat apud A. Gellium Philippi Regis, Alexandri Patris, ſtatim atque ipſi filius naſceretur, ad Ariſtotelem ejuſmodi Epiſtola: Ἴσθι μοι γεγονότα υἱόν· πολλῷ δ' ἂν τοῖς θεοῖς χάριν ἔχω, οὐχ ὅτως ἐπὶ τῇ γενέσει τοῦ παιδὸς, ὡς ἐπὶ τῷ χρῆναι τοῦτον ἡλικίαν αὐτὸν γεγονέναι· ἐλπίζω γὰρ, αὐτὸν ὑπὸ σοῦ τραφέντα καὶ παιδαγωγέντα, ἄξιον ἔσεσθαι καὶ ἡμῶν, καὶ τῆς τῶν πραγμάτων διαδοχῆς. Noct. Attic. Lib. IX. cap. 3.

3 *Everſori Carthaginis*] Scipioni Africano.

4 *Statuam nomenque Poetæ*] Plin. H. N. Lib. VII. cap. 30. Cicero pro Archia cap. 10. Euſeb. in Chronico ad Olym. CLIII.

5 *Socilus Hannibalis*] Vide Corn. Nepot. in Hannibale.

6 *Herodotus Thucydideſque*] *Hiſtoriam multi ſcripſere præclarè, ſed nemo dubitat, duos longè cæteris præferendos, quorum diverſa virtus laudem*

Mirandus Xenophon [1], quem belli & pacis abundè
Artibus inſtructum nos ſua ſcripta docent.
Immortale viris decus addunt ſcripta Nepotis,
Bellica quos virtus nomen habere dedit.
Et tibi victores famam, Plutarche, perennem
Debent, quos Roma & Græcia docta tulit.
EXACUUNT animos ad bellum carmina ſacra,
Cauſaque vincendi ſæpe fuere viris.
Tyrtæi numeris [2] ſtetit omnis gloria Spartæ, [27]
Plus potuit vates quam potuere duces.
Pellæus juvenis dum indormitaret Homero, [28]
Subdere perdidicit plurima regna ſibi:

H Heroum-

laudem penè eſt parem conſecuta. Denſus, & brevis, & ſemper inſtans ſibi Thucydides: dulcis, & candidus, & fuſus Herodotus: ille concitatis, hic remiſſis affectibus melior: ille concionibus, hic ſermonibus: ille vi, hic voluptate. Quintil.

1 *Mirandus Xenophon*] *Xenophon non excidit mihi, ſed inter philoſophos eſt reddendus.* Idem. *Quid ego commemorem Xenophontis jucunditatem illam inaffectatam, ſed quam nulla poſſit affectatio conſequi? ut ipſæ finxiſſe ſermonem Gratiæ videantur: & quod de Pericle veteris comœdiæ teſtimonium eſt, in hunc transferri juſtiſſimè poſſit, in labris ejus ſediſſe quandam perſuadendi deam.* Idem. Ξενοφῶν αὐτὸς ἑαυτὸν γέγονεν ἰσοεία, γεάψας ἃ ἐσεατήγασε καὶ κατώρθωσε, καὶ Θεμιστογένη τὸν τούτων συμπεταχθαι τὸν Συρακόσιον ἵνα πιστότερον ἢ δι' ἐμοῦ δι' ἑαυτὸν ὡς ἄλλον, ἑτέρῳ τὴν περὶ λόγων δόξαν χαριζόμενον. Plutarch. Lib. de gloria Athen. Ξενοφῶν ὁ φιλόσοφος, ἀνὴρ μόνος ἐξ ἁπάντων φιλοσόφων ἐν λόγοις τε καὶ ἔργοις φιλοσοφίαν κοσμήσας· τὰ μὲν ἐν λόγοις ἔστι τε καὶ ἐν γεάμμασι, καὶ ἠθικὴν ἀρετὴν γεάφει τὰ δ' ἐν πράξεσί τε ἦν ἄεις· ἀλλὰ καὶ ἐγένετο στρατηγὸς τοῖς ἑαυτοῦ μνήμασιν. Ὁ γὲν μέγας Ἀλέξανδρος ἂν ἐγένετο μέγας, εἰ μὴ Ξενοφῶν καὶ τὰ παρεργα ἐσοὶ δῶν τῶν παιδαίων ἀνδρῶν ἀναγεάφειν. Eunapius in vitis Sophiſtarum ipſo initio libri.

2 *Tyrtæi numeris*] Plato Lib. I. de Republica Tyrtæum vocat Θεῖον ποιητήν. Hujus hiſtoria, quæ planè mirabilis eſt, extat apud Pauſaniam in Meſſeniis, Diod. Sicul. Lib. XV. & Juſtin. Lib. III.

Heroumque legens Trojæ ſub mœnibus acta,
Heroum potuit vincere facta ſuis.
Hoc nimis infelix, quod qui ſuperavit Achillem
Virtute, haud datus huic alter Homerus erat.
Hinc pateat quantùm ſacras foviſſe Camœnas
Interſit regum, literulaſque bonas;
Illorum quantum interſit coluiſſe diſertos,
Nomina qui faciunt vivere [1] in orbe virûm.
Non Cato cenſura [2] clarus, ductoque triumpho [29]
Sic fuit, hiſtoriis ut fuit ille ſuis:
Optimus orator, dux optimus, optimus idem
(Si modo vera refert fama) Senator erat.
Et ſunt qui dubitant, an ſcriptis major an armis [30]
Cæſar [3] erat: verè Magnus utriſque fuit;
Invictus

1 *Nomina quæ faciunt vivere*] Μισάων ὃ μάλιστα τίεν ἱερὼς ἀοιδήτας. Theocrit. Idyl. XVI.

Non ego te meis
Chartis inornatum ſileri,
Totve tuos patiar labores
Impune, Lolli, carpere lividas
Obliviones. Horat.

Longè verecundiùs æternam memoriam Niſo & Volſcenti promiſit & præſtitit Virgilius, Æneid. IX.

Fortunati ambo, ſiquid mea carmina poſſunt,
Nulla dies unquam memori vos eximet ævo:
Dum domus Æneæ Capitoli immobile ſaxum
Accolet, imperiumque Pater Romanus habebit.

Virgilium imitatus eſt Silius Ital. Lib. IV. *Nomen Attici perire Ciceronis epiſtola non ſinunt.* Senec. Epiſt. XXI.

2 *Non Cato cenſura*] *Catonum ille primus, triumpho & Cenſura ſuper cætera inſignis, magis tamen etiamnum claritate literarum, præceptiſque omnium rerum expetendarum datis generi Romano.* Plin. H. N. Lib. XIV. cap. 4. Vide eundem Lib. VII. cap. 27. Cic. in Bruto. Liv. Lib. XLIX. Corn. Nep. de viris illuſtribus.

3 *Cæſar*] *Caius vero Cæſar ſi tantum foro vacaſſet, non ulius ex noſtris contra Ciceronem nominaretur; tanta in eo vis eſt, id acumen, ea concitatio, ut illum eodem animo dixiſſe, quo bellavit, appareat: exornat tamen hæc omnia mira ſermonis, cujus propriè ſtudioſus fuit, elegantia.* Quintil. Inſtit. Lib. X. cap. 1. A. Gellius ſermonem Cæſaris *caſtiſſimum* vocat, *Commentarios ſcripſit valde quidem probandos:*

Invictus, felix, animo quoque viſus eodem
Scribere, quo ſolitus conſeruiſſe manus.
Fama refert illum cùm Ægypto bella moveret,
Et prope Niliacis obrutus eſſet aquis,
Incolumem tranâſſe, manu ſua ſcripta tenentem
Læva, dum dextra ſollicitaret aquas.
Hunc major ſcripti, quam vitæ cura laceſſit,
Æternùm voluit quo ſupereſſe ſibi.
Ille triumphabit de victis gentibus orbis,
Fortia dum fuerit qui ſua ſcripta leget.
Cedant arma ducum calamo, regumque triumphi,
Quæ calamus decorat nomina, morte carent.
Sic tu Gallorum terror, GULIELME, ſed idem [31]
Qui pater es patriæ dictus, & Orbis amor;
Sub quo Libertas primùm caput extulit, ANNÆ
Poſtmodo perfectè reſtituenda manu;
Cum tibi tot poſitas ſtatuas ex marmore & ære
Ignis, vel tempus fortè abolebit edax;
Carminibus vives, vivet tua Regia conjux,
Cumque tua MARIÆ fama perennis erit.
Tu quoque MARLBURI Britannæ gloria gentis,
Imperii columen, grande decuſque ſacri;
Cui debet Germania quod ſit libera, eritne [32]
Qui tua victuro carmine facta canet?
Qui tua facta canet, divinam Æneïda vincat,
Si faveant muſæ, vincat & Iliada.

rudi ſunt, recti, venuſti, omni ornatu orationis, tanquam veſte detracta: ſed dum voluit alios habere parata unde ſumerent, qui vellent ſcribere hiſtoriam, ineptis gratum forraſſe fecit, qui illa volunt calamiſtris inurere, ſanos quidem homines à ſcribendo deterruit. Sueton. in vita.

Ætas quæque ſtupet priſcorum facta virorum,
Majora in vivis temnere docta viris:
Quis nunc Atridûm, quis conferat Hectoris acris,
Heroum veterum facta vel ulla tuis? (ſacra
Quod, Dux magne, negent tibi marmora, carmina
Donent: *Æternum vivere in ore virûm.*



DE LITERIS INVENTIS

LIBER QUARTUS.

TERRENIS jam ſatque datum eſt, cœleſtia dona
Muſa refer, digito verbaque ſcripta Dei [1].
Æternæ mentis dictataque fixa tabellis,
Quæ ſeclis cunctis conſpicienda forent.
Heu quam ſe vinci jam ſentit noſtra Thalia,
Obruta ſubjectæ nobilitate rei!
Cum vocem horreret populus, tonitruque tremendum,
Edita quo fuerant juſſa verenda Dei.
Conſuluit ſignis Deus his mortalibus ægris,
Ad cuncta his placuit ſecla futura loqui.
Nam quia verba citò, quamvis prolata tonante
Sint voce, aufugiunt, ſcriptaque ſola manent:
Tradidit Omnipotens conſcripta oracula Moſi,
Qua tam nos vetuit, quam ſacra jura mori.
Hæc cum mandatis aliis quæ acceperat idem
Divinus vates ſcribere dum voluit;

1 *Digito verbaque ſcripta Dei*] *Deditque Dominus Moſi duas tabulas teſtimonii lapideas, ſcriptas digito Dei.* Exod. XXXI. 18. *Scriptura quoque Dei erat ſcripta in tabulis.* Ibid. XXXII. 16.

Et dum discipuli Domini mandâre[1] fideles
Scriptis, quæ nulla sunt peritura die,
Quæ docuit IESUS, & quæ miracula fecit,
Et cunctis seclis hæc voluere legi:
In tuto est verum, vivendi Regula certa, [1]
Æternaque basi nititur alma fides.
Magne Deus, scriptis (namque hæc tua dona fuere
Gentibus his quibus est jam patefacta salus;
Atque ideo data sunt, essent ut Regula vitæ)
Hisce fave, serva lumina sancta tuis:
Lumina quæ possunt umbras dispellere mortis,
Æternum lumen dantque videre tuum.
Tuque aspernatus qui non es honesta bubulci[2]
Montibus in Tecoæ corda subire rudis,
Spiritus O æterne meum jam dirige carmen,
Cæptisque aspira, dum tua scripta cano:
Sunt tua scripta, Deus; quoniam mentemque ma-
Tu scribis sanctis ducere visus eras. (numque
EN quanto Deus est homines complexus amore, [2]
Cum populo electo sancta statuta daret!
Quanto artem hanc sacram Deus est dignatus honore,
Cum leges propria scriberet ille manu,
Qua cœlum & terram, qua lucida sidera fecit,
Et sine qua cuncta hæc corruitura forent!

Cordi-

1 *Et dum discipuli Domini mandare*] *Quicquid Christus de suis dictis & factis nos legere voluit, hoc scribendum illis tanquam manibus imperavit.* S. August. de Consensu Evang. Lib. I. cap. ult.

2 *Bubulci*] *Tria sunt pastorum genera, quæ dignitatem in Bucolicis habent quorum qui minimi sunt, ἀ πόλοι dicuntur à Græcis, iidem à nobis caprarii: paulò honoratiores qui ποιμένες, id est, opiliones dicuntur. honestissimi & maximi βουκόλοι, quos bubulcos dicimus.* Donatus in vita Virgilii.

Cordibus humanis quæ jura inſcripſerat antè,
Hæc tandem in rigido marmore ſcripta dedit.
Qui negat humanis inſcriptam cordibus [1] æqui, [3]
Notitiamque boni, is perneget eſſe Deum.
Finxit Arabs [2] calamum magnum feciſſe Tonantem,
Ordine quo voluit ſcribere cuncta Deus:
Fabula nimirum eſt; ſed fabula proxima vero,
Atque id quod res eſt tradere viſa mihi.
Namque Deus terram penetrans & lumine cœlum,
Creditur in libro cuncta notare ſuo;
In quo præſcribit quæ quis benè, quæ malè fecit,
Juſta ut pro meritis præmia quiſque ferat.
Diſcite mortales ergo ſapuiſſe, futuri
Vivite perpetuò judicii memores.

1 *Humanis inſcriptam cordibus*] *Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam.* Jerem. XXXI. 33. Nempe erat ea, ut Apoſtolus loquitur, ἐγγεγραμμένη οὐ μέλανι, ἀλλὰ πνεύματι θεοῦ ζῶντος, οὐκ ἐν πλαξὶ λιθίναις, ἀλλ' ἐν πλαξὶ καρδίας σαρκίναις. 2. Cor. III. 3. Idem Apoſtolus de gentibus ait, quod & ipſæ haberent τὸ ἔργον τοῦ νόμου γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν. Rom. II. 15. Unde Auctor Oraculorum ſub nomine Zoroaſtri, Σύμβολα, inquit, πατρικὸς νόος ἐνέσπειρε ταῖς ψυχαῖς. Et Tertullianus; *Ante legem Moyſi ſcriptum in tabulis lapideis, legem fuiſſe contendo non ſcriptam, quæ naturaliter intelligebatur, & à Patribus cuſtodiebatur.* Lib. adverſus Judæos. Hierocles vitia vocat ἄποις ἐφάσεις καὶ ἀποτάγματα τοῦ ὀρθοῦ λόγου ὄν φύσει ἐκόντα καὶ ἐγγεγραμμένον ἐν αὐτῇ παρρᾷ ἡ ἀνθρώπου ψυχὴ ὑπὸ τῆς πεφαπαιδείας ἀπτυφλουμένη. In carm. Pythag. Optimè Plutarchus: Ὁ νόμος ὁ πάντων βασιλεὺς θνητῶν τε καὶ ἀθανάτων (ὡς φησι Πίνδαρος) οὐκ ἐν βιβλίοις ἔξω γεγραμμένοις, οὐδὲ τισι ξύλοις, ἀλλ' ἔμψυχος ὢν ἑαυτῷ λόγος ἀεὶ συνοικῶν καὶ παραφυλάττων, καὶ μηδέποτε τοὺ ψυχοὺ ἐῶν ἔρημον ἡγεμονίας. Lib. ad Principem indoctum.

2 *Finxit Arabs*] Mahometes: Vide Chronicon de vitis Mahometis & Succeſſor. Ben Sidi Aali de dogmat. Muſſlemannor. Et Maronit. de moribus Oriental. cap. 14.

Æternæ exſcriptum Mentis[1] qui dixerit orbem, [4]
Judicio minimè fallitur ille meo.
Hic mundus liber eſt, in quo ſapientia poſſint,
Atque Dei virtus cum probitate legi.
Scriptor ab æterno Deus eſt: O terque beati
Stent quibus in libro nomina ſcripta Dei!
Non ego divitias, nec mundi iſtius honores
Inſector, nimiùm nec mihi fama placet:
Perſcriptum libro modo ſit mihi nomen in illo,
Poſt mea fata, Deo dante, beatus ero.
Hæc poſtquam retulit paullùm digreſſa canendo,
Nunc ad opus ſacrum noſtra Thalia redit.
VATUM ſacra cohors, per plurima ſecula mundi
Venturum Chriſtum vaticinata fuit:
Salvator noſter Meſſiam, quod foret ipſe
Promiſſus ſanctis Patribus, inde probat;
De ſe teſtentur quod ſacra volumina cuncta,
Utitur his ſemper teſtibus ille probis;
Optat nec recipi, niſi dent ſuffragia Moſes,
Atque prophetæ omnes indubitata ſibi.
Dixeris ut verè; ſine ſcriptis quod nec IESUM [5]
Amplexura forent ſecula cuncta Deum.
Quis putet Inventum mortale fuiſſe, Prophetis
Quod poſt fata dedit teſtibus eſſe Dei[2]?
Nec cœlo potius delapſam[3] judicet Artem,
Humani generis qua ſtetit ipſa ſalus?

Scriptis

1 *Æternæ exſcriptum Mentis*] *Pulchrum pulcherrimus ipſe Mundum mente gerens.* Boeth. De Conſolat. Lib. III.

2 *Teſtibus eſſe Dei*] Ἀποθανὼν ἔτι λαλεῖται. Auctor ad Hebræos cap. XI. 4. de Abele.

3 *Nec cœlo potius delapſam*] Pythagoras, Plato in Philebo & Phædro, item Cicero in primo Tuſcul. literarum originem ad cœleſtem aturam retulerunt.

Scriptis Judæis simul ora obturat Apollos,
Et IESUM natum comprobat esse Dei.
Nec dubitat Lucas cives laudare Berææ,
Quærentes [1] Pauli an consona verba forent
Scriptis, quæ dederat Moses, dederantque prophetæ;
Quæ veterum blandè spemque aluere patrum.
Nempe sub humana (casta de virgine natum)
Forma venturum quæ cecinere Deum.
Qui lumen magnum totius gentibus orbis,
Isacidûmque simul gloria magna foret.
His scriptis salvis pius omnis provocat hostem,
Et voce hac *Scriptum est* vertere terga facit.
Spiritus ille malus qui olim tentavit IESUM,
Fertur ad hanc vocem contremuisse Dei.
Scriptis confossus cedit [2], victusque fatetur
Addictum flammis se fore deinde feris;
Flammis, sed sine luce; sibi miserisque paratis
Queis cordi tenebræ, lux odioque [3] foret,
Est instar gladii vox hæc, cui nulla potestas
Obstare inferni, machina nulla potest.
Nil nisi quod scriptum (tanta est reverentia signis
His data) divinæ vim modo legis habet.

In

1 *Quærentes*] Μετὰ ἀκριβείας ἀνεξιτάζοντες, οὐχ ὡς ἀπίστοι, (ἤδη γὰρ ἦσαν πεπιστευκότες) ἀλλ' ὡς ἀμοιρότες τῆς ἐκ παλαιῶν προφητῶν οἰκοδομίσεως. S. Chrysostom. Hom. XXXVII.

2 *Scriptis confossus cedit*] Μάθε ἐντεῦθεν, πῶς ὠφελοῦσιν αἱ γραφαί· ὁ Κύριος ἀπ' αὐτῶν ἐπεσόμπσε τὸν ἐχθρόν. Theophylactus ad Matt. IV. 10.

3 *Queis cordi tenebræ, lux odioque*] *Hoc est autem judicium; quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem: erant enim eorum mala opera.* Joan. III. 19. Ἡ ἡμετέρα πίστις, φῶς ἅσα τῷ κόσμῳ, ἐλέγχει τὴν ἀπιστίαν. Clem. Alex. Strom. Lib. IV.

In rebus quæ ſunt oculis impervia noſtris,
Et ſola ſancta percipienda fide,
(Sunt etenim in ſacris myſteria multa libellis,)
Qui ſupra ac ſcriptum eſt non ſapit, ille ſapit.
Impius eſt, qui quicquam ex quo divina voluntas
Noſcatur, ſcriptis credit abeſſe ſacris.
Aut perfecta parùm putet hæc oracula viva,
Ad vitam æternam quæ ſapuiſſe dabunt.
Nam qui Scripturas defectûs arguit, ille
Auctorem accuſat, judicat ille Deum.
At Deus eſt verax, qui dixerat omnia in illis,
Quæ fieri voluit, ſcripta manere libris.
Hos qui contemnit, licet ille ſtupenda patrârit,
Attamen impoſtor vilis habendus erit.
His obſiſtenti, quamvis ſit Apoſtolus ille,
Angelus aut cœli, non adhibenda fides.
Regula ab hac quiſquis tranſverſum abſceſſerit unguem,
Tantundem à veri tramite oportet eat.
Qui ſimulachra colunt, nova vel fundamina ponunt,
Divinis juſſis anteferuntve ſua;
Hos homines conſcripta Dei lex percutit omnes,
Conſignat miſeros judicioque gravi.
Sic cadit ante ſacras ſcripturas hæreſis omnis,
Ut præſente Arca numina vana cadunt.
Audio Romanos clamantes; *Judice vivo* [6]
Hic opus eſt; (Judex quis niſi Petrus erit?)
Qui doceat ſacri quæ ſit ſententia ſcripti,
Quo ſine ſcripta Dei judice nil valeant.
Tanquam quæ ſcribat, ſint hæc obſcura neceſſe eſt,
Vel quaſi non potuit ſcribere plana Deus;
Noluit aut ſaltem: quod credere de Omnipotente,
Summa eſt impietas, maxima ſtultitia.

Profuit

Profuit uſque adeone nihil ſcripſiſſe prophetas
Verba Dei in tabulis, hæc niſi Papa probet,
Enarretve ſuo gloſſemate, quod niſi fiat,
Scriptura eſt mentis ſacra habitura nihil?
Vivitne in terris qui falli aut fallere neſcit,
Gloria quæ unius noſcitur eſſe Dei?
Errarunt orbis qui lumina ſumma fuerunt,
Concilia errarunt, ut monumenta docent;
Erravit Petrus; quid plura? errâre Prophetæ:
Num Papæ ſoli competit αὐτὸς ἔφη;
Qui ſæpe indoctus[1], qui ſæpe (fatentibus ipſis [7]
Romanis) canis eſt, ſacrileguſque latro;
Addictus Magiæ[2], monſtrum, ſceleratus[3], adulter,
(Quis putet?) hæreſios[4] labe nec ipſe vacans.

Quin

1 *Qui ſæpe indoctus*] *Cum conſtet plures Papas adeo illiteratos eſſe, ut Grammaticam penitus ignorent, quî ſit, ut ſacras literas interpretari poſſint?* Alphonſus à Caſtro cont. hæreſes cap. 4. in editione Anni 1543. En adverſarii teſtimonium!

2 *Addictus magiæ*] *Omnes Papæ à Sylveſtro ſecundo ad Gregorium ſeptimum incluſivè fuerunt magi*, ait Platina; qui de Sylveſtro II. etiam hæc ſcribit. *Sylveſter ſecundus*, inquit, *Gilbertus anteà vocatus, natione Gallicus, malis artibus (ut putant) pontificatum adeptus eſt. Adoleſcens enim è Floriacenſi cœnobio in Aureliana diœceſi poſito dedicatus monachus & addictus, relicto monaſterio diabolum ſecutus, cui ſe totum tradiderat, Hiſpalim civitatem Hiſpaniæ bonarum artium cauſa pervenit.* Et mox; *Gilbertus igitur ambitione & diabolica dominandi cupiditate impulſus, largitione primò quidem archiepiſcopatum Rhemenſem, inde Ravennatem adeptus, Pontificatum proſtremò majore conatu, adjuvante diabolo, conſecutus eſt; hac tamen lege, ut poſt mortem totus illius eſſet, cujus fraudibus tantam dignitatem adeptus erat.* Reliqua vide apud Auctorem. Eadem ſcribunt Polydorus Virgilius *De inventor rerum* Lib. IV. cap. 8. Petrus Præmonſtratenſis, Benno Cardinal. Martinus Polonus, aliique.

3 *Monſtrum, ſceleratus*] Vide Wern. Rollwinck. Faſcicul. Temporum circa annum 900. Ipſe Genebrardus ad Sylveſtrum II. obſervat ejus temporis Papas *monſtra fuiſſe*. Conſule Chamieri Panſtratiæ Lib. III. cap. 6. *De Canone fidei.*

4 *Hæreſios*] *Hæreticus eſſe poteſt non ſolùm Presbyter, ſed Pontifex etiam ſummus.* Franc. Victoria Relect. I. de *Poteſtate Eccleſ.* Hæretici fuerunt Liberius, Anaſtaſius, Honorius, & Joannis XXII.

Quin age; ſcribatur quam fert ſententia Judex,
(Qui quamvis poterit Stentoris ore loqui,
Nunquam voce ſua gentes affabitur omnes;
Scripto igitur judex talis habebit opus:)
Si ſcripto pateat quæ ſit mens judicis ejus,
Cur nequeat ſcripto mens patuiſſe Dei?
Sin ſcripto haud pateat quæ ſit mens judicis, Ecquis
In terris talis judicis uſus erit?
O animæ curvæ, tenebris dignæque profundis,
Quicis potuit Solis diſplicuiſſe jubar!
Nemo niſi inſanus quæ quiſquam proferat ore,
Mandari ſcriptis verba ea poſſe neget:
Aut igitur Synagoga neget Romana, prophetæ
Quæ conſcripſerunt verba fuiſſe Dei;
Et quæ diſcipuli cœleſtis verba Magiſtri
Scripſerunt, ejus verba fuiſſe neget:
Aut ipſa ingenuè fateatur verba Tonantis,
Et IESU in ſcriptis jam remanere libris.
Diſplicuere olim quæ à IESU dicta fuerunt,
Et multi Dominum deſeruere ſuum:
Tunc ille ad famulos: *Num vos, mea turba fideli*,
Me exemplo illorum deſtituetis, aït?
Cui Petrus princeps illorum: *Quò ibimus*, inquit,
Nate Deo? vitæ verba perennis habes.
Talia ſi extarent, cum nondum ſcripta fuerunt,
Scripta etiam[1] vitæ verba perennis erunt.
Præterea cum ſit nimiùm mutabilis omni
Mens homini (id videor jam docuiſſe ſatis,)

Quod

1 *Scripta etiam*] Ergo S. Epiphanius de ſacris Scripturis ait; Ἀλ γεγραμμέναι ἡμέτεραι ζωή. In Ancorato, cap. 93.

Quod judex hodie quæ fortè probaverit, idem
Cras non damnabit, quomodo certus ero?
At conſcripta libris omni ſibi tempore conſtant,
Idem illis animus, mens eademque manet.
Non illa inſervire ſolent affectibus ullis, [8]
Omnis abeſt ſcriptis ſpeſque metuſque ſacris.
QUOD poſſit falli Romanus Epiſcopus, idque
In rebus fidei, bella nefanda docent.
Inter Pontifices [1] nuper diſcordia nata eſt, [9]
Scripturæ Editio purior utra foret:
Dat Sixtus propriæ Canonis jus Editioni,
At decus id Clemens vindicat omne ſuæ:
Vera utrique ſua eſt; ferit hunc anathemate uterque,
Quiſquis erit, veram qui neget eſſe ſuam.
Interea has inter non convenit Editiones,
Inter ſe pugnant bis quoque mille locis:
Et veluti cuivis conſtet, cum fontibus ipſis
Editio hæc pugnat, pugnat & illa ſacris.
Omnibus arbitrio Papæ ſi ſtare neceſſe eſt,
Tartara qui fugerent, Eumenidumque domos;
Dicite Romani, (nam falli neſcit uterque)
Utri horum demum ſit mihi habenda fides?
At non Pontificis veteri ſub lege ſupremi
Arbitrio quondam faſque nefaſque ſtetit:
Si quis peccatum commiſerat, ille reprenſus
Legibus ex his eſt, quas tulit ipſe Deus.
Si quis inauditum procudit dogma, retuſus
Illius ex iſdem legibus error erat.

Miſit

1 *Inter Pontifices*] Vide doctiſſ. Jameſii Libellum cui titulus. *Bellum Papale.*

Miſit Judæos ad Moſen [1] atque Prophetas [10]
Ille prophetarum quem pia turba colit;
Et qui Moſe fuit major, cunctiſque prophetis
Scripta prophetarum comprobat ore ſacro.
Monſtrarunt Patribus monumenta prophetica priſcis,
Ad vitam æternam quæ via recta foret:
Cur non ſufficiant nobis ſcripta omnia ſacra?
Cur nos non doceant, quæ docuere Patres?
Quæ Deus à nobis fieri jubet, omnia plana:
De obſcuris paucis, improbe, cur quereris?
Judæis ſcriptam legem temnentibus olim
Regius Iſaias *lumen ineſſe negat.*
Damnata à Chriſto eſt Judææ Cabala gentis, [11]
Contra ſcripturas quod foret illa ſacras;
Nam quæ ſcripta vetat lex, auſa eſt illa jubere;
Et prohibere Dei quæ ſacra ſcripta jubent:
Et cur non nobis damnetur Cabala [2] Romæ,
Cum leges pariter deſtruat illa Dei?
Ni *Non-ſcripta* forent mendacia putida Romæ,
Decipere incautos non potuere diu:
At dum ſcripturis *Non-ſcriptæ traditiones*
Æquantur ſacris; Fabula quæque placet.
Cur placeant Romæ quæris mendacia? cauſa
In promptu eſt; *Stultis impoſuiſſe juvat.*

His

1 *Miſit Judæos ad Moſen*] *Habent Moſen & prophetas, audiant illos: Si Moſen & prophetas non audiunt, neque ſiquis ex mortuis reſurrexerit, credent.* Luc. XVI. 29. 31.

2 *Cabala*] *Divinæ legis interpretatio, quam Moſes ab ipſo Deo accepit. Idem eſt apud Hebræos, quod apud nos ſcientia ſecretior; ob eam ſcilicet rationem, quod illam doctrinam non per literarum monumenta, ſed ordinariis revelationum ſucceſſionibus alter ab altero quaſi hæreditario jure ſuſciperet.* Pet. Crinit. de honeſta Diſciplina Lib. XXV. cap3.

His debent aurum, gemmas, tripliceſque coronas,
Auratos currus, pocula, ſcorta, domos.
Priſca haud paupertas placuit, nunc aurea Roma
Deluſi immenſas poſſidet orbis opes.
Divitis ut poſſit ſucceſſor Papa Neronis [12]
Dici, ſed non eſt ſancti humiliſque Petri.
Abfuit huic aurum, ſed non ſanctiſſima vita,
Non aberant mores qui placuere Deo:
Pauper erat Petrus, rutili contemptor & auri,
Nec voluit pretio vendere dona Dei:
Pontifices vitiis ſqualent, tamen omnibus aurum
Divitiaſque modis accumulare ſtudent.
Non intrant cœli regnum, prohibentque volentes
Intrare, & cogunt triſtia adire loca.
Extitit ille hominum piſcator Apoſtolus ingens,
Sunt piſcatores jam quoque pontifices,
Sed nummorum; auſi promittere gaudia cœli
Illis qui nummis hæc meruere ſuis.
Indulgere hominum vitiis, mulctare crumenas
Roma amat, & cœlum pandere divitibus.
Et miſeris illis ſolis occludere cœlum,
Iſtius mundi qui caruere bonis [1].
Contrà quàm Chriſtus fecit, qui juſſit ut ipſis
Pauperibus cœli janua aperta foret.
Contemplans animo theſauros quos ferat illa
De Chriſto, (ut credit) fabula [2], Papa ſtupet; [13]
Et

1 *Iſtius mundi qui*, &c.] *Nota diligenter, quod hujuſmodi Gratiæ* (Indulgentias intelligit,) *non conceduntur pauperibus, quia non habent: ergo non poſſunt conſolari.* Taxa Cameræ Apoſtolicæ Impreſſ. Pariſiis.

2 *Fabula*] Vox fuit impia Leonis X. Pontificis Rom. ad Cardinales quoſdam, cum theſauros ſuos ipſis oſtenderet: *En quantum profuit nobis hac fabula Chriſti!*

Et ſalsè ridens ſtultos ſceleratus & exlex,
Quiſquis decipi amat, decipiatur, aït.
Si poſito pretio poſſet ſcelus omne remitti,
Ad Stygias iret quis niſi pauper aquas?
Si poſitis nummis cuivis peccare liceret,
Cui fuerint odio crimina, rarus erit.
PRÆBUIT hoc ipſum variis erroribus ortum,
Regula dum fidei quæ data ſola fuit
Scriptura à Domino, perfecta haud creditur eſſe:
(Dicitur ingratis Lesbia norma viris:)
Cum non ſcripturæ ſacræ, ſed cordibus inſit
Humanis vitium, veraque ſunt odio.
Cereus hinc audit naſus ſcriptura profanis,
Romani hinc pugilis [1] voxque ea dira fuit,
Nempe haud plus fidei divina hæc ſcripta mereri,
Fabellæ Æſopi quam meruere Phrygis;
Calculus accedat niſi cætûs illius, unum
Pontificem agnoſcit qui caput eſſe ſuum.
Cogimur heu dicta hæc blaſphema audire, Gnathones
Vilia dum tentant reddere ſcripta Dei.
Pontificem interea Romanum errore teneri
Poſſe quidem ventri dedita turba negat.
Cum Roma ſentit gens quam fanaticus error
Urget, ſcripturas opprobriis onerans,

Literu-

1 *Romani hinc pugilis*] Cum quidam dixiſſet, *Scripturas valere, quantum fabulas Æſopi, ſi deſtituantur auctoritate Eccleſiæ*, Cardinalis Hoſius Lib. III. contra Brentium aſſerit, *potuiſſe id pio ſenſu dici.* Idem Cardinalis eò blaſphemiæ prorupit, ut dixerit, *melius conſultum fuiſſe Eccleſiæ, ſi nulla unquam extitiſſet Scriptura.* Et Gregorius de Valentia, *commodiùs fuiſſe non ſcribi.* Denique Cardinalis Surdiſius nulli horum impietate cedens, *Abſque Eccleſiæ*, inquit, *auctoritate, non majorem fidem adhibuerim Divo Matthæo, quam Tito Livio.* In Catech.

Literulam exanimem vocitando, *mortiferamque,*
Serpentûmque eſcam; plura referre piget.
Omnibus ut pateat, cujus ſit dira propago,
Ut matrem referat filia fœda ſuam.
At nunc quas laudes, & quanta encomia ſancti
Olim ſcripturis attribuere viri,
Hic referam, ut lingua dictata hæc ſacra procaci
Impia gens diſcat non lacerare Dei:
Nam quamvis hominum manibus depicta elementa
Extent, verba tamen credimus eſſe Dei.
SCRIPTURAS voluit Chriſtus ſcrutarier omnes, [14]
His quoniam cunctis vita beata patet.
Has quia neſcirent, errarunt turpiter olim
Judæi, id Nato teſtificante Dei;
Dicere qui ſolitus ſæpe eſt; *Erratis iniqui*
Doctores populi, vos quia ſcripta latent.
Sæpe ſuis dixit: *Hæc demum facta fuerunt,*
Quod ſacra hæc certò ſcripta futura monent:
Convenit hoc fieri, & ſimul illud, ut omnia poſſint
Impleri vates quæ cecinere ſacri.
Et citiùs vaſta mundi compage ſoluta
Omnia in antiquum ſunt reditura chaos;
Quam ſacræ unus apex 1, *aut unum legis iota*
Effectu juſto ſunt caritura ſuo.
Quam verè ille bonus Rex atque propheta canebat,
Lumina quod pedibus ſcripta fuere ſuis:

1 *Unus apex*] *Amen dico vobis, donec tranſeat cœlum & terra, iota unum aut unus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant.* Matt. V. 18. *Et conſummabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt per prophetas, de Filio hominis.* Luc. XVIII. 31. *Vide* Luc. XXIV. 25. 26. 27. *Neceſſe eſt impleri omnia quæ ſcripta ſunt in lege Moyſis, & prophetis & Pſalmis de me.* Ibid. ver. 44. 45.

Nempe ea quæ Moſes Judæis tradidit olim,
Obvelata licet multa fuere typis!
Talia ſi dici meruerunt lumina priſcis,
Quantò id ſcripta magis promeruere decus,
Abdita quæ à ſeclis myſteria multa recludunt,
Gentibus & tradunt jam ſine nube legi.
Tradita, Paulus aït, *ſancta eſt divinitus omnis*
Scriptura, & cunctis integra norma manet.
Blandiùs illa rudes docet, acriter illa profanos
Arguit, & nullos non renovare ſtudet.
Non illa eſt humiles inopum aſpernata tabernas,
Ora tyrannorum nec truculenta timet.
Illa Dei ſervum perfectum reddit, & ipſum
Paſcere Chriſti agnos, paſcere monſtrat oves:
Artificemque facit, quem nemo jure reprendat,
Inſtructum plenè munus ad omne bonum.
Spiritualia decertantibus arma miniſtrat,
Inſidias contra quas ſtruit ille malus,
Qui genus humanum ſecum unà in tartara tentat
Pertrahere, & Stygio diſcruciare lacu.
Illaque in afflictis [1] præbet ſolamina rebus,
Quæ dare Græcorum dogmata nulla valent.
Denique dat ſapuiſſe, dat illius ora videndi
Spem, qui vita hominum eſt, lumen & una ſalus:
Adſit vera fides, adſit dilectio fratrum,
Quæ placuiſſe ſolent ſupra holocauſta Deo.

Donec

1 *Illaque in afflictis*] Hæc expertus loquor. Equidem ſi Quintilianus *unicum adverſorum ſolatium literas eſſe* putavit, eas inquam, quæ nihil de Deo vero, ejuſve providentia, & erga bonos amore certi aut explorati habent, quanto magis nos literas ſacras in rebus afflictis maximum Dei beneficio hominibus ſolatium afferre dicemus?

Donec in hac miſeræ verſor caligine vitæ,
Vox tua ſit pedibus Chriſte, lucerna meis!
QUID de Scriptura Patres ſenſere, loquatur [15]
Lugduni Antiſtes[1], præcipuumque decus;
Qui novit, ſi quiſquam alter, quæ tradita ſanctis,
Namque viris charus vixit Apoſtolicis;
Atque, ut fama refert, Præſul ſanctiſſimus idem
Martyrii ſacri ſanguine tinctus obît:
Fundamentum, inquit, *ſunt hæc fideique columna,*
Quæ dictante ipſo ſcripta fuere Deo.
Sufficere ad vitam hæc omnes uno ore fatentur,
Et ducunt ultrà quærere grande nefas.
Servatur ſcriptis Lex ſancta fidelibus omnis
Inter mortales cognitioque Dei:
Queis Scripturarum fœda ignorantia cauſa
Præcipua eſt miſeris, & prope ſola mali.
Quis furor, O Roma, & quæ te dementia cepit,
Ut populo has nugas vendere non metuas;
Tam rerum memores homines fore Traditione,
Quam libris ſcriptis: (hæc meminiſſe dolet:)
Ergo tuas vanas Urbs impia traditiones
Audes ſcripturis æquiparare[2] ſacris:
Cum tamen id fateare neceſſe, incertius eſſe
Rebus in humanis traditione nihil.

1 *Lugduni Antiſtes*] S. Irenæus, S. Polycarpi diſcipulus, martyrio coronatus Anno Chr. CCII. *Doctrinarum omnium accuratiſſimus explorator* Tertulliano audit: Epiphanius vero cum *Apoſtolorum Succeſſorem, priſcumque Theologum* vocat.

2 *Scripturis aquiparare*] *Non eſt audaciæ æquare aliquid non ſcriptum Verbo ſcripto.* Bellarminus de Verbo Dei non Scripto Lib. IV. cap. 3. *Quædam ſunt traditiones majores quoad obligationem, quam quædam ſcripturæ.* Idem ibid. cap. 7. Vide Concil. Trident. Seſſ. IV.

Talis traditio fama eſt, nunc nuncia veri, [16]
Nunc eadem falſi non minus ipſa tenax.
Interea haud curas Dominum quo vulnere lædas,
Scriptores ſacros quo afficiaſve probro:
Vel quaſi ſcripſiſſent hi fruſtrà, ubi nilque neceſſe,
Vel meliùs libris his caruiſſe foret.
Aſt hanc ſtultitiam bene nota reprendere poſſunt
Et lex naturæ, conditioque hominum.
Vixere ante Agamemnona multi, & funera Trojæ,
Et Thebas poſitas, temporaque Ogygia;
Quos nunc ignotos æterna oblivio carpſit,
Quod vatem miſeri non habuere ſacrum.
Si nunc res geſtæ tenebris verſentur in atris
Ullius populi, ſi latuere diu;
Cauſa eſt, quod miſeræ per plurima ſecula gentes
Omnino ſignis his caruere ſacris.
Hinc quæ fuderunt incondita carmina Bardi [1] [17]
Dum canerent læti fortia facta ducum;
Et quæ de rebus veteres ſublimibus illi
In lucis quondam diſſeruere ſuis,
Tempus edax rapuit, vel quod caruere figuris,
Vel quod relligio his pingere verba fuit [2].

Non

1 *Bardi*] Vates apud Gallos ſive Belgas. Strabo de ſapientibus illarum gentium agens, tria hominum genera apud Gallos in ſummo honore habitos fuiſſe ſcribit. Illi erant Βάρδοι μὲν ϗ Οὐάτες, ϗ Δρυΐδαι· Βάρδοι μὲν ὑμνηταὶ ϗ ποιηταί. Οὐάτες τε ἱερεῖς ϗ φυσιολόγοι, Δρυΐδαι δὲ πρὸς τῷ φυσιολογίαν, ϗ τῷ ἠθικῷ φιλοσοφίαν ἀσκοῦσι. Vide Diod. Sicul. Lib. V. Lucan. Lib. I. Ammian. Marcell. Lib. XV. & Dion. Chryſoſtom. Orat. XLIX.

2 *Relligio his pingere verba fuit*] De Druidis ſic ſcribit Cæſar: *Neque fas eſſe exiſtimant ea* [ſcil. ſuperſtitioſa dogmata] *literis mandare, cùm in reliquis ferè rebus, publicis privatiſque rationibus, literis utantur.* De bello Gallico Lib. VI. Vide notas infrà ad Lib. VI. num. [42].

Non bene geſtarum famæ cuſtodia rerum
Creditur, (humanæ id res docuere nimis,)
At quæ facta virûm ſunt conſignata tabellis,
Dictaque, cum mundo corruitura manent.
QUIN ſine ſcriptura pereant quod nomina rebus,[18]
Exemplo adnitar reddere conſpicuum.
Dum gens fatali Judæa ſuperſtitione
Ore reformidat ſignificare Dei
Illud ter ſanctum [1], & cunctis venerabile nomen,
(Quod tamen haud unquam dedecet ora pia;)
Et dum quod nomen gens hæc proferre timeret
Voce, id vix unquam ſcribere viſa fuit:
Quis nunc literulas edet mihi quatuor illas
Sacras, puncta quibus jam periere ſua?
Quæ ſi ſcripta forent ſemper, non facta fuiſſet
Gens reproba incerta voce vocare Deum.
Hinc facilè apparet quod Lex, niſi ſcripta fuiſſet,
Cum voce hac poterat jam cecidiſſe ſacra.
Dictum ergo eſt Moſi, ſiquando lex data ſancta
Ulla ſit, aut placuit mira patrare Deo;
Si virgam Omnipotens ſinuoſum vertit in anguem,
Edere qua vati ſigna tremenda dedit;
Si mare diffiſſum, & ſimul hinc Cryſtallina & inde
Mœnia, mira fides! ſurgere viſa forent;
Si redeunte mari, (virgam extendente propheta,)
Infenſos hoſtes obruit inde Deus.

1 *Illud ter ſanctum*] Scilicet nomen Dei Τετραγράμμαλον יהוה. Hoc nomen Judæi vulgò efferri (ejus loco modò *Adonai*, modò *Elohim*, pro ratione vocalium Tetragrammato ipſi ſubſcriptarum ponentes) vetuerunt: deinde in Templo tantùm, & quidem ſemel in anno, pronunciari voluerunt: quo demum factum eſt, ut qua ratione rectè pronunciari debeat, planè ipſis Judæorum doctiſſimis non conſtet.

Si cadit è cœlo panis, ſi Moſe jubente
  Vel ſilice ex rigido protinus unda fluit.
Per loca ſi deſerta ignis duxiſſe columna
  Viſa ſit, (ad potum rupe ſequente,) pios,
Si ſit Jordanes partes diviſus in ambas,
  Tranſiret ſicco ut ſacra caterva pede:
Si in bello cecidere hoſtes, clangore tubarum
  Si ruerent urbis mœniaque alta ſimul;
Si ad nutum IESU fixus quaſi vertice cœli
  Sol ſtetit, & Luna eſt ſi famulata duci:
Hæc, ait Omnipotens, *fidis committe tabellis* [1],
  Ut ſcripta hæc poſſit nulla abolere dies;
Sed doceat teneros pueros mea geſta Jacobi
  Progenies, omnis poſteritaſque legat.
Idem alibi ſcribi ſua facta in marmore juſſit [2],
  Quod ſic manſura in ſecula cuncta forent.
QUIN IESUS poſtquam cœleſtia regna reviſit, [19]
  Dilecti haud cætûs immemor ille ſui,
Diſcipulo ſeſe oſtendit, quem ſemper amore
  Complexus ſummo eſt, cuique videre dedit
Ipſa arcana poli, mirandaque plurima ſcire,
  Quæ eventura forent tempore quæque ſuo,
Juſſit manſuro [3] ut perſcriberet omnia libro,
  Quæ vidit, plebs ut perlegat illa Dei;
Et IESUM ſummumque prophetam, omneſque Pro-
  Ex ejus puro fonte bibiſſe ſciat: (phetas

Scan-

1 *Fidis committe tabellis*] *Dixit autem Dominus ad Moſen: ſcribe hoc ob monumentum in libro.* Exod. XVII. 14.

2 *In marmore juſſit*] *Et ſcribes ſuper lapides omnia verba legis hujus planè & lucidè.* Deut. XXVII. 8.

3 *Juſſit manſuro*] *Quod vides, ſcribe in libro.* Apocal. I. 11. *Scribe ergo, quæ vidiſti, & quæ ſunt, & quæ oportet fieri poſthæc.* v. 19. *Scribe, quia hæc verba fideliſſima ſunt & vera,* Ibid. cap. XXI. 5.

Scandala nec poſſint gentes hinc ulla movere,
Quandoquidem ſcripta hic cuncta futura vident.
Inde ſenex ſanctus, jam libris impoſiturus
Divinis finem, talia dicta dedit:
Hunc Pater omnipotens perdet, quicunque vel addet
His quicquam ſcriptis, ſurripietve ſacris.
Non alia ergo piis totius cœtibus orbis
Quam libri hi ſacri cognita norma fuit.
His ſolis veteres ſunt uſi ad dogmata ſana
Confirmanda patres, & ſubigenda mala.
Atque in conciliis; *Quid ſacra oracula narrant?*
Quidve legis ſcriptum? vox fuit illa frequens.
Donec progenies orta eſt ſub nomine Chriſti
Quæ eſt auſa in magnum bella movere Deum;
Mutans & delens quæcunque edicta Tonantis
Contra ſe faciunt, & ſua facta notant:
Quos ſatiùs fuerat mores mutare inhoneſtos,
Quam exigere ad mores optima ſcripta malos.
Roma licet clamet, *Corrupta volumina ſacra,*
Nilque ex his certi poſſe proinde peti:
Scripta prophetarum veterum tamen ipſa fatetur
Manſiſſe ad Chriſti tempora pura ſatis:
Unde probat meretrix corrupta deinde fuiſſe?
Dixiſſe id tantùm num putat eſſe ſatis?
Judæi [1] veteris numerando cuncta elementa [2]
Fœderis, (hoc ætas nulla tacebit opus:)
Marmoreo cauti cinxere oracula vallo
Divina, hinc nobis immaculata manent:

1 *Judæi*] Nempe Maſorethæ; de quibus vide Buxtorfium in Tiberiade.

2 *Numerando cuncta elementa*] Quod à Maſorethis factum eſt.

Scripta Evangelii non audet dicere falſa,
Invita agnoſcit quod ſine labe nitent.
Interea rivos turbatos Fontibus æquat;
Atque bonis Græcis facta Latina malè.
Dixit IOVA, *Caput tibi, ſerpens, conteret* ILLE:
Mavult Roma, *caput conteret* ILLA [1] *tibi:*)
Quo jure id faciat, neſcitur: cur tamen illa
Hic faciat, novit quilibet ex populo.
I nunc, Roma parens ſcelerum, corruptaque demum,
Si poſſis, queritor ſcripta fuiſſe ſacra.
MUSA refer Graiis myſteria quanta figuris [22]
Hiſce tribus voluit ſignificare Deus,
Quæ ſignant ſexaginta ſex ſcilicet annos
Supra ſexcentos [2]: *En hominis* [3] *numerum!*
Infauſtum numerum veteres in voce ΛΑΤΕΙΝΟΣ [4]
Comprendi conſtat non latuiſſe Patres.
Hunc numerum in *Papam* ſolum quadrare *Latinum*,
Quæ referam demum plurima ſigna probent.

Cæſaribus

1 *ILLA*] Gen. III. 15. ubi in Hebræo eſt הוּא, & reſpicit nomen antecedens זֶרַע ſcil. ſemen (quod Hebræis maſculinum eſt) quo Chriſtus deſignatur, (in LXXII. αὐτός) in Vulgata eſt, *IPSA* (ut ad B. Virginem Mariam referatur,) *conteret caput tuum.* Et de Virgine Maria conterente caput Serpentis interpretes Pontificii quam plurimi exponunt.

2 *Sexaginta ſex ſupra ſexcentos*] Vide Apocal. XIII. 18.

3 *Hominis*] Non cujuſvis, ut quidam autumant, (quis enim numerum cuivis homini convenientem deſignet?) ſed ſignatè illius, qui in Secunda ad Theſſalonicenſes Ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας, ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας vocatur, nempe Antichriſti. Et quidem ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας ideo vocatur, teſte Chryſoſtomo, quòd ſit πᾶσαν τὸ Σατανᾶ δεχόμενος τὴν ἐνέργειαν. Υἱὸς vero ἀπωλείας, ut Oecumenius notat, διὰ τὸ ἀπολλύειν πολλούς, καὶ αὐτὸν ἀπόλλυσθαι.

4 ΛΑΤΕΙΝΟΣ] *Sed &* LATEINOS *nomen habet ſexcentorum ſexaginta ſex numerum, & valde veriſimile eſt, quoniam veriſſimum regnum hoc habet vocabulum.* S. Iren. Lib. V. cap. 30. Nota.

Cæsaribus regni vix umbra relicta[1] *Latini*,
(Dum sibi *Papa* rapit nomine cuncta *Petri*:)
Subdita perque nefas Ecclesia tota *Latina*,
Nota parum populo *Missa Latina* rudi:
*Versio*que in primis Authentica facta *Latina*,
Versio sæpe sacris[2] fontibus opposita.
Annum si signet numerus quo *Filius* ille
Orco erupturus *Perditionis* erat;
Quis neget hunc numerum *Papam* signare *Latinum*?
Nam si hinc incipiet quis numerare pius
Imperii facta est ubi pars[3] Judæa *Latini*,
In miseros illos incidet ille dies,
Cum Præsul fertur[4], Phoca tribuente, *Latinus* [23]
Imperium in fratres arripuisse suos.

Sin

ta, Feuardantium loco *verissimum*, auctoritate, ut ipse profitetur, reterum Codicum, *novissimum* reposuisse.

1 *Imperii vix umbra relicta*] S. Cyrillus Hierosolymitanus Catech. Lib. IV. dicit, diabolum excitaturum Antichristum ἁρπάσοντα ἑαυτῷ τῆς Ῥωμαίων βασιλείας τὴν ἀρχήν. Et cui magis conveniet illud, quam Hildebrando, ejusque successoribus, qui imperium Romanum arripuerunt; nec Italiæ modo, sed totius orbis etiam Monarchas se esse venditârunt? Vera sunt quæ Bellarminus scribit, quamvis his verbis seipsum (quod ipsi solenne est) confodiat: *Antichristum fore ultimum qui tenebit Romanum Imperium, tamen sine nomine Romani Imperatoris.* De miraculis Antichristi cap. 15.

2 *Versio sæpe sacris*] *Nulla est sive Anglicana, sive Gallica, sive Germanica versio, quæ Vulgatæ Latinæ præferri non debeat.* Juell. Defens. Apol. Part. I. cap. 1.

3 *Imperii facta est ubi pars*] Capta est à Pompeio M. Urbs Hierosolymitana Anno U. C. 690. sexaginta annos ante natum Christum: Bonifacius vero Pontifex Rom. nomen Episcopi Universalis (Characterem, judice S. Gregorio M. Antichristi,) à Photio tyranno obtinuit Anno Christi 606. cui numero si addatur 60. efficietur numerus 666.

4 *Cum Præsul fertur*] Bonifacius III. De quo Baronius ad Ann. Chr. 606. sic scribit: *Phocas*, inquit, *iratus Cyriaco Episcopo Constantinopolitano adjudicavit titulum Oecumenici Pontifici Romano soli.* De Phoca verò, sub quo res Romana continentibus atque atrocibus calamitatibus afflicta est, Cedrenus hæc tradit: *Nempe monachum quendam*

Sin (mihi quæ longè potior ſententia [1] viſa eſt,)
Deſignet ſpatium temporis hic numerus,
In quo Ille exlex editus eſt, crevitque, adolevitque,
Uni Pontifici competit illa nota.
Sublato imperio Romano [2] *peſſimus ille* [24]
Naſci habuit, (vates ſic cecinere ſacri:)

Dirui

quendam ſanctum, Deum ad diſceptationem provocantem, quæſiviſſe à Deo, Cur tam impium Chriſtianis impoſuiſſet Imperatorem? (nam Phocas Imperatorem & Dominum ſuum interfecerat,) *& audiviſſe vocem ſibi dicentem:* Χήρα ὐχ ἕξεν πρὸς τὼ κακίαν τὴν κατοικήσ]ων ἐν τῇ πόλει. Quem & alibi ſic deſcribit idem hiſtoricus, ut eſſet Ὀινοβαρὴς, ἀιμοχαρὴς, ἀσυμπαθὴς, θηειώδης τὸν τρόπον, κὴ ἀιρε]ικός.

1 *Sententia*] Et eſt doctiſſimi mihique amiciſſimi viri Benj. Woodroffi S. T. P. Ædis Chriſti apud Oxonienſes Canonici in libro quem *De Caſu Babylonis* ſcripſit; itemque in *Examine* &c.

2 *Sublato imperio Romano*] S. Hieronymus cum audiviſſet Romam ab Alarico captam, quaſi expectaret Antichriſtum ſubitò revelatum iri, ſcripſit ad Ageruchiam: *Qui tenebat, inquit, de medio fit, & non intelligemus Antichriſtum appropinquare?* Illud quoque τὸ κα]έχον, cujus mentio fit ab Apoſtolo (2 Theſſal. II. 6.) & ad quod S. Hieronymus hic reſpicit, de imperio Rom. intelligunt Tertullianus Apol. cap. 32. & libro de Reſurrect. carnis cap. 24. (Vide eundem adverſus Judæos, & Lib. III. contra Marcionem.) S. Chryſoſtomus in Epiſtolam D. Pauli jam laudatam; ejus verba hæc ſunt: Τὸ κα]έχον, ἤ Ρωμαϊκὼ ἀρχὼ λέγει. Quem ſecutus Theophylactus, ut ſemper: Ἡ Ρωμαϊκὴ ἀρχὴ ὅταν ἀρθῇ ἐκ μέσε, τότε ἐκεῖνΘ ἥξει. In locum. Id etiam de Romano imperio intelligunt idem S. Hieronymus Epiſt. ad Algaſiam; itemque Prologo in librum Didymi de Spiritu S. ubi Romam *Babylonem* vocat. S. Auguſt. de C. D. Lib. XX. cap. 19. & XXVIII. cap. 2. Bellarmin. de Pontif. Rom. Lib. II. cap. 2. M. Anton. de Domin. De Rep. Eccleſiaſt. Lib. IV. cap. 3. nu. 28. Porro ex hiſtoriis conſtat, quinto ſeculo imperium Romanum à barbaris gentibus undequaque obſeſſum & labefactatum fuiſſe; & ex ipſius ruinis in variis orbis partibus nova regna exorta; ſcil. Francorum in Galliis, Saxonum in Britannia, Vandalorum in Africa, Hunnorum in Pannonia, Gothorum in Hiſpania, aliorumque alibi, ad numerum uſque denarium prout prædictum eſt Apocal. XVII. 12. uti etiam per decem digitos pedum Dan. II. 42.

Dirui at imperium cœpit tunc inclyta Roma
Cum primùm a Gothico milite capta fuit.
Contigit hæc clades[1] cum ſecula quatuor eſſent
Virginis à partu luſtraque lapſa duo.
Hinc ſi tot numeres annos, quot rite figuræ
Iſtæ tres ſignant, triſtia, crede mihi,
Tempora pervenies, queis cœlo inimica poteſtas
Creverat, & bellum eſt viſa movere Deo.
Scilicet Henricum quando Hildebrandus iniquus [25]
Imperio eſt auſus diſpoliare ſuo.
Jactaret mundi ſibi regnaque cuncta ſubeſſe,
Nutu quo vellet[2] tranſqueferenda ſuo.
Denique funeſtus numerus contrarius illi[3] eſt,
Quo deſignantur pignora chara Dei.
Nempe eſt quadratus ſocios qui denotet Agni,
(Dilecta O ſemper quam Duodena Deo,
Conſtat queis numerus ſanctorum!) ſurgit at illo
Quadrata ex numero nulla figura Feræ.
Quadrata Urbs ſancta eſt, & conſtat partibus æquis,
Unius haud formæ eſt urbs odioſa Deo.
O Babylon, Babylon, Solymis contraria ſemper,
Stans his adverſa, diſſimilique baſi!
Quamvis temporibus noſtris moviſſe lacertos,
Siſque caput læſum tollere viſa tuum,
Attamen

1 *Contigit hæc clades*] Capta eſt Roma ab Alarico Anno 410. cui ſi addas 666. erit 1076. quo anno Hildebrandus (Gregorius VII. dictus) adverſus Henricum IV. Imperatorem factus eſt rebellis. Quam Antichriſti Æram (numerum & nomen Beſtiæ dictam) Clariſſimus Woodroffus jam laudatus primus obſervavit.

2 *Nutu quo vellet*] Nec Hildebrandus modo; ſed etiam Hadrianus IV. hanc ſibi poteſtatem aſſumere auſus eſt, cujus hæc ſunt verba: *Imperium noſtrum eſt; nos illud damus, cui volumus.* Apud Aventin. Annal. Lib. V.

3 *Numerus contrarius illi*] De hac explicatione numeri 666. vide doctiſſ. Potterum, & ingenium ſaltem mirare hominis. Laudatur & hæc explicatio à doctiſſimo viro Joſepho Medo.

Attamen ut ſancta urbs per ſecula cuncta manebit,
Sic tu, ubi nil metues, orbe ſtupente, rues.
Ante dies paucos [1] quam contra crimina Romæ [26]
Lutherus calamum ſtringeret intrepidus,
Saxonico placida relevanti membra quiete
Objecta in ſomno eſt talis imago Duci.
De ſummo cœlo ſacra comitante caterva
Deſcendiſſe gravis vir ſibi viſus erat;
Inſcripſiſſe ſcholæ foribus mirandaque verba,
Verba velut radio ſcriptaque Solis erant.
Viſa deinde Throno pluma eſt delapſa Tonantis
(Anſeris ex ala raptaque pluma fuit,)
Quæ veniens, alti reſecans & nubila cœli,
Non ſecus ac valida miſſa ſagitta manu,
Percuſſit triplicem, deturbavitque coronam,
Tempora transfixit terriloquæque feræ.
Reſpondit monitis res ipſa; *En ſaucia ſcriptis*
Roma eſt, & lapſu mox ruitura gravi!
Quid ſcripti effecere libri, quantumque poteſtas
Romana eſt calamis debilitata virûm,
Tunc memorare juvabit, quando ætate parentum
Quæ contra Romam geſta fuere canam.
Grande decus Batavûm, defenſor relligionis [27]
Grotius, obturans hoſtibus ora feris,

Hoc

1 *Ante dies paucos*] *Pridie antequam Propoſitiones 95. affixerat Lutherus publicè Wittembergæ contra Indulgentias, quas Joannes Tezelius circumferebat, Fridericus Elector Suidniciæ ter ſucceſſivè ſomniavit, Monachum comitatum Sanctis ad ſe veniſſe de cœlo, & ut quædam oſtio Academico inſcribere liceret petiiſſe: ſcripſiſſe autem literis tam inſignibus, ut ſcriptura etiam Suidniciæ legi poſſet. Finem calami Romam ſe extendiſſe, utramque aurem Leonis X. ibidem jacentis penetraſſe; inde ad coronam tricipitem Pontificis ſe exporrexiſſe, eamque adeo commoviſſe, ut caſura eſſet. Ad hæc audiviſſe, Monachum pennam iſtam accepiſſe ex ala anſeris Bohemici.* Ant. Muſa ex relat. Palat. Elect. Confeſſ.

Hoc erat infelix, quod non agnoverit hoſtem
Illum, qui Chriſti maximus hoſtis erat.
Neſcio an ex animo, at lingua *debere negavit*,
Quæ nunc eſt, Romam pro Babylone capi.
Grotius inconſtans, & plurima crimina Romæ
Ingenii extenuans dexteritate ſui.
Fallor, an ambitio tranſverſum hunc egerit una,
Romanis ſtuduit dum placuiſſe nimis.
At non id primus Lutherus credidit ingens,
Quod Romæ ille Exlex ſedem habiturus erat;
(Crudeli Romæ, quæ morti addixit [1] acerbæ
Te, Chriſte, affixit membraque ſacra cruci,
Pectora perfodit mundo minitante ruinam,
Te facit in membris jam quoque multa pati;)
Sancti Pontificum cum crimina fœda viderent,
Temporibus cunctis id docuere viri.
Illud teſtari multi quoque martyres olim
Sanguine perfuſo non metuere ſuo.
Sæpe pios dolui, nec Romæ caſtra ſecutos,
Hanc veterem quoſdam deſeruiſſe fidem;
Quod Romanus Epiſcopus Adverſarius is ſit,
Poſtremus ſeclis qui retegendus erat:
At rem demonſtrant hæc inclyta ab Omnipotente
Jamjudum in libris tradita ſigna ſacris.
Os blaſphema loquens, quo terret Beſtia gentes, [28]
Et trahit in partes ſpeque metuque ſuas;
(Vult etenim Petri ſolus ſucceſſor haberi,
Seque unum claves jactat habere poli:)

Sumpta

1 *Romæ, quæ morti addixit*] Auctoritate enim Imperatoris Romani, & à Pilato judice Romano IESUS Chriſtus damnatus, & vitæ auctor morti addictus eſt.

Sumpta ſibi in terris cœloque Deo æqua poteſtas,
Dum ſe terreſtrem venditat eſſe deum.
Dum ſedet in templo [1] Domini, & ſuper omne quod
Auguſtum [2] dicas tollitur ille miſer. (uſquam
Dum perimit ſanctos: Homicidas atque rebelles [3]:
Evehit in cœlos, & jubet eſſe deos.
Dum jubet Angelicæ blaſphemus homuncio turbæ
Quid faciant, regum collaque calce premit.
(Oſcula qui pedibus permittit figere reges,
Eſt procul à ſancti moribus ille Petri;
Petri, qui cunctis tribui mandavit honorem,
Et voluit regi quemque ſubeſſe ſuo.
Nec ſanctos dixit, qui regibus inſidiati
Supplicia his factis digna tulere ſuis:)
Quin ſignant peccati hominem miracula falſa,
Spurcities, fraudes, luxus, avaritia,
Imperiumque Urbis, quæ ex ſeptem collibus olim
Orbi devicto jura verenda dedit:
(Nam ſacra ſic nobis quod pingat pagina Romam,[29]
Hoſtes id faſſi [4] ſæpe fuere Dei)

Intro-

1 *In templo*] Εἰς τὸν ναὸν τοῦ Θεοῦ. 1 Theſſal. II. Οὐ τὸν ἐν Ἱεροσολύμοις μόνον, ἀλλὰ καὶ εἰς τὰς πανταχοῦ ἐκκλησίας, ut ait Chryſoſtomus Hom. III. in eam Epiſtolam.

2 *Auguſtum*] Sic ego Σέβασμα loco jam citato reddidi: Notum enim eſt Imperatores Romanos, (ſuper quos ſe extulerunt Papæ,) à tempore Octavii Cæſaris Σεβαστὸς vocari ſolitos eſſe.

3 *Homicidas atque rebelles*] Quales erant Thomas Becketus, Garnetus, Ravaliacus, Jacobus Clemens, aliique. *Viſitatum fuit*, inquit Chemnitius, *in ipſo etiam Papatu, dictum: Multorum reliquias coli in terris, quorum animæ ardeant in inferno.* Exam. Concil. Trident.

4 *Hoſtes id faſſi*] In primis Ludovicus XII. Rex Francorum, qui nummum percuti juſſit, cui hæc verba inſcripta eſſent: PERDAM NOMEN BABYLONIS, teſte Thuano Hiſt. Lib. I. Quin Romam Babylonem illam eſſe, quæ à D. Joanne in Apocalypſi indigitatur

Introducti ritus ridiculi atque profani,
Queis usi innumeros qui coluere deos.
Plebs numerare suis infelix murmura baccis,
Et sine mente labris fundere docta preces.
Peccandi positis concessa licentia nummis,
His positis veniæ criminibusque datæ.
Sacro illi manifesta injuria facta cruori
Christi, cui soli est debita nostra salus.
Et damnata Sacerdotum connubia ab illo,
Cui meretrix minimè displicuisse solet.
(Heu quot stuprorum fuit illud origo per orbem,
Quot simul innocuis diraque causa necis!)
Damnatique cibi (pretio nisi forte redempti,)
Quos Deus ille bonus cum prece jussit edi.
Sævitia immanis, violentia, perfidia, ille
Contemptus sacri codicis [1], atque Dei,
Inque fide errores horrendi, odiumque bonorum,
Idolis cultus, relliquiisque datus,
Denique præceptis Christi contraria cuncta,
Quæ Romæ in pretio nunc & honore vigent,
Nos ultra dubitare vetant, quod Pessimus ille
Nunc Antichristus Romuli in urbe sedet.
Omnia ventura hæc Christi cecinere fideles
Discipuli, eventus fatidicosque probat;

Atque

digitatur Franc. Ribera Jesuita (quod mireris) ingenuè fatetur, & planè demonstrat commentario in caput decimum quartum Apocalyps. Verba ejus sunt hæc: *Romam igitur non tantùm propter priora peccata conflagraturam esse magno incendio, sed etiam propter illa, quæ extremis illis temporibus commissura est, ex hujus Apocalypsis verbis adeo perspicuè cognoscimus, ut ne stultissimus quidem negare possit.*

1 *Contemptus sacri Codicis*] *Indulgentiæ auctoritate scripturæ non innotuere nobis, sed auctoritate Ecclesiæ Romanæ, & Romanorum Pontificum; quæ major est auctoritas.* Sylv. Prieras contra Lutherum de Indulgentiis.

Atque fidem firmat, quod cætera Maximus ille
Implebit, cui ſit tempora nôſſe, Deus.
Hæc, & quæ demum referam decus addere viſa
Sunt ſignis quorum munera ſacra cano.
QUÆ in ſacris olim videre arcana figuris
Judæi, non ſunt hic memoranda mihi;
Viſa parum firma niti ratione Magiſtri
Plurima de Hebræis quæ docuere notis:
Certè inter ſacras Memphis quibus uſa figuras, [30]
Una crucis formam quæ referebat erat;
Et vitam æternam ſignabat [1] gentibus illis,
Quæ pictis animi [2] ſenſa dedere feris.

An

1 *Et vitam aternam ſignabat*] *Signum hoc noſtrum Dominicæ Crucis inter illas quas dicunt* ἱερατικὰς, *id eſt, Sacerdotales literas habere Ægyptii dicuntur, velut unum ex cæteris literarum, quæ apud illos ſunt, elementis. Cujus literæ ſeu vocabuli hanc eſſe aſſerunt interpretationem, VITA ÆTERNA.* Ruffinus Hiſt. Eccleſ. Lib. II. cap. 39.

2 *Quæ pictis animi*] Hieroglyphicis nim. quibus Sacerdotes Ægyptii in myſteriis tradendis uti creduntur. *Sic ipſa myſteria fabularum cuniculis operiuntur, ſummatibus tantum viris, ſapientia interprete, veri arcani conſciis; contenti ſint reliqui ad venerationem, figuris deſendentibus à vilitate ſecretum.* Macrob. in Somn. Scipion. Lib. I. cap. 2. De his Hermotimus apud Lucianum; Τί γὰρ ἂν μηδὲ γράμματα γράφοιμι ἐπὶ τῶν κλήρων, ἀλλά τινα σημεῖα, καὶ χαρακτῆρας, οἷα πολλὰ Αἰγύπτιοι γράφουσιν, ἀντὶ τῶν γραμμάτων κυνοκεφάλους τινὰς ὄντας, καὶ λεοντοκεφάλους ἀνθρώπους. Vide Diod. Sicul. Lib. IV. cap. 1. & Herodot. Lib. II. Inter varia hieroglyphica à Clemente Alex. memorata Lib. Strom. V. quod Dioſpoli (quæ eſt urbs Ægypti) in æde ſacra quæ vocatur Pylon, viſebatur, illud erat: ejus verba ſunt hæc; Ναὶ μὴν καὶ ἐν Διοσπόλει τῇ Αἰγύπτῳ, ἐπὶ τοῦ ἱεροῦ καλουμένου Πυλῶνος, διαζετύπωται παιδίον μὲν γενέσεως σύμβολον· φθορᾶς δὲ, ὁ γέρων· Θεῷ τε αὖ τὸ ἱερατικὸν· ὡς ὀϊχθὺς, μίσους· καὶ καθ' ἄλλο πάλιν σημαινόμενον, ὁ κροκόδειλος, ἀναιδείας. Φαίνεται τοίνυν συντιθέμενον τὸ πᾶν σύμβολον ἁπλοϊκὸν ἔτι τοῦδε· Ὦ γενόμενοι καὶ ἀπογινόμενοι, Θεοὺς μισεῖν ἀναιδείαν. Idem Auctor

An caſu id factum fuerit, mihi dicere promptum
Non eſt, id videor dicere poſſe modo:
Quæ partam nobis Chriſto moriente ſalutem
Signaret meliùs nulla figura fuit.
Incolumes, (reliquo populo moriente rebelli [31]
Judæo, & pœnas dante ſubinde graves,)
Evaſere omnes quotquot mirabile ſignum
Frontibus inſcriptum juſſit habere Deus.
Tau [1], niſi me interpres fallit vetus ille Latinus
(Litera nempe ſacram nota referre Crucem,)
Illud erat ſignum, monſtrans in imagine Chriſtum
In cruce victurus qui Phlegetonta fuit.
NEC minus hæc IESU placuerunt inclyta ſigna,
Quam viſa æterno ſunt placuiſſe Patri:

Auctor ex Pherecyde Syro tradit Idanthuram quendam Scytharum regem Dario, qui Iſtrum trajecerat, bellum minantem ſymbolum miſiſſe pro literis Μῦν, βάτραχον, ὄρνιθα, ὀϊστὸν, ἄροτρον. cujus interpretationem duplicem, qui volet, ibidem videat. Nec deerant Græcis, ſi Theodoreto credimus, ſua γράμματα ἱερατικά: ait enim, Ἐν τοῖς δὲ Ἑλληνικοῖς ναοῖς ἴδιοι τινες ἦσαν γραμματῆες γραμμάτων, ἃς ἱερατικὰς προσηγόρευον. Quæſt. in Gen. 61. Credibile eſt his rudibus & ineptis ſignis uſos fuiſſe Ægyptios, quia meliora iis temporibus non haberent, nempe cum literarum uſum neſcirent. Id ſi verum, Hieroglyphicorum certè apud illam gentem ante literarum uſum fuiſſe conſtabit.

1 *Tau*] Ezech. IX. 4. *Et ſigna Thau ſuper frontes* &c. Sic Vulg. Lat. De ſigno Crucis id interpretatur Tertullianus, (quem ſecuti ſunt Origenes, Cyprianus, Hieronymus, alii.) contra Marcionem Lib. III. cap. 22. *Hæc*, inquit, *eſt litera Græcorum Tau, noſtra autem* T, *ſpecies Crucis.* Et ſunt qui dicunt literam *Thau* in antiquiſſimo Hebræorum Alphabeto T Latini ſimilitudinem geſſiſſe, & proinde Crucis figuram: ſed hoc non conſtat. Porro in textu Hebræo תָּו non eſt ſolititaria litera, ſed dictio תָּו, quæ *ſignum* valet. Et LXXII. interpretes tantum habent, Καὶ δὸς σημεῖον ἐπὶ τὰ μέτωπα τῶν ἀνδρῶν.

(Uſus mortali[1] vix creditur ille Magiſtro, [32]
Pectora cui ſemper plena fuere Deo,)
In terris degens ille ut decus adderet arti,
Viſus erat digito pingere verba ſacro.
Quæ regi[2] à IESU data litera fertur Edeſſæ, [33]
Confictam docti me docuere viri:
At quod pinxit humi dominus cum fœmina coram
Peccatrix ſtaret, pagina ſacra docet.
Non liquet in tenui quid ſcripſit pulvere IESUS,
Conjectare mihi ſi licet, illud erat:
Quod Deus illorum peccata in pulvere ſcribat,
Quos conſtat culpæ pœnituiſſe ſuæ.
Iſta docent, faciles mortales quam decet eſſe
Ad veniam, quoniam crimine nemo caret.
CUM populo ad vitam quæ Lex conſcripta fuiſſet,
Peccato eſt demum nuncia facta necis,
Suſtulit hanc Legem noſtri Deus ipſe miſertus,
Illius ſcriptum ſubſtituitque loco,

Scriptum,

1 *Uſus mortali*] Hoc non certò quidem, ſed probabili tantùm conjectura dici poſſe videtur. Nobis ſuffragatur Origenes libro VI. cont. Celſum, ubi impium illum refellit, qui aſſerere auſus eſt, IESUM à Platone quædam mutuatum fuiſſe, Τίς δ' ἂν οὐ μειδίασειεν τοῖς πράγμασι δωσάμενος, τὸν Κέλσον γελάσαι, ὡς τῷ πισεύοντων τῷ Ιησῦ μόνον, ἀλλὰ καὶ τῶν λοιπῶν ἀνθρώπων; ἀκόων, ὅτι Ιησοῦς (ὃ φησὶ Ιουδαίοις γεγεννημένῳ καὶ ἀνατεθραμμένῳ, καὶ τῷ Ιωσὴφ τὸ τέκτονος νομισθεὶς εἶναι υἱὸς, καὶ μηδὲ γράμματα μεμαθηκὼς, ὡς μόνον τὰ Ἑλλήνων, καὶ οὐδὲ τὰ Ἑβραίων (ὅτερ καὶ αἱ φιλαλήθεις μαρτυροῦσι γραφαὶ τῷ σοφὸν αὐτὸν) ἀνέγνω Πλάτωνα; Reſpicit Origenes ad Evangelii Joannis cap. VII. *Et mirabantur Judæi, dicentes: Quomodo hic literas ſcit, cum non didicerit?* Origenes ex illis verbis colligere videtur, IESUM neſciſſe literas, ac proinde non potuiſſe Platonem legere: quod falſum eſt. nam literas ſciebat & ſcribebat; quamvis legere & ſcribere nunquam edoctus eſſet.

2 *Quæ regi*] Abgaro; rex is erat Edeſſenorum: de quo vide Euſeb. H. E. Lib. I. cap. 3.

Scriptum, quo toti de ligno innotuit orbi,
Quod verus populi Rex foret ille ſui:
Omnibus æternæ vitæ credentibus Auctor;
Duxque ſalutiferæ ſolus ad aſtra viæ:
Morte ſua vicit, victumque hunc gentibus hoſtem
Oſtendit, mortis qui malus auctor erat.
Tu IESUM Solymæ Regem, Pilate, ſalutas [34]
Scriptis, illum animo quem, ſcelerate, negas.
Ille cruci affixus de te, Romane, triumphat;
Invitum dum te ſcribere vera facit.
Quod verum titulum das ſcriptum triplice lingua
Non ſine conſilio Numinis[1] illud agis:
Quod mutare ſimul Scriptum, Pilate, recuſas,
Nemo in eo dextram non videt eſſe Dei.
Dum videt affixum titulum Judæa tremendum,
Græcia dum notat, & Roma ſuperba legit:
Judæa agnovit, venerata eſt Græcia docta,
Et Dominum amplexa eſt aurea Roma ſuum:
Accipiunt gentes vel te præcone ſalutem,
Scriptaque in æternum, te pereunte, manent.

SIGNA cano dilecta Deo, quibus ipſe ſupremo,
Mira fides! Deus eſt viſus ab axe loqui.
Muſa *Crucem* memora ſacram ſuper æthera viſam [35]
Conſtantino olim, dum pia bella gerit;
Sidereo titulo fulgentem, HOC VINCITO SIGNO,
Hoc tibi ſternendus quilibet hoſtis erit:

1 *Non ſine conſilio Numinis*] *Ad religionem verò Chriſtianam exteris propagandam, & eloquia ſacra intelligenda, quantùm valeat linguarum cognitio, ipſe titulus ſuper Crucem Domini affixus indicat; quia non ſine miſterio, linguis latiſſimè per orbem diffuſis deſcriptus erat, quo linguas iſtas conſecravit Dominus ad Evangelium per orbem propagandum.* Doctiſſ. Waltonus in Prolegom.

Signo credenti parta eſt victoria læta,
Docti & nos ſigno vincere, Chriſte, tuo.
Hinc cœptum eſt ſacro ſubmittere ſceptra Tropæo,
Credereque id ſummum regibus eſſe decus,
Obſequium Æterni Nato præſtare Tonantis,
Quo ſine nec regnum, tuta nec ulla domus.
Ille beatorum quem jam cythariſque canoris,
Atque hymnis laudat ſancta corona ſuis,
Ille Dei ſine labe agnus, qui ſanguine lavit
Participes regni quos velit eſſe ſui;
Qui cœlo inventus ſignacla aperire, volumen
Dignus & æternum pandere ſolus erat,
En de literulis ſumptis, Graiiſque figuris[1]
Ornari demum ſe voluit titulis.
Semper ego Alpha atque Omega, primus & ultimus idem,
Qui ſum, quique fui, quique futurus, aït.
JAM reliqua eſt animus cœleſtia dona referre,
Quæ dent ſigna ſacra hæc, ſuntque datura piis.
His fidei noſtræ conduntur ſymbola ſignis, [36]
Teſſara militiæ certa futura ſacræ;
Qua poſſit ſocius diſcerni fidus ab hoſte,
Unanimiſque manet turba dicata Deo.
Quinetiam his omnis ſecli retinetur imago,
His ſcitur veteres quid docuere Patres;
(Sive id privati in ſcriptis, ſeu Cæſaris[2] una
Juſſu in Conciliis conſtituere ſacris;)

Cum

1 *Graiiſque figuris*] *Honoravit Deus literas, dum à prima & ultima nominari ſe voluit.* Lightfootius in Miſcellaneis.

2 *Cæſaris*] Ejus enim, non Romanorum Pontificum auctoritate Concilia Generalia olim indicta & celebrata ſunt. Ἀφ' ἑ χριστιανίζειν ἠρξαντο (ſcil. βασιλεῖς) τὰ τῆς ἐκκλησίας πράγ-

Cum Patribus ſanctis & nos ſentire probatur;
Illa fides noſtra eſt, quæ veterumque fuit.
Ætatum cunctarum Una eſt Eccleſia ſancta, [37]
Catholica, hæc Nati eſt Sponſaque caſta Dei:
Non terræ unius populus, ſed ſparſa per orbem
Natio juncta fide, junctaque amore ſacro.
Stant in Scripturis fidei fundamina noſtræ,
Hæc quoque dant animis omnia aperta piis:
Si qua obſcura manent (ut ſunt permulta requirunt
Quæ ſtudium, & nullis abſque labore patent,)
Aut hæc plana dabunt (fieri quod ſæpe videmus
In ſacris libris,) lucidiora alia;
Afferet aut rebus lucem veneranda vetuſtas,
(Interpres ſumma eſt Codicis illa ſacri,)
Quæ quidem Apoſtolicis propior quo temporibus ſit,
Hoc magis eſt ipſo nomine digna fide.
At ſine ſcriptura vix quæ docuere parentes
Scire eſt, tam incertò dogmata fama refert.
O ter felices hi qui potuere ſepulti
Ad nos in ſcriptis, ſeclaque cuncta loqui:
Gentibus æternamque ſimul ſuadere ſalutem
Amplecti, & Chriſti dulce ſubire jugum!
Qui jam poſt cineres[1] extant virtutis in orbe
Præcones, & dum terra manebit, erunt,
Non eſt vana fides, qua Sanctis creditur ipſis, [38]
Quod tantùm creſcant gaudia, creſcat honos,

πράγματα ἤρτητο ἐξ αὐτῆς, καὶ αἱ μέγισται συνόδοι τῇ αὐτῆς γνώμῃ γεγόνασι καὶ γίγνονται. Socrates Hiſt. Eccleſiaſt. Lib. V. in proœmio. Conſtantinum M. indixiſſe Synodum Nicænam docet Euſebius in vita Conſtant. Lib. I. cap. 44.

1 *Qui jam poſt cineres*] De his Tertullianus in Apolog. *Voces*, inquit, *eorum, itemque virtutes quas ad fidem divinitatis edebant, in theſauris literarum manent.*

Quantùm quiſque virûm immortalia ſcripta legendo
Promovet in ſtudiis, fit propiorque Deo.
Hinc artis conſtat quæ ſit præſtantia, cujus
Utilitas intrat regna beata poli.
Maxima ineſſe ſolet pietas, contemptus & orbis
His qui ſcripta Patrum nocte dieque legunt.
Martyrum in his veterum lucet conſtantia ſcriptis,
Eximia elucet cum probitate fides.
Plurima in his ipſis virtutum exempla refulgent,
Humanæ vitæ quæ decus eſſe ſolent,
Hæreſeωn patet ortus in his, patet interituſque,
Auctorumque ſimul crimina multa patent;
Et quibus artibus hi demum potuere venena
Mentibus incautis ſpargere dira ſua.
(Quæ monſtrâſſe refutare eſt, horrentia quamvis
Hydræ naſcantur plurima colla feræ.)
Ut prædator Arabs [1] partes vaſtârit Eoas, [39]
Dum Romanus aper perderet Occiduas.
Ut malus Impoſtor laturus bella Tonanti
Miſſus in orbem uno tempore uterque [2] fuit.
Viſus Arabs multis lymphaticus eſſe *Flagellum*,
Quo pœnas meritas gens malefida luit.

Judicia

1 *Prædator Arabs*] Clariſſ. B. Woodroffus S. T. P. in *Examine* &c. pag. 39. de Saracenis ſive Turcis ſic ſcribit: *Voces*, inquit, *Arabicæ* Saraca, *vel* Taraca, *unde horum origo, vagum, latronem, jurem, & vaſtatorem denotant, quibus quam affinia ſunt* אבדון, *&* Ἀπολλύων, *quis non videt?* Certè Prædatorem vel ipſa Chronica ex Arabico verſa Mahometem fuiſſe probant. Vide Diſputationem Saraceni & Chriſtiani à Petro Abbate Cluniacenſi editam; nec non Mahometis vitam à doctiſſ. H. Prideauxio nuper conſcriptam.

2 *Uterque*] Nimirum Mahometes & Gregorius III. qui ab Imperatore Phoca, bipedum nequiſſimo, (ut jam diximus) *Univerſalis Epiſcopi* titulum obtinuit Anno Chriſti 606. Mahometes verò impietatem ſuam evulgare incepit Anno 622.

Judicia O quam juſta Dei, gentique tremenda
Omni, quæ Græcos criminibus ſuperant!
Hic verna impurus, mendax, & turpis adulter
Heu! noſtris crevit diſſidiis miſeris;
Præſtigiiſque ſuis tanti fundamina jecit
Imperii, (multò ſed magis enſe ſuo,) (tus, [40]
Quantum nec Macedo eſt unquam, nec Cæſar adep-
Servus ſervorum[1] vix ſibi majus habet.
Imperium mundi Impoſtor meditatus uterque,
Hoſtis erat populi ſævus uterque Dei.
ANTE reformata eſt quam relligio extitit ingens [41]
Turba id quæ votis omnibus expeteret:
Scilicet à fæda purgata ſuperſtitione,
Mercatuque omni templa videre Dei:
Afflicta illa quidem, variiſque exercita pœnis;
(Sic cœleſtis erant ſigna ſequenda ducis,)
Quippe cremare bonos, & vivos tradere flammis
Mos erat, & reges id voluere ſcelus,
Illius inſtinctu, qui homicidas atque rebelles
Evehit in cœlos, & jubet eſſe deos.
Sunt duo fulcra Urbis fraus & violentia Romæ;
Subtrahe fulcra duo, diraque Roma ruit:
Impius & ſpurius juvenis, ductorque latronum,
Sanguine fraterno cui maduere manus,

1 *Servus Servorum*] Hac formula primus uſus eſt Gregorius ille quem Magnum vocat. Extat apud Gratianum de hac re ejuſmodi epigramma:

Servierant tibi, Roma, priùs Domini dominorum:
Servorum ſervi nunc tibi ſunt Domini.

Hic eſt Gregorius ille, qui adverſus Joannem Epiſcopum CPolitanum Oecumenici nomen ſibi arripientem ſcribens, hæc habet: *Ego fidenter dico, quia quiſquis ſe Univerſalem Sacerdotem vocat, aut vocari deſiderat, in elatione ſua Antichriſtum præcurrit.* Epiſt. Lib. IV. epiſt. 24.

Quem lupa lactavit, (ſic fama eſt) ubere ſæva,
Urbis Romanæ Romulus auctor erat:
Prædatrix Orbis Roma inſatiabilis inde eſt,
Ingenium referens, Romule ſæve, tuum.
Defendiſſe fidem quæ eſt ſcriptis conſona ſacris
Wiclefum conſtat diſcipuloſque ſuos.
Sæviat in cineres Wiclefi[1] Roma ſepulti, [42]
In cineres tantum jus habet illa viri:
Dum meliore ſui vivit ſuper æthera parte,
Famâ perpetuâ vivit in ore virûm.
Non Huſſo[2] nocuere ignes, Hieronyme docte, [43]
Neve tibi nocuit membra dediſſe rogo:
Proh dolor! extinctam licet urbs *Conſtantia* vocem
Doctori flammis vidit utrique feris,
Non tamen æthereus dum ſol ſua lumina mittet,
Deſinet in ſcriptis Martyr uterque loqui.
Quin ante hos plures per ſecula multa fuerunt
De gradibus minimè qui cecidere ſuis:
Sed mundo variis fœdiſque erroribus acto
Pro vera ſemper dimicuere fide.

Talis

1 *Sæviat in cineres Wiclefi*] Quod factum eſt, teſte Cambdeno, anno poſt mortem Wiclefi quadrageſimo primo, cùm Senenſis Concilii mandato corpus ejus exhumatum & exuſtum eſſet. Idem tradit Joan. Lelandus in vita Wiclefi, quem Wicoclivum vocat. Quinetiam notatu dignum eſt: in eo loco, quo Wiclefiani cineres ſpargebantur, ad hodiernum uſque diem graminis aut herbarum nihil omnino vireſcere; ut videre eſt propè Pontem fluvii, qui *Lutterwortham* (ubi Wiclefus Paſtorem egit) in agro Leiceſtrenſi alluit. De Wiclefo vide plura in notis ad Librum VI. num. [7].

2 *Huſſo*] Hic cum Hieronymo Pragenſi contra fidem datam flammis traditus eſt Conſtantiæ Anno D. 1416. Prædixerat Lutheri adventum paulo ante mortem Huſſus: *Nunc quidem*, inquit, *torretis Anſerem, at veniet cygnus, quem non poteritis torrere: poſt centum annos Deo & mihi reſpondebitis.* Flac. Illyr. Teſt. Veritat. pag. 1833.

Talis erat juſſu Caroli qui dogma refellit[1], [44]
Quo quod manduces[2] creditur eſſe deus;
Quodque bibas, ſanguis id IESU creditur eſſe,
His quibus alma fides abſit[3], amorque Dei.
(Cum daret in vino ſacrato aconita ſacerdos [45]
Henrico[4], ſanguis num fuit ille Dei?)
Portentis fœcunda illa eſt, & opinio primùm
Nata ſcholis pluſquam in Cimmeriis tenebris.
Cum dogma hoc primùm Romanæ credulitatis
Factum eſt articulus, lex ea lata fuit[5];
Nempe

1 *Juſſu Caroli qui dogma refellit*] Is erat Bertramus, aliis Ratramus, monachus qui juſſu Caroli Calvi contra Paſchaſium Rhadbertum, tunc primùm Tranſſubſtantiationis dogma orbi obtrudere conantem ſcripſit.

2 *Quo quod manduces*] *Si quis negaverit in ſanctiſſ. Euchariſtiæ Sacramento contineri verè, realiter, & ſubſtantialiter corpus & ſanguinem, unà cum anima & divinitate Domini noſtri Jeſu Chriſti &c. Anathema ſit.* Concil. Trident. Seſſ. III. can. 1. *Sed ecquem tam amentem eſſe putas, qui illud, quo veſcatur Deum eſſe credat?* Cic. de nat. deor. Lib. III. num. 28. *Quandoquidem Chriſtiani quod edunt, adorent: ſit anima mea cum philoſophis.* Averroes.

3 *His quibus alma fides abſit*] *Errori vertebatur à Pontificiis Luthero, quod acceſſuris ad Sacramentum, neceſſariam eſſe fidem, docuerit.* Melch. Adam. in vita Lutheri.

4 *Henrico*] Lutzelburgenſi, ejus nominis VII. Imperatori, vino Euchariſtico, quod monachus quidam Dominicanus, vel Jacobita veneno infecerat, extincto, Anno 1313. Sunt qui Legati Pontificii impulſu monachum ſcelus id patraſſe ſcribunt, & quod crimen gravius adhuc reddit, monachum ipſum Imperatori fuiſſe a Confeſſionibus. Hinc verſiculi:

Jure dolet mundus, quod Jacobita ſecundus
Judas nunc extat, mors Cæſaris hæc manifeſtat.

Imperator vero clementiæ inſigne præbuit exemplum; ſimul enim ac dolum ſenſit, tacitè ad monachum converſus: *Pœnitentiam age,* inquit, *quod & ſalutis auctorem Chriſtum prodidiſti, & me illius membrum una eademque opera perdidiſti. Ego Chriſti innitens veſtigiis, ut priùs diſcedas moneo, quàm à ſatellitibus meis comprehenſus, perfidiæ tuæ pœnas luas.*

5 *Lex ea lata fuit.*] In Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. decretum eſt his verbis cap. III. De Hæreticis: *Si Dominus temporalis requiſitus, & monitus ab Eccleſia terram ſuam purgare neglexerit, ab hæretica pravitate* [eorum nempe qui Tranſſubſtantiationis dogma oppugnarent,] *per Metropolitanum & Comprovinciales Epiſcopos*

Nempe ut Rex dogma hoc qui non defenderet armis,
Cederet imperii juribus ille ſui:
Et data ſunt ejus regna invadenda, volenti [46]
Principis id pretium promeruiſſe nece.
Non ſic decrevere Petrus, nec Apoſtolus ullus,
Neve in conciliis ſic voluere ſacris
Condere jura Patres, ſancto queis pectora amore
Plena fuere Dei, plena fuere gregis.
Hunc ſolum decuit, qui cæde & ſanguine crevit,
Dogma id monſtroſum ſic ſtabilire ſuum.
Sanguinea una olim quot fecit martyras illa
Lex, quot replevit civibus una polum! [47]
At non cum Patribus Lateranis par monachorum[1]
Senſiſſe Anglorum nobile fama refert:
Vix probat alter dogma novum, regum acriter alter
Defendit ſcriptis jura verenda ſuis.
Tuque Berengari[2], miſeri lux unica ſecli, [48]
Atque exſurgentis malleus hæreſios,

Non

pos excommunicationis vinculo innodetur. Et ſi ſatisfacere contempſerit, infra annum ſignificetur hoc ſummo Pontifici, ut ex tunc ipſe vaſallos ab ejus fidelitate denunciet abſolutos, & terram exponat Catholicis occupandam, qui eam exterminatis hæreticis ſine ulla contradictione poſſideant.

1 *Par monachorum*] Occhamus & Scotus; hic Tranſſubſtantiationis dogma *nec in Scripturis ſacris, nec in Patribus inveniri poſſe* ſcribit. (*Quare*, inquit, *in hoc articulo, qui non eſt principalis articulus fidei, debeat talis intellectus aſſeri, propter quem fides pateat contemptui omnium ſequentium rationem?* In 4. Sent. diſtinct. II. qu. 3. lit. B.) & tandem profitetur, *illi ſe dogmati non aſſenſurum, niſi id Concilium Lateranenſe juberet.* Ille alter, nempe Occhamus, Ludovici Bavari Imperatoris cauſam ſtrenuè egit, & imperii jura optimè defendit. Nota eſt illius vox: *Tu me, O Imperator, defende gladio; & ego te defendam calamo.*

2 *Tuque Berengari*] *Tempore Leonis* IX. *circa An.* 1049. *Berengarius, vir pietate & eruditione clarus, Andegavenſis Eccleſiæ diaconus* [lege Archidiaconus] *cùm videret Pontificios doctores quam plurimos ingenti faſtu Tranſſubſtantiationis fundamenta ſternere, quòd mentem*

Auguſtini

Non tibi Lanfranci[1] nocuerunt arma, retorques
In ſe tam doctè ſpicula cuncta viri:
Magne Berengari, quem ſecula nulla tacebunt,
Ipſe metu quamvis mortis adactus eras,
Contrà quàm ſemper ſentires ſcribere, conſtat
Mente tamen veram te tenuiſſe fidem. [49]
Cum *Conſtantini* lapides, idolaque muta
Irene faceret plurima in urbe coli,
(Irene perquam crudelis & impia mater
Quæ nato effodit lumina blanda ſuo,)
Damnavit Synodus Carolo ſub principe[2] Græcos,
Contra ſcripturas qui ſtatuere ſacras
In templis populo picturas eſſe colendas,
Quæ Sanctos, Natum quæ referuntque Dei:
Damnavit Carolus ſcriptis idolaque libris,
Atque per imperium ſuſtulit illa ſuum.
Forſan eo impietas nondum proceſſerat audax,
Quo proceſſiſſe hæc tempora noſtra vident:
In quibus æterni Patris formatur imago;
Et quem mortalis nemo videre poteſt,
Pingitur Omnipotens triplici diademate cinctus,
Sub forma imbellis decrepitique ſenis.

Nondum

Auguſtini & aliorum veterum non intelligerent, ſed Sacramentales & hyperbolicas nonnullas locutiones ad novum ſenſum inducendum detorquerent, veram ſententiam ex orthodoxo conſenſu repetitam his corruptelis oppoſuit, & verbo Dei, teſtimoniiſque veterum Theologorum refellere conatus eſt; ſcriptis etiam & evulgatis libris, ut pii in vera doctrina confirmarentur, Flac. Illyr. Cat. Teſt. Verit. Lib. XII.

1 *Lanfranci*] Archiepiſcopi Cantuarienſis ſub Gulielmo I. Fuit Lanfrancus natione Italus, *Vir*, (ut de eo Platina in vita Nic. II.) *ea tempeſtate doctiſſimus*. Contra Berengarium ſcribendo, & in Concilio Romæ diſputando magnam à Pontifice & Clero laudem reportavit.

2 *Carolo ſub principe*] Carolo Magno Imperatore, qui in Concilio Francofurdenſi Concilii Nicæni II. decreta reſcidit, & contra imaginum cultum libros, qui nunc extant, edi curavit.

Nondum erat is Chriſti picturis [1], quem decet ipſi
Chriſto deferri, cultus honorque datus:
At novus hic cultus multorum cauſa malorum
Extitit, & Græcis attulit exitium.
Roma rudis populi picturas eſſe libellos [50]
(Roma rudem populum quam juvat eſſe,) velit:
Ac ſi non meliùs poſſent quàm picta tabella,
Scripta voluntatem ſignificare Dei. (dum
Quid *Bradwardinum* [2] memorem, doctumque *Richar-*
Armachanum [3]? (ævi eſt lumen uterque ſui)

Alteri

1 *Nondum erat is Chriſti picturis*] Nempe ut latria (quæ eſt ſummus cultus,) Chriſti imagini ex Lapide vel auro factæ daretur juxta Scholaſticos, quorum Coryphæus, Thomas Aquinas ſic docet: *Cum Chriſtus*, inquit, *latriæ adoratione ſit adorandus, imago quoque ejus eadem adoratione adoranda eſt.* III. Quæſt. 25. Art. 3. Synodus Tridentina ſtatuit Imagines Chriſti &c. *in templis habendas, eiſque debitum honorem & venerationem impertiendam:* (is *debitus honor* ſummus eſt, cum ſit idem cum eo qui ipſi Chriſto debetur, ut ex ſequentibus verbis patet:) *Quoniam*, inquit Synodus, *honos, qui eis* (ſcil. imaginibus Chriſti &c.) *exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illa repreſentant: ita ut per imagines, quas oſculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Chriſtum adoremus* &c. Seſſ. XXV. pag. mihi 225. Unde ſumma quorundam Pontificiorum impudentia patet, in vulgus ſpargentium ſe *imagines nec colere, nec adorare*; *Proteſtantiumque calumniam id eſſe* dicentium.

2 *Bradwardinum*] Archiepiſcopus ille fuit Cantuarienſis temporibus Edwardi III. circa ann. 1330. *Gratiæ Dei ſtrenuiſſimus aſſertor* audit Doctori Wardo. *Mathematicus fuit inſignis, philoſophus egregius, in Theologia vero ſtudiis eouſque verſatus, ut apud doctos illorum temporum*, Doctoris Profundi *appellatione innotuerit; eamque non immeritò delatam illi fatebuntur credo, qui libros ab ipſo conſcriptos perlegerint. Verum in hoc homine nihil erat quod potiùs laudaveris, quam morum, vitæque ſanctimoniam, ob quam cæteraſque virtutes, a Stratfordo delectus eſt, ut Regi eſſet à Confeſſionibus. In quo munere ita ſe geſſit, ut optimi ſimul ac prudentiſſimi viri laudem retulerit. Regem ſiquidem a recto deflectentem increpare conſuevit audacter, ea tamen prudentia verborumque lenitate, ut animum Principis nunquam offenderit. Non deſunt certè inter ſcriptores, qui inſignes illas Edvardi victorias, hujus potiùs ſanctitati ac virtutibus acceptas ferendas exiſtiment, quam cujuſpiam ſeu fortitudini, ſeu prudentiæ.* Godwin. De Præſul. Angl. Hujus Opus eximium *De Cauſa* Dei contra Pelagianos vir Clariſſ. Henr. Savilius Eq. Aur. edi curavit.

Alteri erat defenſa Dei jam tum quoque cauſa, [51]
Et Mendicantum malleus alter erat;
Non inopum, at numeri fruges conſumere nati,
Et ventrum mundi qui incubuere graves.
Quorum nequitiam *Gulielmus* & ille retexit,
Cui nempe *à ſancto* nomen *Amore* fuit.
Quis neſcit ſcriptis hos nunc extare, alioſque
Teſtes pro vera relligione probos?
Qui cum eſſent hoſtes (non infenſi tamen illi,)
Auſi ſunt vero fortè litare ſacro.
Quos inter Chriſti flagrans *Bernardus*[1] amore, [52]
Bennoque[2] Cardinei gloria magna chori.
Atque *Policratici*[3] ingenioſus & utilis auctor,
Qui morum rigidus cenſor in orbe fuit.
Petrus Bleſenſis[4], Thaulerus, Marſiliuſque
Qui pacis vindex imperiique fuit.

Allia

3 *Richardum Armachanum*] Dictus eſt *Fitz-Ralph*, hoc eſt *Filius Radulphi*, Archiepiſcopus Armachanus, Hiberniæ Primas. Claruit ſub Edvardo III. vir juris & Theologiæ peritus. Scripſit contra *Mendicantes fratres*, & illorum voluntariam mendicationem furti genus eſſe oſtendit.

1 *Bernardus*] *Vir digniſſimus meliori ævo, qui vel in tantis tenebris, veritatis lucem ſalutarem aſpexit, viceſque ſuas ſæpe deplorabat.* Morton. in Cauſa Reg. cap. 3. *Bernardo quis ſuaviùs ſcripſit? cujus ego Meditationes vivum Paradiſi, Ambroſiam animarum, Fabulum Angelicum, Medullam pietatis vocare ſoleo.* Dan. Heinſ. in Orat. III. pro Biblioth. mun. In Cleri corruptos mores ſæpius invehitur; & ut doctus Præſul. Geor. Carletonus de eo ait, *Quod cohibere non potuit, tulit ut potuit.* Quem vide in *Conſenſu Eccleſ. Cathol. contra Tridentinos* Lib. VI.

2 *Bennoque*] Cardinalis, ſcripſit vitam Hildebrandi, ejuſque crimina detexit.

3 *Policratici*] Hoc opere maximè omni ævo innotuit Joan. Sarisburienſis Anglus, epiſcopus Carnotenſis in Gallia. Interfuit Concilio Lateranenſi ſub Alexandro III. A. D. 1179.

4 *Petrus Bleſenſis*] Natione Gallus, Henrico II. Anglorum Regi charus, Bathonienſis Archidiaconus. Hujus extant Epiſtolæ in quibus Cleri Anglicani, in primiſque Thomæ Becketi Archiepiſcopi Cantuarienſis, arrogantiam reprimit.

Alliacus [1], Gerſon [2], Clemangius, atque Petrarcha [3],
In ſcriptis Romam qui Babylona vocat.
Dantes [4], & notus toto Boccatius [5] orbe,
Etruſcique ſoli Savonarola [6] decus;
Savonarola feris qui flammis traditus, auſus [53]
Quod ſit Pontifices acriùs arguere.

Doctus

1 *Alliacus*] Petrus de Alliaco, Epiſcopus Cameracenſis Ecc. Rom. Cardinalis, Joannis Gerſonis præceptor: *Aquila Franciæ, & malleus à veritate aberrantium indefeſſus* etiam vivens videnſque dici meruit. Interfuit Concilio Conſtantienſi ſub Sigiſmundo Imp. Multa in Curia Romana, in Epiſcoporum & Cleri, in primiſque monachorum moribus corrigi voluit; ſed nihil profecit.

2 *Gerſon*] *Cancellarius Pariſienſis, quòd in Concilio Conſtantienſi emendationem Eccleſiæ Romanæ plurimis rationibus propoſuerat, diſſoluto Concilio, domo, patria, dignitatibus ſpoliatus, & à Pontifice pulſus Lugduni conſenuit, ibique mortuus eſt, Anno Æræ Chriſti* 1429. Calviſ. in Chronol. Scripſit librum *De Auferibilitate Papæ ab Eccleſia.*

3 *Petrarcha*] *Florentinus, Parmenſis Archidiaconus, ſeculi ſui lumen; apud Pontifices, ſi adblandiri voluiſſet, nihil non conſecuturus. Extra contentionis æſtum poſitus, pleraque ſcripſit contra Curiam Romanam in ſuis poematis quam graphicè depingit, quamque Babylonicam meretricem, erroris Scholam, impoſturæ officinam, hæreſios Templum paſſim vocitat.* Morn. in Myſter. Iniquit.

4 *Dantes*] *Florentinus, floruit ante annos* 280, *fuit vir pius & doctus, ut multi ſcriptores, & præſertim ipſius ſcripta teſtantur. Scripſit librum quem appellavit* Monarchiam: *in eo probavit Papam non eſſe ſupra Imperatorem, nec habere aliquod imperium.* Flac. Illyr. Cat. Teſt. Ver. Lib. XVIII.

5 *Boccatius*] *Joannes Boccatius Petrarchæ diſcipulus nulla ex parte eſt cum Magiſtro conferendus.* Lud. Viv. de Trad. diſcipl. *Vir fuit maxima eruditione ſacra & profana conſpicuus, quod patet ex ejus quæ reliquit ſcriptis, ut ſunt lib. De fœminis illuſtribus, quibus Joannem quoque Papiſſam annumerat. Impreſſ. Bernæ Helvet.* 1539. Olear. in Abac. PP. Eccleſiaſt.

6 *Savonarola*] *Italus, patria Ferrarienſis, Ordinis Prædicatorum, Florentiæ laqueo ſuffocatus & crematus eſt Anno Dom.* 1498. *ætatis* 46. *ob zelum quo in corruptos Eccleſiæ mores invectus eſt.* Clar. Caveus in Hiſt. Liter. *Concionator percelebris, pietate, ſanctimonia, doctrina adeo clarus, ut à pleriſque Propheta haberetur.* Morn. in Hiſt. Papat. *Moribus erat inculpatis, quantum quidem perſpici poterat; & docendo multos ad ſanitatem, vitæque emendationem perduxit.* Phil. Comin. in vita Caroli VIII.

Doctus Toſtatus [1], cui Papæ odioſa tyrannis,
Et Cleri luxus ſæpe notatus erat.
Ante omnes *Capito* [2] gentis decus ille Britannæ,
Præclaris ſcriptis emicuere ſuis.
In quibus & faſtum, deteſtandamque rapinam
Acriter Auſoniæ corripuere Feræ.
Horrida Pontificum Niemenſis [3] ſchiſmata narrat,
Werneruſque [4] ſimul crimina multa refert.
Omnia qui parvo complexus ſecula libro,
Faſciculi libro nomen habere dedit.
Ille fide dignum ſcriptorem ducet utrumque,
Qui non ignoret qualis uterque fuit:
Alter Pontificum ſcriba, & fraterculus alter,
Addictus Romæ ſcriptor uterque nimis.
At meliùs Romæ depinxit nemo rapinam, [54]
Quam qui Britannam condidit hiſtoriam:
Qui nihil eſt odio, nil ſcribere viſus amore,
Unus Matthæus Pariſienſis [5] erit.

Hic

1 *Toſtatus*] Abulenſis in Hiſpania Epiſcopus, vir doctiſſimus, & quamvis annos vix 40 vixerit, tamen πολυγραφώτατος fuit. Hic 22. annorum ſpatio tot ſcripſit, quot integra ætate nemo facile perlegerit.

2 *Ante omnes Capito*] Robertus Groſthead Epiſcopus Lincolnienſis, *Vir*, ait Gul. Cambdenus, *in literis & linguis, ſupra quam credi poteſt in illa ætate eruditus, terrificus Papæ redargutor, Regis ſui monitor, & veritatis amator.* De eo vide Matthæum Parienſ. in vita Hen. III. Hen. Knighton. in vita ejuſdem Regis ad annum 1253. Franc. Godwin. de Præſulib. Angl. & Gul. Cave in Hiſt. Liter.

3 *Niemenſis*] *Vixit in aula quinque Paparum, intimus eorum ſcriba, & tandem Epiſcopus Verdenſis factus.* Gerhard. Confeſſ. Cathol. Lib. II. *Deſcripſit bona fide hiſtoriam ſchiſmatis inter Papas, quod ante Conſtantienſe Concilium per annos 39 duravit.* Flac. Illyr. Catal. Teſt. Verit. Lib. XIX.

4 *Werneruſque*] Wernerus Rollwink monachus Carthuſianus, auctor libri utiliſſimi, cui titulus *Faſciculus temporum:* in quo multa Pontificum Romanorum crimina narrantur.

5 *Matthæus Pariſienſis*] *Quo nemo vixit unquam neque Papiſmi ſuperſtitio-*

Hic quamvis eſſet Monachus, nemo tamen illo
Liberiùs carpſit, crimina Pontificum.
Sæpius Angliaci veteris Comitia Regni
Hæc quoque damnarunt crimina, Roma, tua;
Legibus & latis quibus Inſula noſtra beata
Gaudet, deglubi à te vetuere gregem.
Teutonicæ centum ſunt nota gravamina gentsi, [55]
Quæ rerum facies tunc fuit, iſta docent.
Mantua quem genuit Baptiſtæ [1] eſt nota querela,
Qui vendi Romæ cuncta ubi vidit, aït:
Venale hic cœlum, venalia templa, Deuſque [2],
Carmine Pontificum facta pudenda notans.
Ringantur quamvis hoſtes, & ſcripta peroptent
Perdita; quin ſtudeant omni abolere modo:
Donec erunt homines tamen inclyta ſcripta mane-
Oſque obturabunt, impia Roma, tibi. (bunt;
O miſeram, Errores quæ propugnare neceſſe,
Errâſſe omnino ne videaris, habes!
Et quamvis Paulus [3] Synodi qui arcana recludit [56]
Multa Tridentinæ, turpiaque acta refert,
Caſſan-

perſtitionibus addictior, neque rapinarum horribilium, quas Papæ in Anglia exercuerunt, fidelior teſtis & expoſitor. Iſ. Caſaub. in Prolegom. ad Exercit. in Baronium. *Vir omnium citimæ ætatis Hiſtoricorum Anglorum (niſi cui placeat Willielmum Malmesburienſem excipere) eruditiſſimus.* Idem in Epiſt. ad Front. Duc. 624.

1 *Baptiſta*] De Bapt. Mantuano videndus Lil. Greg. Gyrald. de Poet. Dial 1.

2 *Venalia templa, Deuſque*] Lib. III. Sic nunc eſt Romæ, ut olim fuit temporibus Juvenalis: *Omnia Romæ cum pretio.* Vide notas ad Lib. V. num. [ ].

3 *Paulus*] Paulus Sarpius Venetus Ordinis Servorum, celebris Auctor Tridentini Concilii Hiſtoriæ, quam ſub nomine *Petri Suavis Polani* edidit. *Cognovi*, inquit Gul. Bedellus, *in Italia hominem ſane multa eruditione, magno judicio & integritate, rectiſſimoque animo. Licet haud libenter illos audiret, qui Romanam Eccleſiam nimis deprimunt: nihilominus ab illis etiam abhorrebat, qui ejus abuſus, tanquam*

Caſſander[1] timidus, monachis infeſtus Eraſmus[2],
Doctus Modrevius, Wiceliuſque bonus,
Et Synodo infami Canus[3] qui interfuit illi
Cui inveterata fuit mens ſtabilire mala;

L (A

tanquam ſancta inſtituta defendunt. Et erat cæteroquin veritatis amicus ſingularis, & aſſecla conſtantiſſimus. In Epiſt. Dedicat. ad Interdict. Venet. Hiſt.

1 *Caſſander*] Hic Imp. Ferdinandi I. juſſu *De diſſidiis inter Pontificios & Proteſtantes componendis Conſultationes* ſcripſit, quas demum poſt mortem Ferdinandi ad Maximilianum II. miſit. De eo ſic ſcribit magnus Salmaſius in Poſthum. Grotii: *Caſſander*, inquit, *revera vir probus, & candidus modeſtuſque, & unitatis ſtudioſus, ſchiſmatis fugitans, bono animo ac ſedulo egit, quicquid in negotio componendarum religionum operæ contulit. Ex partibus adverſariorum Pontificius ipſe veniens, & è Caſtris ſuis longiùs progreſſus per multum itineris ſpatium nobis ultrò obviam occurrit, amicè ad Concordiam invitavit. Cujus ſpem ut faceret fiduciamque proniorem, multa deformata & reformanda agnoſcit: ita plurima excuſat, ut etiam alia non pauca incuſet. In ſumma ab hoſte non poſſunt meliora aut molliora ſperari vel expectari.* Vide Thuan. Hiſt. Tom. II. Lib. 37. ad Annum 1566.

2 *Eraſmus*] Auctor creditur eſſe libri, cui titulus *Epiſtola obſcurorum virorum*; in quo, uti quidem in *Colloquiis*, & reliquis ejus ſcriptis monachorum prodigioſam inſcitiam, ſuperſtitionem, ſocordiam & luxuriam exagitat, & illos planè κακα θηρια & γαστερας αργας eſſe demonſtrat: Quibus plus nocuit ridendo, quam Lutherus ſeriò agendo. Ille quod multa in Eccleſia Romana damnaret, Papæ ejuſque aſſeclis inviſus; quod vero Reformatæ Religioni non uſquequaque accederet, Proteſtantibus, inprimiſque Lutherо, non omni ex parte gratus & acceptus erat. *Vir magno ingenio & eruditione, neque minore judicio & prudentia; qui tamen noſter profectò non fuit: neque eſſe vel audire unquam voluit.* G. Calixtus in Appar. Theol. Pag. 154. De ſeipſo ad Bilibaldum amicum ſic ſcribit: *Ego*, inquit, *qui nunquam faverim Luthero, niſi quomodo favet, qui hortatur ad meliora, utrique parti ſum hæreticus.* In epiſtola quadam tamen ad Archiepiſcopum Moguntinum de Cauſa Lutheri fatetur, *Multa in libris Lutheri à monachis damnari tanquam hæretica, quæ ut ſana & pia in libris Auguſtini leguntur.* De Eraſmo vide quæ dicta ſunt ſuprà in notis ad Lib. II. num. [30] & quæ dicentur ad Lib. V. num. [8].

3 *Canus*] Hiſpanus, Franciſci Victoriæ diſcipulus, Epiſcopus Canarienſis, vir non minus doctrina, quam animi candore conſpicuus. Ejus *Loci communes* (in quibus Eccleſiæ Romanæ errores haud paucos agnoſcit) meritò ab omnibus in pretio habentur. Interfuit Conciliabulo Tridentino; nec in eo quiſquam Cano doctior erat.

(A conjuratis quid enim ſperare licebat,
NIL PAPÆ INJUSSU Lex quibus una fuit?)
Præceptor Cani doctus Victoria[1], (nomen
Cui fauſti, ut multis, ominis inſtar erat,)
Atque Eſpencæus[2] claris majoribus ortus,
Ille Pariſinæ gloria magna ſcholæ,
Barclaius[3] regum defenſor, Richeriuſque[4]
Utilis in primis conditor hiſtoriæ,
Barneſius[5], Picherellus[6], item Launoïus[7], acri
Qui fuit ingenio judicioque pari,

Atque

1 *Victoria*] *Vir tantæ auctoritatis, ut Theologorum & philoſophorum Alpha & princeps haberetur.* Epiſcop. Roſſenſis. *Ille tota Hiſpania celeberrimus magiſter.* Montacut. Apparat. *Ignorat Salmantica quem poſſideat theſaurum in noſtro Victoria, gratulentur ſibi Dominici Monaſteria, quod tale decus meruerunt.* Clenardus in Epiſtolis.

2 *Eſpencæus*] *Theologus Pariſienſis, qui in Epitaphio adhuc Pariſiis in templo Coſmæ & Damiani extante vocatur nobiliſſimus, piiſſimus, omniumque diſciplinarum genere cumulatiſſimus Theologus; imo Theologorum ſui ſeculi facilè Princeps, quemque Gilbertus Genebrardus, & Scævola Sammarthanus in Elogiis operi præfixis nominant admirabilem.* Gerhard. Confeſſ. Cath. contra Pontif. Lib. II. Art. 2. cap. 4. *Unus è paucorum numero, qui de idoneis pacis in Eccleſia conſtituendæ rationibus ſeriò ſemper cogitaverit; atque adeò de tollenda è domo Dei ſciſſura, quam multi hodie, dum præpoſtero pietatis ardore ſtrenui in ea cauſa videri volunt, firmant magis quam oppugnant, alienatis & obduratis adverſariorum animis, quos potius emendationis facta ſpe, & ſublatis offendiculis, conciliari & ſenſim ad unionem abduci opportuit.* Thuan. Hiſt. Tom. II. Lib. XLVIII.

3 *Barclaius*] Natione Scotus, qui contra Monarchomachos, in primis Bellarminum, egregios libros edidit. Fuit ille Joannis Barclaii celebratiſſimi *Argenidis & Euphormionis* Auctoris parens.

4 *Richeriuſque*] Gallus, auctor Hiſtoriæ Conciliorum, in qua multa pro jure Regum contra temporalem Papæ poteſtatem profert.

5 *Barneſius*] Anglus, Monachus Benedictinus, Auctor libri cui titulus *Catholico-Romanus Pacificus.* Prodiit Oxoniæ E. Theatro Sheld. An. 1680. cura Clariſſ. Epiſcopi JOAN. FELL.

6 *Picherellus*] Doctor Sorbonicus. Extat ejus Tractatus *De Miſſa*, in quo Tranſſubſtantiationis dogma ſolidis argumentis evertit.

7 *Launoïus*] Clariſſimus itidem Sorbonæ doctor, φιλαλήθης & *Qui*, ut ait Conringius, *cum Jacobo Sirmondo, candidiſſimo nuper Sociorum, magno ſtudio, ſpretis ſuorum calumniis, Gallicanam Eccleſiam fabulis liberare nititur.* Præfat. in Caſſand. & Wecel. Extant ejus Epiſtolæ multa eruditione refertæ.

Atque alii Babylon quos fœdi mater amoris
Visa est præstigiis detinuisse suis,
Omnia non damnent, quæ fortè timore remoto
Damnassent, ausi si modo vera loqui:
(Interea fassi *Corrupta esse omnia Romæ*,
Nec quod sit tanto par medicina malo)
Scripta futura tamen sunt his opprobria, malint
Qui errores veteres, quam nova recta sequi;
Quæ minimè nova sunt sed priscis tradita sanctis
Nullo abolenda die jussa verenda Dei.
Quamvis addictus Romæ Baronius[1] uni
Annales summa conderet arte suos:
Attamen ex illis, Babylon, damnaberis ipsis;
Et scripta hæc causæ sunt nocitura tuæ.
Transfuga De Marca[2] ex proprio damnabitur ore,
Invitus nobis astipulator erit.
Tuque Spalatensis[3], qui multa es vera locutus
Diceris & moriens hos reprobasse libros,

1 *Addictus Romæ Baronius*] *Quis inter Pontificios celebrior auctor Baronio, & magis factus ad Papæ nutum?* Molin. Hyperaspist. *Romanenses id agunt, ut pro omnibus Ecclesiasticarum rerum Scriptoribus unum imperitis obtrudant Baronium.* Casaubon. Epist. 205. *Cui in historia texenda iste videtur unicus esse propositus scopus, ut quæcunque fabulæ faciunt ad Papismi commodum, eas suo nomine confirmet.* Chamier. *Partium studio immenso labori multùm detraxit.* Hottinger. Biblioth. Quadripart. pag. 413. *Judicio vero non exiguo opus est in Centuriatoribus legendis; nec in Baronio minori: quem interea negare non possumus præclarè meritum esse de antiquitate Ecclesiastica,* Voss. de Philolog.

2 *Transfuga De Marca*] Primò Reformatæ Ecclesiæ in Gallia Minister, deinde ad Pontificios deficiens Archiepiscopus Parisiensis evasit; vir majori doctrina quam probitate: nihilominus multa post se reliquit scripta, quæ pro Papæ causa minime faciunt. Extat ejus volumen egregium *De Concordia Sacerdotii & Imperii.*

3 *Tuque Spalatensis*] Marcus Antonius de Dominis Archiepiscopus Spalatensis, vir doctus, sed desultorio ingenio. Hic tempore *Jacobi* I. in Angliam venit, & Religioni Pontificiæ nuncium remisit: postquam vero Gregorium XIII. (quicum ab ineunte ætate studiis conjunctus

Quos benè ſcripſiſti vivens Babylone fremente;
Quamvis tu pereas, non periere libri:
Scripta manebunt ſemper, ſuntque datura triumphum
Omnibus antiquam qui coluere fidem.
Quamvis relligio non teſtibus indiget illis,
(Æternùm cum ſtet viribus ipſa ſuis,)
Non tamen eſt unquam teſtem aſpernata inimicum:
Vox vera ex hoſtis gratiùs ore venit.
Si non inconſtans, auri cupiduſque fuiſſes,
Scripſiſſet nunquam vir venerandus[1] opus,
Quo tibi reſpondet ſolidè, Babylonaque Romam,
Et veteratorem[2] te ſimul eſſe probat.
NEC minima utilitas in eo ſita literularum eſt, [57]
(Agnoſcet quiſquis noverit ingenium
Hæreticis cunctis quam ſit verſatile, & artes
Queis homines ſecum in tartara præcipitent,)
Scilicet inter ſe quoties pugnantia cudunt
Dogmata falſifici, ſpargere & illa ſtudent,
Hæc ſi ſcripta dabunt, poſſunt ex hiſce refelli,
Cum minimè conſtent impia ſcripta ſibi.
Fœda Mahometis ſic ſe mendacia produnt,
Craſſaque ſe jugulant, improbe Foxe, tua;
Quo non poſt homines natos immanior hoſtis
Numinis in terris, callidiorve fuit.

Nam

junctus amicitiam: oluerat) ad Pontificatum evectum fuiſſe intellexit, ſpe Pileum Cardinalitium adipiſcendi (erat enim homo ambitioſus & admodùm avarus) Romam rediit; ubi Palinodiam canere, & contra eos quos *De Republica Eccleſiaſtica* ediderat libros conſcribere (aut ſaltem ſub ipſius nomine conſcribi permittere) factus, in carcere obiit. Sunt qui corpus ejus tanquam hæretici poſt mortem Pontificis juſſu flammis abſumptum fuiſſe tradunt.

1 *Vir venerandus*] Richardus Cracanthorpius S. Th. Doctor Oxonienſis, qui Eccleſiam Anglicanam contra Spalatenſis calumnias operè admodùm erudito vindicavit.

2 *Veteratorem*] Hoc etiam nomine vocat Baronium Caſaubonus eoquod Baronius Proteſtantes paſſim *Novatores* appellet.

Nam tu turpis eras tam re quam nomine vulpes,
Chriſti vineto pernicioſa fera;
Regibus indicens bellum ferale per orbem,
Artibus ingenuis, Codicibuſque ſacris;
Blaſphemus rabiduſque canis, falſuſque propheta,
Sub larva incautos decipiens homines:
Romanam impugnans ſpecie tenus impietatem,
Dum Romæ reipſa, Foxe, ſatelles eras.
Cromwellum atrocem doctus palpare tyrannum,
Doctus ſpondere huic omnia læta miſer;
Se quia nempe boni maculaſſet ſanguine Regis,
Noſtras heu peſſum res potuitque dare.
Pax inviſa tibi fuit & concordia fratrum;
Dividis hinc illos: Scripta deinde ſacra
Sugillas, laceras, Roma læto ore canente,
En ſub vexillis militat ille meis!
Contemni faciat modo Scripta hæc artibus ullis,
(Seu fingens lumen [1] *majus in eſſe ſibi,*
Seu quia contineant Scripturæ verba malorum [2]*,)*
Illa cedo, & tollam cuncta inimica mihi.
Roma, legi à populo prohibens oracula ſacra [58]
Significas quam ſint illa inimica tibi.
Quæ veterum pietas linguas transfudit in omnes,
Sub lingua ignota Biblia clauſa tenes.
Et bene: nam populus tua ſi modò crimina ſciret,
Quæ liquidò in ſacris ſunt patefacta libris,

1 *Fingens lumen*] Quakeriani enim de *Lumine interno*, (quod S. Scripturarum lumini nunc æquant, nunc anteferunt,) magnopere jactant.

2 *Verba malorum*] Scripturas ſacras vilipendunt, & nullis non opprobriis onerant, nempe quod diaboli & malorum hominum voces contineant: qua quidem ratione impuri illi hæretici non Scriptoribus tantum ſacris, ſed etiam omnibus Hiſtoricis bellum indicunt.

Actum eſt; ilicet, omnino, impia Roma, periſti;
Corruit immane hoc imperiumque tuum.
Quæ mentes hominum vincant rationibus, arma
Non capienda tibi, at corpora quæ perimant:
Nec ſcriptis ſacris, Inquiſitoribus at tu
Pugnabis, flammis, ſi ſapiaſque, feris.
Vos quos Paſtores Eccleſia noſtra Britanna [59]
Agnoſcit, reputat grande decuſque ſuum,
Vos quibus æternæ populi eſt pia cura ſalutis,
O & dilecta, & turba dicata Deo!
Legati Chriſti, (tanto dignatus honore
Vos Deus eſt, odio vos licet orbis habet)
Depoſita hæc cœli, noſtræ organa ſacra ſalutis,
Servate æternùm munera ſumma Dei.
Sic vos expertos Verbi præſtate Miniſtros,
Sic præſtate probos vos populique duces.
Et quo Roma magis ſacra illa volumina vobis
Erepta, & penitus lumina dempta velit:
Hoc ſtudio contrà, majoreque ſcripta labore,
Majore & cura vos retinere decet.
Sæpe Sacerdotem geſtæ ſub pectore gemmæ
Judæum officii ſubmonuere ſui:
Myſtica mirificis inſcriptaque verba lapillis,
(Inſcripta his ſiquidem verba fuiſſe ferunt,)
Nempe *Urim* & *Thummim* [1], quæ *Lumina* & *Integri-*
Hebræi docti ſignificare docent; (*tates*
(Crediderim ex effectu naturam ſuperante
Sic dictos lapides hoſce fuiſſe ſacros;
Conſultus quoniam Deus his oracula gemmis
Dicitur Hebræis clara dediſſe ſuis:)

Doctrina

1 *Urim & Thummim*] De his vide doctiſſ. Spenceri Tractatum.

Doctrina *illuſtres*, vita *integroſque* lapilli
Signabant ſervos quod decet eſſe Dei.
Ardua res, fateor, veſtra illa vocatio; at ipſo
Hoc fidis cunctis gloria major erit.
Nil hoſtes veſtri præter mendacia fœda,
Quo demum miſeri ſe tueantur, habent.
Pro ſolidis argumentis convitia tantum
Turpiaque illa in vos evomuere diu.
(At ſociis illis qui à ſancto dulcis IESU,
Nempe per antiphraſin, nomine nomen habent,
En maledicendo cedant[1] vel dæmones ipſi,
Sub linguis adeo dira venena gerunt.)
Ecce dolo extremo, ſumma jam luditur arte
A Roma: vobis ergo cavete pii.
At te quæ maneant, Sæva urbs, pro talibus auſis, [60]
(Sic oracla ferunt,) nunc memorare juvat.
(Non ſemel Omnipotens eſt ſcribere viſus, honorem
Surgere ut hinc ſignis turba profana ſciat.)
Inter pocula ſcortaque rex Babylonius olim
Inſanus jactat dum ſimulachra ſua;
Contemptorque Dei dum vaſcula ſacra profanat,
Ornatus templi quæ Salomonis erant;
Apparet ſcribens adverſo in parjete dextra,
Quàm maneant ipſum triſtia fata docens:

[1] *En maledicendo*] Lege Feuardantii notas in S. Irenæum, & Joan. Maldonati in Evangelia, & dices cum Scaligero, quod Jeſuitæ ſint *Tartarei Pyriphlegethontes, maledicentiæ, virulentiæ, & probrorum concinnatores, latrina conviciorum, ſtabulum inſcitiæ.* Atque utinam ipſe Scaliger, utut indignè laceſſitus à Scioppio, Petavio, aliiſque, hujus criminis immunis fuiſſet, nec adverſarios ſuos adeò contumeliosè tractaſſet:

Ἐσὶ γὰ ἀμφοτέρησιν ὀνείδεα μυθήσεαι
Πολλὰ μάλ', ὅσ' ἂν νηῦς ἑκατόζυγος ἄχθος ἀέιρῃ.

Oſtento tremuit viſo; mox fata ſequuntur,
  Victoris Medi barbarus enſe cadit.
Nempe Dei manus eſt cunctis metuenda profanis;
  Tam facilè ac ſcribit, (quod volet,) illa facit.
Traditiones, Roma, tuas agnoſce profanas,
  (Quas ſcriptis ſacris æquiparare ſoles,)
Eſſe leves, vanaſque artes (libramine juſto
  Eſt etenim viſus te trutinaſſe Deus;)
Quin agnoſce ſimul, poſſe illud nunc Babyloni,
  Nempe tibi, inſcribi flebile MENE TEKEL.
Roma, time hanc dextram, meritas dabis impia pœnas,
  Nam ſcripti eſt vindex illa futura ſui.
Tempus erit, longè nec abeſt, quod ſcripſerat olim
  Effectum excidio cum dabit illa tuo.
Terra extat, *Conſtantinum* quæ jactat alumnum,
  Excuſſitque tuum quæ grave prima jugum:
Hic rex exſurget, (niſi nos præſagia fallunt,)
  Qui imperium tollet, Roma ſuperba, tuum:
Ora obturabit blaſphema, & cornua franget,
  Et gelida meretrix nuda jacebis humo.

DE

1 *Terra extat*] Britannia, Conſtantini Magni, & Helenæ ipſius matris patria. De Conſtantino ſic ſcribit Pol. Virgilius: *Is Britannica matre genitus, in Britannia natus, in Britannia Imperator creatus, haud dubiè magnitudinis ſuæ gloriæ natale ſolum particeps effecit.* Hiſt. Angl. Lib. I. Vide Baron. Annal. Eccleſ. Tom. III. ad An. 306. Clariſſ. Uſſer. *De Primord. Eccleſ. Brit.* cap. 8. Selden. in notis ad *Eutychium*, & Voſſ. in Epiſt. dedicat. ad Artem Grammat.

2 *Prima*] Primus Chriſtianorum regum Lucius: primus Pontificiæ tyrannidis debellator, HENRICUS VIII: Primus Evangelicæ Veritatis Reſtitutor, EDUARDUS VI.

DE LITERIS INVENTIS

LIBER QUINTUS.

NEC mihi Germanus (quiſquis fuit ille) tacendus,
(Si liceat famæ credere, miles [1] erat,) [1]
Qui primus docuit perituros cudere libros,
Atque dedit Scribis poſſe carere malis;
Una tot monſtrans hora renovare libellos,
Anno quot nequeant ſcribere mille manus;
Mira fides! ſpatio tot forſitan unius anni,
Quot, niſi qui vincat Neſtora, nemo legat:
Invento miles longè felicior illo,
Quam fuerit monachus [2] pulvere tartareo.

Mar-

1 *Miles*] Joannes Guttenbergus, Moguntinus, (Wimpfelingus Argentinenſem fuiſſe tradit) Equeſtri (ſi Polydoro credimus) dignitate vir, mirandam hanc artem invenit An. Dom. 1440. Alii Joanni Fauſto, civi etiam Moguntino, alii Laurentio Joanni Harlemenſi hanc palmam tribuunt: pro Laurentio pugnat acriter in Hiſtoria ſua Batavica vir doctiſſimus Hadrianus Junius. Nos rem in medio relinquimus. Quod de Chinenſibus nonnulli ſcribunt, habuiſſe illos Typographiæ uſum ante Germanos, mihi vix credibile eſt: Certè ſi fuerit apud illos aliqua ejuſmodi ars, erat tamen rudis admodùm & imperfecta. Vide Paul. Jovii Hiſt. Lib. XIV. Melch. Guilandinum in Tractatu *De Papyro*, & Hiſtoricos qui de rebus Indicis ſcripſerunt.

2 *Monachus*] Vide notas ad Lib. III. num. [10].

Marmora Niliacæ jam cedant cuncta papyro,
Et cedant chartis æra Corinthiaca:
Non est cur metuant ferrum nunc scripta, vel ignem;
Cogitur huic arti cedere tempus edax.
Si quædam neglecta jacent, non sunt tamen ulla
Hinc moritura, nisi quæ meruere mori.
Quamvis sunt multi qui jam dubitare videntur,
An profit pulchra hæc ars, noceatne magis;
Nempe quod hac una renoventur pessima scripta,
(Hi mala dant arti [1], quæ tribuenda viris:)
Dum tamen eripuit tot pulchra volumina morti,
Quæ mox æterna nocte premenda forent:
(Multa agnoscuntur cecidisse [2] volumina, quæ si [2]
Extarent, rebus lumina magna darent;
Manca simul nobis laceratæque plurima restant,
Debuerant fato quæ meliore frui:)
Æquum est Auctori [3] grates persolvere dignas,
Atque ejus laudes dicere promeritas:
Qui si mille annos fortè editus ante fuisset,
Nulla forent Criticis bella gerenda feris:

Nemo

1 *Hi mala dant arti*] Plinius de medicorum criminibus, *Non sint artis illa*, inquit, *sed hominum*. H. N. Lib. XXIX. cap. 1.

2 *Multa agnoscuntur cecidisse*] Id facilè agnoscet qui veterum monumenta evolverit. A Diogene Laertio auctores plusquam sexcenti, ab Athenæo haud multo pauciores, ab Æliano plusquam septingenti, à Plutarcho, Josepho, Pausania, Galeno citantur quamplurimi, qui jam omnes interciderunt.

3 *Æquum est Auctori*] *Si divinum meritò censetur illud Characterum inventum, quorum ope absentes compellamus, mortui etiam ipsi loquuntur, vis illa denique temporis omnia consumentis infringitur: cui potiùs quàm eidem Opt. Max. Deo compendium illud scribendi pæne incredibile acceptum feremus, quod Typographicen appellant? Sicut igitur vituperatione maxima digni sunt, qui tanto Dei munere vel ad bona depravanda, vel ad ea publicanda, quæ potiùs nunquam extitisse oportuit, abutuntur: ita summam laudem merentur, qui suam operam in arte tam laudabili, tamque necessaria strenuè simul & sincerè conferunt.* Th. Beza de Rob. Stephano in Iconibus.

Nemo uſquam exemplaria ſic pugnare videret,
Et tranſcriptorum vulnera ſæva pati.
Denique (jacturam dolor eſt meminiſſe fatebor,)
Haud ita trunca forent nunc monumenta virûm.
Cuncta legenda boni remanerent ſcripta Menandri,
Euripidi tempus nil rapuiſſet edax.
Dulcis Ariſtophanis periiſſet fabula nulla,
Ex quinquaginta quas dedit ille ſenex:
Neve dolendum eſſet ſeclis periiſſe, Terenti,
Divini ingenii tot monumenta tui;
Dimidiatum quem veteres [1] dixere Menandrum, [3]
Dimidia es factus vivere parte tui.
Integra Polybii legerentur ſcripta per orbem,
Jam caneretque ſenex Ennius acta virûm.
Omnia reſtarent rigidi monumenta Catonis,
Ex ſcriptis Taciti perdita nulla forent:
Nulla ex magnifica Diodori Bibliotheca, [4]
Quæ complexa fuit plurima digna legi.
Curtius extaret totus, nec nobile Criſpi
Tam malè mulctatum fortè fuiſſet opus.
Omnia Cornelî ſupereſſent ſcripta Nepotis,
Pompeii extarent ſcriptaque cuncta Trogi;
Quæ dedit exitio Juſtini induſtria vana,
Dum parvo arctaret ſecula cuncta libro.
Hiſtoriæ veteris lectores nec quererentur
Tot Marcellini jam periiſſe libros.

Totque

1 *Dimidiatum quem veteres*] C. Julii Cæſaris hos producit verſus Donatus, ſeu potius Suetonius in vita Terentii:

Tu quoque, tu in ſummis, O dimidiate Menander,
Poneris, & meritò puri ſermonis amator, &c.

Totque Dionis, quos dum tu, Xiphiline, ſtuderes
Abbreviare miſer, perdere viſus eras.
Ægriùs at nullos [1] tulerim periiſſe libellos
Quam ſanè egregios, Optime Varro, tuos:
Et Theophraſti illos [2]: (rector fuit ille Lycei, [5]
Fertur & innumeros compoſuiſſe libros;
Qui periere omnes, niſi parvulus unus & alter,
Auctorem doctum qui probet eſſe virum:)
Huic Græcos nomen meritò tribuiſſe diſerti,
Perfacilè agnoſcet qui ſua ſcripta leget.
Hic eſt humanæ qui queſtus (ſi modo vera
Fama refert) vitæ de brevitate fuit:
At ſi librorum reſciſſet fata ſuorum,
Forſitan huic eſſet juſta querela magis.
Illius damnandæ ætatis inertia quanta, [6]
Quæ fuit Auguſti paſſa perire libros;
Quæ monumenta ſimul, (ſic fama eſt,) Marce diſerte [3],
Ingenii paſſa eſt totque perire tui.
Scilicet ut fluvius, ſic tempus fert leviora,
Sæpe abſorberi dum graviora ſinit.
Integer ad noſtrum venit Lucretius ævum,
Dum gravis Empedoclis carmina pauca manent.
Integer & Naſo legitur, dum Livius ingens
Cogitur exigua vivere parte ſui.

Denique

1 *Ægriùs at nullos*] Extitiſſe Varronis Libros *De Originibus* temporibus ſuis teſtatur alicubi B. Auguſtinus.

2 *Et Theophraſti illos*] Inter libros Theophraſti, qui fere innumeri fuerunt, unus erat Περὶ γραμμάτων.

3 *Marce diſerte*] *Ciceronis ſcriptorum vix decimam partem reliquam habemus, eamque multis partibus mancam & mutilam. Inter amiſſos libros, refero libros de Republica, quos viri eruditi magnopere deſiderant.* M. Ant. Muret. Var. Lect. XV. cap. 1. *Siquos antiquorum libros ex iis, qui vel omnino amiſſi ſunt, vel certè non extant, vellem extare, ſunt iſti ſex Ciceronis de Republica; neque enim dubito, quin opus fuerit admirabile.* Lud. Viv. in Auguſt. de C. D. Lib. II. cap. 9.

Denique Porphyrius potuit ſupereſſe profanus,
Dum nox Chryſippum, Crantoraque atra premit.
Multorum interitum vix evaſere labores
Cudendi libros ars quia nulla fuit.
Inclyta Ariſtotelis dum Sylla expugnat Athenas[1]
In foſſa quadam ſcripta reperta ferunt;
Poſteaquam ſupra tria ſecula delituiſſent,
Perditaque omnino viſa fuere viris.
Carmina Manilî (qui jure Latinus Aratus
Dicitur) in tenebris delituere diu.
Quin Fabium (dignum qui verſaretur in ore
Atque oculis hominum) delituiſſe ferunt,
Pluſquam mille annos, hunc donec Poggius[2] ille
Invenit, clara luce deditque frui:
Poggius Italici reperitque volumina Silî, [7]
Et ſcripta Aſconii, cum peritura forent.
Quis Feſti, & Nonii, Heſychii, Suidæque libellos,
Quis leges ſacras, Juſtiniane[3], tuas;

Quis

1 *Dum Sylla expugnat Athenas*] Cujus rei teſtes ſunt Strabo Lib. XIII. & Plutarchus in Sylla.

2 *Poggius ille invenit*] Conſtantiæ, ut ferunt, tempore Concilii, circa Annum 1414. Ibi etiam deſcripſit libros Ciceronis *De Finibus & Legibus*, qui à multis ſeculis in Italia viſi non fuerant, & in patriam ſecum vexit.

3 *Juſtiniane*] Hic Imperator Rom. fuit An. Chr. DXXV. Theophili, Dorothei, in primiſque Treboniani uſus opera Codices Gregorianum, Theodoſianum, & Hermogeneum in unum contraxit, & Jus Civile in eum ordinem, quo nunc utimur, redegit. Porro Inſtitutionum Libros IV. & Codicem Novellarum, quibus novas à ſe latas leges complexus erat, compoſuit. Sub illo Concilium V. Oecumenicum Conſtantinopoli habitum eſt An. DXLVIII. Hunc indoctum fuiſſe, ſed falsò, tradit Suidas, quem Baronius calumniando ſequitur: ſed Juſtinianum vindicant, & optimum Principem fuiſſe monſtrant Platina, Trithemius, Poſſevinus, Iornandes, Guinetus, Giphanius, Trivorius, Rivius, Caveus, aliique quamplurimi. Etiam Procopius, (aliàs Juſtiniano iniquior) *De bello Goth.* Lib. III. & *de Ædific. Juſtin.* Lib. I. ejus laudes celebrat.

Quis Gelli monumenta ſimul, doctique Stobæi,
  Quis tua, Laerti, ſcripta venuſta legens,
Non tot ſcriptores doleat periiſſe diſertos,
  Quorum ſparſa libris fragmina ſola manent.
Quam prope, Roma, fuit ſacra ut tua jura periſſent, [8]
  Cum ſtarent uno Codice cuncta brevi!
Qui Codex poſtquam latuiſſet ſecula quinque,
  Excidio oppiduli forte repertus erat.
Nam Gothico incurſu [1] perierunt plurima ſcripta, [9]
  (Artibus illa fuit gens inimica bonis.)
Naufragio in tanto ſervare volumina ſacra
  Is potuit ſolus, qui modo cuncta poteſt.
Ille Deus nempe inſigni pietate Joſiæ
  Amiſſas leges qui reperire dedit.
Sic ſtant literulis divina humanaque jura,
  Ipſis accedat majus ut inde decus.

HIC fortunam literularum ab origine mundi
  (In queiſcunque locis hæ micuere viris,)
Ad mea perpetuo deducere carmine vellem
  Tempora, at exiguum territat ingenium,
Et memet tantis mens conſcia ſubtrahit auſis;
  Non apta eſt pelago parvula cymba mea:
Dicam illud tamen; his curſum cum ſole fuiſſe, [10]
  In quibus & naſci contigit hiſce locis,

Jam

1 *Nam Gothico incurſu*] *Et certe ex hiſtoriarum lectione conſtat paullo poſt B. Auguſtini tempora bonas literas, linguarum peritiam, (neceſſaria Theologiæ inſtrumenta) paulatim intercidere cæpiſſe, Hunnorum, Gothorum, Vandalorum, aliarumque barbararum gentium (quæ in fines Imperii Rom. irruperant) vaſtationibus, Bibliothecarum incendiis, quas igne penitus abolere gens literis, Chriſtianæque religioni inimica enitebatur.* Gentileti Apol. Pro Chriſtianis Gallis Relig. Evang. cap. 19. Vide Sixt. Ammami Paræneſ. de excitandis SS. Linguarum ſtudiis.

Jam ſqnalent penituſque jacent, Chaldæaque neſcit
Sidera[1], nunc vix eſt ipſaque nota ſibi.
Clara illa inventis rebus Memphitica tellus[2]
(Literularum olim magna Magiſtra fuit, (menta
Creditaque eſt harum inventrix[3],) vix vocum ele-
Scit, ſua nunc uſus quoſve papyrus habet.
Barbaricas alias vocitabat[4] Græcia gentes,
(Quamvis his artes ipſa referre ſuas
Debuit

1 *Chaldæaque neſcit Sidera*] Chaldæos peritiſſimos fuiſſe Aſtronomiæ & Divinationis docet Diod. Siculus Lib. III. Inde Chaldæi non pro gente, ſed pro Aſtronomiæ peritis à Cicerone & aliis ſcriptoribus accipi ſoliti.

2 *Memphitica tellus*] Περὶ δὲ Αἰγυπτίων πλεῖστον οἶμαι λέγειν καὶ γὰρ αὐτοὶ τῶν φιλοσόφων οἱ πρῶτοι κρίσεις εἰσὶ τάδε ἔφασαν τῶν ὀνομαστοτάτων παρ' Ἕλλησι· ἐπαινοῦσι δὲ Αἰγυπτίους ὡς σοφωτάτους· πολλὰς γάρ τι Ἕλληνες καὶ ταῦτα τέτων ἔμαθον ἐπιτηδεύματα. Theodoret. Lib. V. adv. gentes. Macrobius *Ægyptios omnium diſciplinarum philoſophiæque parentes eſſe* dicit, Saturn. Lib. I. cap. 15. Et alibi, *Conſtat*, inquit, [Ægyptios] *primos omnium cœlum metiri, & ſcrutari auſos.* De his Gellius: *Quod genus hominum conſtat & in artibus reperiendis ſolertes extitiſſe, & in cognitione rerum indaganda ſagaces.* Lib. X. cap. 18.

3 *Creditaque eſt harum inventrix*] *Literarum inventores perhibentur*, ait Tacitus. Vide quæ annotavimus ad Lib. I. num. [11].

4 *Barbaricas alias vocitabat*] Ἀλλὰ μὴν καὶ τὰς περὶ τῶν θείων καὶ θεσπεσίων τε καὶ θεῶν πρώτας παρ' Ἕλλησι φιλοσοφήσαντας, οἷον Φερεκύδην τὸν Σύριον, καὶ Πυθαγόραν, καὶ Θάλητα, πάντες συμφώνως ὁμολογοῦσιν Αἰγυπτίων καὶ Χαλδαίων γενομένας μαθητάς. Joſeph. cont. Appion. Lib. I. in initio. Τὸ τῆς φιλοσοφίας ἔργον ἔνιοι φασὶν ἀπὸ βαρβάρων ἄρξαι. ſic ſcribit Diog. Laertius in proœmio ad vitas philoſophorum. Πλάτων δ' οὐκ ἀγνοῆται τὰ κάλλιστα εἰς φιλοσοφίαν παρὰ τῶν βαρβάρων ἐπιπορεύεσθαι· εἰς τε Αἴγυπτον ἀφικέσθαι ὁμολογεῖ. Et paucis interjectis, Ὁ δὲ Πλάτων δῆλον ὡς σεμνύνων ἀεὶ βαρβάρους εὑρίσκεται· μεμνημένος αὐτῶν τε καὶ Πυθαγόρου τὰ πλείστα καὶ γενναιότερα τῶν δογμάτων ἐν βαρβάροις μαθόντων. Et mox; Φιλοσοφία τοίνυν πολυωφελές τι χρῆμα, πάλαι μὲν ἤκμασε παρὰ βαρβάροις κατὰ τὰ ἔθνη διαλάμψασα. Clem. Alexand. Strom. Lib. I. Id ſatis docuiſſe videntur S. Juſtinus

Debuit acceptas, & rerum cognitionem,)
Barbarie nunc est Græcia barbarior.

Dum

stinus M. Tatianus, Theophilus, Eusebius, Athanasius, & Theodoretus. Plinius certè Pythagoram, Empedoclem, Democritum, Platonem in Ægyptum discendi causa *exiliis veriùs quam peregrinationibus susceptis navigasse* tradit. H. N. Lib. III. cap. 1. Pythagoram quod attinet, de eo audi Isocratem in Busiride: Πυθαγόραν ὁ ἀριθμὸν εἰς Αἴγυπτον, καὶ μαθητὴς ἐκείνων γενόμενος, τὴν τε ἄλλην φιλοσοφίαν πρῶτος εἰς τὴν Ἑλλάδα ἐκόμισε, καὶ περὶ τὰς θυσίας τε, καὶ τὰς ἁγιστείας τὰς ἐν τοῖς ἱεροῖς ὑποδεέστερον τῶν ἄλλων ἐποίησε. Literas barbarorum Inventum fuisse jamjam ostendimus Libro primo, & fatentur Græci: Barbari enim Phœnices erant, qui literarum, quamvis falsò, inventores, Græcis habiti sunt: Unde Herodotus apud Clementem Alexandrinum Lib. I. literas vocat Φοινικήια γράμματα. Babyloniorum & Ægyptiorum inventum esse Astrologiam testatur ipse Aristoteles: Αἰγύπτιοι καὶ Βαβυλώνιοι, παρ' ὧν πολλὰς πίστεις ἔχομεν περὶ ἑκάστων τῶν ἄστρων, ut citatur Jos. Scaligero in notis ad verba ea Manilii Lib. I. *Fugiunt sine nomine signa.* Audiamus Macrobium: *Julius Cæsar*, inquit, *ut siderum motus, de quibus non indoctos libros reliquit, ab Ægyptiis disciplinis hausit: ita hoc quoque ex eadem institutione mutuatus est, ut ad Solis cursum finiendi anni tempus extenderet.* Saturn. Lib. I. cap. 26 Nec philosophiam modo, sed numina etiam sua à Barbaris scil. Ægyptiis accepisse Græcos testatur Herodotus in Euterpe his verbis: Δυώδεκα θεῶν ἐπωνυμίας ἔλεγον πρώτους Αἰγυπτίους νομίσαι, καὶ Ἕλληνας παρὰ σφέων ἀναλαβεῖν βωμούς τε καὶ ἀγάλματα, καὶ νηοὺς θεοῖσιν ἀπονεῖμαι σφέας πρώτους καὶ ζῶα ἐν λίθοισι ἐγγλύφαι. In eodemque libro ait, ὡς δὲν ὃ καὶ παντα τὰ ὀνόματα τῶν θεῶν ἐκ Αἰγύπτου ἐλήλυθε εἰς τὴν Ἑλλάδα. Non dubitat ergo Clemens Alex. Strom. I. sic scribere, Οὐ μόνον ὃ φιλοσοφίας, ἀλλὰ καὶ πάσης σχεδὸν τέχνης εὑρεταὶ βάρβαροι. Quinetiam Politicam vel Reipublicæ constituendæ rationem ex iisdem Ægyptiis manâsse fatetur Aristoteles Polit. Lib. VII. cap. 10. Ὁ δ' χωρισμὸς ὁ καθ' γένος τὸ πολιτικὸν πλήθους, ἐξ Αἰγύπτου· πολὺ γὰρ κρατύνει τὸν χρόνον τὸν Μίνω βασιλεύειν ἡ Σεσώστριος. Sesostris ille Ægypti rex fuit antiquissimus, cujus meminerunt Herodotus, Diod. Siculus, aliique.

Dum quæ toto orbe eſt tellus diviſa Britanna, [11]
Atque ſub Arctoo ſidere pœne jacet,
Artibus ingenuis ſic nunc exculta niteſcit,
Extet ut in toto cultius orbe nihil.
Nempe vices res quæque ſuas patiturque ſubitque,
Sic æſtas hyemem, nox ſequiturque diem.
Relligio & primis populis quæ luxit Eois,
Occiduis ſolis jam ſine labe viget.
Hi dum quos inter viſa eſt Eccleſia naſci,
In tenebris, Turca colla premente, gemunt.
Diſcite juſtitiam moniti, ſanctumque timorem,
Atque ad judicia hæc contremuiſſe Dei.
Hei mihi, doctrinæ decreſcunt lumina Gallis, [12]
Vergit ad occaſum ſolque, Britanne, tibi.
Docta minùs longè eſt hæc ætas noſtra, parentum
Quàm fuit, haud uno nomine pejor item.
Occubuit FELLUS, fato conceſſit acerbo
LAUDUS, & HAMMONDUM flebilis urna tenet.
Et CHILLINGWORTHUS, Babylonis maximus horror,
BARLOVIUSque ſenex, hi potuere mori.
Non tua te doctrina, O SANDERSONE, nec illa
Te potuit pietas eripuiſſe neci.
Ante diem nobis ereptus & ille BAROUS,
Cui grates multas dia Matheſis habet.
Atque valedixit mundo PERSONIUS ingens,
(Ille animata quidem Bibliotheca fuit:)
Et STILLINGFLEETUS patrium repetivit Olympum,
BEAUMONTUSQUE decus, *Granta*, perenne tuum.
Mortuus eſt etiam doctus BUSBEÏUS, uni
Cedere qui viſus, Quintiliane, tibi.
WALLISIUM rapuit mors læva, mihique vetuſta
Junctus amicitia MILLIUS occubuit.

Occubuit BEVERIGIUS, alloqueriſque futura
In ſcriptis ſolis ſecula, BULLE, tuis.
Spirat DODWELLUS[1] doctus, ſed in hæreſin atram
Prolapſum dicas hunc ſupereſſe ſibi.
Relliquiæ ſecli melioris Tu, TENISONE,
Reſtas, Præſulibus, tu quoque, MORE, decus.
Bibliotheca utriuſque bonis patet omnibus ingens,
Doctorum eſt ſummus Fautor uterque virûm.
Hoc ſaltem conſtat, non nunc præcellere, ut olim
Patricios rerum cognitione viros.
Nam neque Savilios, Sidnæos, neve Baconos,
(Qui fuerant regni gloria, ELIZA, tui,)
Nec nunc Raulæos, Cottonos, Bodleïoſve,
(Lumina qui ſtudiis ſumma fuere bonis,)
Seldenoſve (viros generis qui nobilitate
Priſca, at plus ſcriptis emicuere ſuis;
Magniſque impenſis ſtatuerunt Bibliothecas,
Exſuperent pulchram quæ, Ptolemæe, tuam,)
Sed nec Cambdenos[2] videt Anglia, Marſhamoſve,
Waræoſve ſuos: (hæc meminiſſe dolet.)
Gallia neve ſuos Mornæos, Salmaſioſve,
Nec Caſaubonos, Scaligeroſve videt.
Nec quemquam hiſtorias ſcribendo æquare Thua-
Eximiæ fidei, judiciique virum. (num[3],
Geſta

1 *Dodwellus*] Hic libro nuper edito aſtruere conatus eſt: *Animas humanas quamplurimas eſſe mortales, & una cum corporibus interire.*

2 *Cambdenos*] Cambdenus jure merito paſſim audit *Pauſanias Britannicus*; Et quod Cicero Varroni, id ego Cambdeno dicere poſſe videor: *Nos in noſtra urbe peregrinantes erranteſque tanquam hoſpites tui libri quaſi domum deduxerunt; ut poſſemus aliquando qui, & ubi eſſemus, agnoſcere.* Quæſt. Acad. I.

3 *Thuanum*] Hic fuit Parlamenti Pariſienſis Præſes, ſummi ſeculi ſui Hiſtoricus, vir ob inſignem παῤῥησίαν & veritatis ſtudium admirabilis: propterea Catholico-Romanis inviſus. Lanienam Pariſinam deſcribit & deteſtatur: de viris doctis inter Proteſtantes candide

Gesta per Europam, quod nullus idoneus adsit
Scriptor, sub tenebris jam latuere diu;
Sic odio, vel amore placet jam scribere, ut extent
Jam pauci historici, qui meruere fidem.
Ingenium, probitas, cum relligione videntur
Jamdudum sedes quærere velle novas;
Inque orbis partes concedere, magne Columbe,
Quæ primùm nobis te patuere duce.
Scinditur in varias jam tota Britannia partes,
Visa intestinis corruitura malis.
Quod Galli haud poterant, vitia effectura videntur,
Luxuria, impietas, Factio, avaritia.
Omnis abest virtus, & qui prohibere solebat
Nequitiam multis, visus abesse pudor.
Et quis nunc credat nos his majoribus ortos,
Quorum virtutum tot monumenta manent?
Arte quidem belli gens Anglica præstat, & ipsa est
Hostibus, ut semper, jure timenda suis:
At studia optima quæque jacent, discordia regnat,
Exulat & pietas prisca; Quid arma valent?
Nota reducantur veterum pietasque, fidesque;
Sic suus est genti restituendus honor.
At quamvis Angli (dolet hæc meminisse) videntur
A proavis multùm degenerâsse suis,
HERBERTUS vivit tamen ævi gloria, in illo
Britanni exemplar Nobilitatis habent.
DERBEIUSque Comes blandus, cui pectus honestum,
Intemerata fides, ingenuusque pudor.
Gentis EGERTONÆ spes alta: Det huic Deus annos,
Et virtute suos exsuperabit avos.

BOOTHUS

candidè sentit, &, ubi fert occasio, laudat. *Quid dicam de illo immenso tuo in literas amore, quem quidem eximiè declarasti, cum in contexendis Annalibus tuis, eorum interire memoriam non es passus, qui ad illarum illustrationem in hac ipsarum παλιγγενεσία vel mediocrem saltem aliquam symbolam contulissent.* Is. Casaubon. in epist. ad Thuanum. *Thuanum ego virum divinitùs datum censeo seculo isti in exemplum pietatis, integritatis, probitatis, &, ut uno verbo dicam, πάσης ἀρετῆς καὶ καλοκἀγαθίας ψυχῆς.* Idem Epist. 204.

BOOTHUS magnanimus, proles generoſa parentis,
Qui ſe Romanis fortiter oppoſuit.
Atque favens muſis (olim celebrandus ab illis)
TOWNSHENDUS, patriæ clarus amore ſuæ.
WALPOLUS prudens, & ſervantiſſimus æqui;
Hic patriæ eſt columen grande decuſque ſuæ.
Præpoſitus regni theſauris debita ſolvit,
Et facit ut vigeat Publica ubique fides.
STANHOPIUS miles fortis, prudenſque Senator,
Tam pugnare potens, quàm dare conſilium.
Nec mihi COUPERUS reticebitur, ille Camænis
Et favet, idemque eſt gloria magna togæ:
In Faſtis noſtris ſtet *Cancellarius altus*
Primus Britanni totius imperii.
Huic jungendus erit PARKERUS, juris uterque
Lumen, juſtitia clarus uterque ſua.
Ingens utriuſque viri *Facundia* labris
Inſidet, atque animos, quo velit illa, rapit.
Hi noſtræ ætatis ſunt ornamenta; videbit
Proxima vix tales forſan in orbe viros.
Ingenuæ ſordent artes, linguæque vetuſtæ;
Patriciis noſtris Gallica ſola placet:
Quæ poſuere pii patres Collegia, natos
Degeneres ætas temnere noſtra videt.
HOC decus, hæc priſcis debetur palma Britannis,
Quod tandem pulſa barbarie Gothica,
Ante omnes alios ſacras fovêre Camænas,
Atque artes primi reſtituere bonas.
Germani à nobis [1] ritus abolere profanos, [13]
Chriſti & ferre ſacrum perdidicere jugum.

Quin

1 *Germani à nobis*] *Nos ipſi Germani prima Chriſtianæ doctrinæ exordia illis Cœnobitis* [Britannicis] *debimus. Imo debemus illis initia omnis culturæ melioris, atque eruditionis.* Conrigius Diſſert. III. de Antiq. Academ. *Bonifacius Anglus, Germanorum Apoſtolus, Moguntinus Epiſcopus, Haſſos ſylvas & lucos adorantes convertit.* Hedio Hiſt. Eccleſ. lib. VI. cap. 17. Hic Thuringos armis aggreſſus ad fidem

Quin Evangelium conſtat luxiſſe Britannis
Cum primis, (multa id ſcripta vetuſta docent;)
Illo nempe ſuperſtite [1] Cæſare quo ſub IESUS
Sanguine delevit crimina noſtra ſuo.
Hinc lucem gentes vicinas credere fas eſt
Hauſiſſe, hinc latices ore bibiſſe ſacras.
Alcuino noſtro [2] facunda Lutetia [3] debet, [14]
Quod primas inter ſit numeranda ſcholas:
Alcuino, ingenuas Carolo qui tradidit artes,
Bedæ, ut fama refert, diſcipuluſque fuit.
MUSA velit memorare viros per ſecula cuncta
Lumina qui ſtudiis magna fuere bonis;
Artibus exhibuerunt ſe muſiſque patronos;
Sed ſupra vires credit id eſſe ſuas:

fidem traduxit, ut teſtatur Chronicon Iſanacenſe; Friſiorumque maximam multitudinem convertit, circa An. Dom. 752. ut Ado Viennenſis docet Ætat. VI.

1 *Illo nempe ſuperſtite*] *Tempore, ut ſcimus, ſummo Tiberii Cæſaris.* Gildas de excidio Britanniæ. *In Britannia quidem ipſis Apoſtolorum temporibus annunciatum fuiſſe Evangelium auctores habemus locupletiſſimos Euſebium & Theodoretum.* Rev. Uſſerius Præfat. ad Britan. Eccleſ. primordia. *Luce meridiana clariùs exiſtit, ſtatim poſt Apoſtolorum tempora Eccleſias hic fuiſſe conſtitutas, Tertullianus & Origenes id ipſum teſtantur poſt annum Chriſti ducenteſimum.* Godwin. Præf. ad Lib. de Præſul. Angliæ. *Britannia, prima provinciarum quæ amplexa eſt fidem Chriſti.* Sabell.

2 *Alcuino noſtro*] *Claudius, Rhabanus, Alcuinus, omnes olim Bedæ diſcipuli, è Scotia venientes gratis ſe docturos Lutetiæ profeſſi imperante Carolo Magno ſunt. Indeque Pariſienſe Gymnaſium initium ſumpſit.* Polydor. Lib. IV. Aventin. Lib. III. & Crantzius in Metropol. Lib. I. cap. 2. *Britanniam, ut Pariſienſis Academiæ parentem, exoſculor.* P. Ramus Profeſſor Regius Pariſienſis in Præfatione ad Scholas Phyſicas. Alcuini eximium elogium extat apud Conradum in Bibliotheca, qui & Baronio *Armarium artium liberalium* audit ad An. 778. Vide Eginhartum in vita Caroli Magni, Lelandum in vita Alcuini, & Buchan. Rerum Scotic. Hiſt. Lib. V.

3 *Lutetia*] *Ea enim Pariſienſis Academiæ fama eſt per univerſam Latini nominis Europam, ut nemo ſatis eruditus eſſe videatur, niſi qui Lutetiæ didicerit: hæc Academia non urbis unius, ſed univerſi Orbis Academia eſt.* Sic Ramus Lutetiæ ſuæ nimium indulgens. Certe Eraſmus *Academiarum omnium reginam* vocat in Epiſtolis. *Pariſienſis, Patavina, & Ticinenſis Academia Carolum Magnum parentem ſuum appellant.* Papyr. Maſſon. Annal. Lib. II.

Tantum opus haud moveam, tenui mihi carmine
De libris mens eſt ludere, & arte ſacra. (pauca
UTILE quam fuit[1] hanc artem reperiſſe; patebit
Ex his quæ veniunt jam memoranda mihi.
Romanus Præſul totum ſeduxerat orbem, [15]
Ipſum, qua potuit, vendideratque Deum[2].
Per ſe jam cunctis peccare impune licebat,
Qui nummos poſſent dinumerare ſuos:
Collaque jam pedibus calcabat bellua regum,
Proluerat multo ſanguine ſe innocuo.
Reſtitit huic tandem magnus *Lutherus*[3], & hoſtem
Stravit, lethali vulnere confodiens.
Viſus *Lutherus* non dicere, ſed tonuiſſe,
Fulmina erant linguæ ſingula verba viri.
Illum docta ſecuta cohors fuit, auſpice Chriſto,
Quorum pars tincta eſt ſanguine martyrii.
Zuinglius[4] in primis, qui relligionis amore,
Et patriæ blandæ fortiter occubuit.

Oecolam-

1 *Utile quam fuit*] *Nihil eſſe credo, quod magis perſpicuum ſit, conſtetque inter homines eruditos, quam literarum in Europam poſtliminio reditum Arti Typographicæ plurimùm deberi.* Doctiſſ. Maitairus in Præfatione ad vitas Stephanorum.

2 *Vendideratque Deum*] *Quis Sacerdotum ac Religioſorum & Pontificum inexplebilem avaritiam & impoſturas non videt? apud hos omnia venalia ſunt.* Ferus in Joan. II. Scilicet, ut Mantuanus ait Lib. III.

Venalia Romæ
Templa, Sacerdotes, cœlum eſt venale, Deuſque.

Uterque horum Religionis Pontificiæ conſortes fuerunt.

3 *Lutherus*] *Scriptorum Eccleſiaſticorum coryphæus, veritatis cæleſtis entheus planè & imperterritus vindex, Germaniæque Helias, è cujus unico ſcriptorum folio, plus quam ex Thomæ ſcriptis ediſci poſſe Magnus quondam Eraſmus ad Marinum Caracciolum Legatum Pontificium veriſſimè faſſus eſt.* Olear. in Abac. Patrum. *Quem non Cæſares, non reges, non fulmina ex arce Tarpeia vibrata, non ullæ innumerabilium Sophiſtarum phalanges, vel tantillùm terruerunt.* Theod. Beza.

4 *Zuinglius*] *Natione Helvetius, vir verè pius & ſolidè doctus, cum in omni literarum genere, tum in ſacra philoſophia, & tribus linguis eru-*

Oecolampadius [1], Germanæ gloria gentis,
Zuinglio amicitia junctus & ille sacra. (res, [16]
Quid memorem venerande tuos, *Cranmere* [2], labo-
Quos tu pro patria, pro grege passus eras;
Errantemque manum poteras ut tradere flammis,
Quòd mente innocua scripserat illa malè.
Quòd tibi mens esset sancta, intemerata fidesque,
Miraclo Deus hoc testificatus erat:
In mediis pereunt dum cætera viscera flammis,
Illæsum mansit cor tibi, Sancte senex.
Et tibi Tindallus [3] jungetur, qui dedit olim
Anglorum lingua scripta legenda Dei:
Propterea addictus morti est Tindallus acerbæ, [17]
Et Christi causa victima factus obit.

eruditissimis, Latina, inquam, Græca, & Hebraica disertus. Gesner. in Biblioth. *Zuinglius etiam vir fortis alioquin & animosus, cum secum reputaret, quod si domi resideret, ac prælium forte fieret adversum, fore ut magnam ipse sustineret invidiam, quasi concionibus quidem accenderet hominum animos, in ipso autem discrimine mollesceret, voluit omnino communem subire mortem. In corpus autem exanime adeo sævitum fuit, ut vix etiam illius morte potuerit odii acerbitas exsaturari. Natus erat annos quadraginta quatuor, junior Luthero quatuor annis.* Sleidan. Comment. Lib. VIII. Scilicet mortuus est in prælio, cui interesse necesse habuit, Anno 1531.

1 *Oecolampadius*] Aliàs *Hausschein* dictus, Germanus, natus anno 1482. *Vir ob trilinguem eruditionem, ob doctrinæ scientiam & usum, antiquitatis denique Ecclesiasticæ exactam cognitionem, sua ætate nulli secundus.* Melch. Adam in vita Oecolamp.

2 *Cranmere*] Fuit hic Archiepiscopus Cantuariensis sub Hen. VIII. & Edvardo VI. sub Maria vero martyrio coronatus. Ecclesiæ reformandæ, dum vixit, strenuè operam dedit. *Hoc in Cranmero admirabile visum est, quod etsi mitissimus ac facillimus in omnibus rebus judicaretur, tamen si divinam veritatem labefactari aut oppugnari à quocunque sentiret, nemo unquam in bellis Imperator majorem animi magnitudinem constantiamque declararet.* Antiq. Eccles. Britan. pag. 341.

3 *Tindallus*] *Guiliel. Tindallus ad multorum in Christo salutem natus, Græcè ac Latinè peritus, eruditione, fide, ac vitæ innocentia clarus, in Anglica regione primus habebatur post Johannem Wiclevum, qui divinæ veritatis contra iniquos Balaamitas promoveret causam, ac populum recta erga Deum fide institueret.* Balæus de Script. Brit. Cent. III.

Anglia tunc vidit poterant virtutis amore
Qui amplecti flammas, impavidique mori.
Extemplò in cunctis exſurgunt partibus orbis
Doctrina illuſtres & pietate viri,
Qui cauſam Domini ſcriptis defendere tentant,
Succeſſu optato nec caruere pii.
Sæpe Antichriſto, Phœnix Germane, Melanchthon[1],
Dentes Romano frangere viſus eras.
Multum Calvini[2] Bezæque[3] Eccleſia ſcriptis [18]
Adjuta eſt; multum, docte Bucere[4], tuis.
Secula cuncta colent pietatem, cuncta loquentur
Divinum Petri Martyris[5] ingenium:

Secula

1 *Melanchthon*] *Totius Germaniæ ſummum decus, unus ex primis & præcipuus renaſcentis literariæ Reipublicæ, omniſque ſapientiæ revireſcentis parentibus ac reſtauratoribus, æterna poſterorum memoria dignißimus; multum ei debet Eccleſia, multum quicunque bonas Artes & ſtudia amplectuntur.* Geſner. in Biblioth. *Communis Germaniæ Præceptor, Germaniæ Phœnix* audit Lipſio. *Inter Proteſtantes Melanchthonem certè pluris quam cæteros facio.* Grotius. Animi ejus moderationem & quietis ſtudium plurimùm commendat Clariſſ. Thuanus Lib. XXVI.

2 *Calvini*] *Illuſtris vir Joannes Calvinus, nec unquam ſine ſummi honoris præfatione nominandus.* Lanc. Andreas Epiſc. Winton. in Tractatu de Uſuris. *Acri vir ac vehementi ingenio, & admirabili facundia præditus, inter Proteſtantes magni nominis.* Thuan. ad an. 1564. De quo Joſ. Scaliger, *O quam Calvinus bene aſſequitur mentem Prophetarum! nemo melius; erat ſummum judicium & ingenium Calvini. Sapit quod in Apocalypſin non ſcripſit.* Imo vero tu deſipis, Scaliger, quod tam inhonorifice de D. Joannis Apocalypſi ſentias & ſcribas.

3 *Bezæque*] *Beza, vir non Græca tantùm, ſed & omnigena literatura imbutus, quam etiam ſingulari acumine & judicio ad interpretationem plurimorum S. Scripturæ locorum feliciter adhibuit.* Matth. Polus in Præf. ad Synopſ. Crit. Tom. IV. Vide Thuan. ad an. 1605. & Iſ. Caſaubonum in Epiſt. 297. quæ eſt ad Joſ. Scaligerum.

4 *Bucere*] Hic *ingenio & eruditione inclytus, Hebraæ linguæ apprimè peritus fuit.* Hofman. Ab Edvardo VI. invitatus in Angliam venit, Profeſſor factus eſt Cantabrigiæ, ibique obiit An. 1551. *Quam multiplicem in Bucero jacturam fecerit Dei Eccleſia, quoties in mentem venit, cor meum prope lacerari ſentio.* Calvin. in Epiſt. ad Viretum.

5 *Petri Martyris*] *Natione Italus, Italiam ob Evangelii profeſſionem relinquere coactus multùm valet eloquentia, & in tribus linguis eruditionis eſt clariſſimæ.* Geſner. in Biblioth. *Petrus Martyr ingenio & eruditi-*

Et quæ invicto animo ſubiit certamina fortis
Athleta, & fidus teſtis in orbe Dei.
Muſcule[1], cujus ſemper amavi pectus honeſtum,
Reſque Reformata eſt aucta labore tuo:
Muſcule pauper eras; ſed eras, Vir optime, dives
His quæ nemo poteſt ſurripuiſſe bonis.
Inter prima ejus celebrabere lumina ſecli,
In quo nempe fides extulit alma caput.
Nec Bullingerus[2] gravis eſt mihi prætereundus, [19]
Ille Tigurinæ qui fuit urbis amor.
Zanchius[3], Urſinus[4] Chriſto navare fidelem
Viſi ſunt operam, Chemnitiuſque[5] bonus,
Acta *Tridentinæ Synodi* qui examinat, atque
Hæc contra leges indicat eſſe Dei.

Sed

eruditione inter ſuos præſtans, varia fortuna ac diverſis peregrinationibus tota vita jactatus. Thuan. Ab Edvardo VI. Sacrarum literarum Profeſſor Oxoniæ eſt conſtitutus. Obiit Tiguri An. 1562.

1 *Muſculo*] *Wolfgangus Muſculus, magni inter ſuos nominis Theologus, qui Monaſticam olim, dein abjecto cucullo Proteſtantium doctrinam profeſſus vitam aliquando opere manuario textrinam exercens toleravit, poſteà ſerio animum ad literas jam ætate provectior appulit: in quibus improbo labore tantùm profecit, Martini Buceri (quantum licuit) ſectator aſſiduus, ut famam Concionibus quæſitam, etiam laboriosiſſimis editis in S. Scripturam Commentariis auxerit.* Thuan. ad an. 1563.

2 *Bullingerus*] *Helveticæ Confeſſionis poſt Zuinglium & Oecolampadium ſummus propugnator; & illo mortuo ad Tigurinæ Eccleſiæ curam vocatus, ſed mitiore quam doctor ſuus ingenio præditus, varia ac prope infinita ſcripta edidit.* Thuan. ad An. 1575.

3 *Zanchius*] Italus, ſcripſit varia, *quæ*, ut Thuanus verè ait, *profundæ in Theologicis ſtudiis eruditionis fidem faciunt.* ad An. 1590. *Vir eruditione, modeſtia, pietate paucis ſecundus.* Sanderſon. de oblig. Conſcient. Prælect. 11.

4 *Urſinus*] Sileſius, *Catechiſmi* non incelebris auctor. *Hic nihil ſibi tribuit: Theologiæ ſtudioſus, quam Doctor dici maluit. Erat temporis parcus, quod Inſcriptio Muſæi innuit:*

Amice, quiſquis huc venis,
Aut agito paucis, aut abi:
Aut me laborantem adjuva.

Melch. Adam. in vita.

5 *Chemnitiuſque*] *Vir eximius, atque acerrimus Pontificiarum partium*

Sed Romæ inflixit qui non ſanabile vulnus [20]
Conſcriptis libris, ille Juelius [1] erat:
Aurea pro templis Oratio ſcripta Britannis
Non niſi ſupremo eſt interitura die.
Tuque inimicorum qui cæca ſophiſmata ſolvis,
Tu Whitakere [2], ſacræ gloria magna togæ,
De Bellarmino duces per ſecla triumphum,
Te æternùm ſtabit vindice priſca fides.
Torturamque ſimul Tortus patietur in orbe,
Præſulis Andrææ [3] dum pia ſcripta manent.

Junius,

tium oppugnator. Guil. Rivet. Vind. Evang. part. III. cap. 6. Gaſmarus in vita Chemnitii memorat, *Cardinalem quendam Tridenti ad Legatum Erici Ducis Brunſwicenſis & Luneburgenſis dixiſſe, neminem inter Germaniæ Theologos hactenus fuiſſe, qui Eccleſiæ Romanæ poſt Lutheri obitum plus nocuerit, quam Chemnitius iſto ſuo ſcripto* [Examine Concilii Tridentini]. *Hoc ſe ingenuè confiteri, virum admirari, ei eruditionis palmam præ omnibus Theologis Germaniæ tribuere, nihil magis optare, quam ut illum videre aliquando, & cum ipſo de toto Religionis negotio conferre poſſit.*

1 *Juellus*] Epiſcopus Sarisburienſis tempore Reginæ Elizabethæ. *Apologia ejus ab exteris piis ſummopere in pretio habita eſt, & in varias linguas, Germanicam, Hiſpanicam, Italicam, Gallicam transfuſa. Si ſpectetur ordo, nihil diſtributius; ſi perſpicuitas, nihil lucidius; ſi ſtylus, nihil tersius; ſi verba, nihil ſplendidius; ſi res, nihil nervoſius.* Humphred. in vita Juelli. Vide Godwin. de Præſul. Angliæ. *Theologorum, quos orbis Chriſtianus per aliquot annorum centenarios produxit, Maximus.* Rich. Hookerus in Polit. Eccleſiaſt. Obiit Juellus Anno 1571. Ætat. 49.

2 *Whitakere*] Gulielmus Whitakerus patria Lancaſtrenſis, familiâ honeſtâ in prædio Holmio natus, ſummus ſuæ ætatis evaſit Theologus. *Hic, ut* Thuani verbis utar, *Juelli Salisburienſis ſive imitatione, ſive æmulatione, cum Edmundo Campiano, Joanne Duræo, Thoma Stapletono, aliis, tota vita ſcriptis diſputavit, & Cantabrigiæ obiit, quamquam vix* XLVII *ætatis annum ſuperaſſet, ita viribus defectus, ut inſtar infantuli placidè ac ſine ulla convulſione ſpiritum efflaverit.*

3 *Præſulis Andrææ*] *De cujus alta doctrina in omni genere diſciplinarum, quicquid dixero, minus erit.* Iſ. Caſaubon. in Epiſt. ad Front. Duc. *Vir quanta dicendi vi præditus, ac in concionibus præcipue ſacris, loquatur Aula Regia; quanta eruditione, loquetur, ſed non ſine ſtomacho ab illo tortus, Tortus ille Cardinalis* [Bellarminus.] Godwin. de Præſul. Angl.

Junius [1], &Perkinſus [2], Rainolduſque [3] profundus [21]
Quos metuat Babylon nomina ſemper erunt.
Pinget Romanum Antichriſtum Abbotius [4] orbi,
Rhemenſes dextra, Fulco, cadentque tua.
Et dum facundi Mortoni [5] ſcripta manebunt,
Impia ſe demum judice Roma cadet.
ARTE Typographica cum ſcripta fidelia ubique [22]
Prodirent, doctis evigilata viris,
Surgere tunc viſa eſt pro nobis tota vetuſtas,
Viribus & junctis conſerere hoſte manus.
Pulvere & ipſa ſitu confecta volumina fœdo
Eruta vidiſſes illius artis ope.
Præcipuè Stephani [6] ſudabant præla diſerti, [23]
Et bona quotidie ſcripta recuſa dabant.

Hic

1 *Junius*] *Vir nunquam ſatis laudatus. Ego certè ita ſentio, neminem inter Theologos noſtros repertum fuiſſe, qui minus juravit in verba cujuſquam Magiſtri, qui aliorum Sententias æquiùs expenderit, & veritatis diligentior ſuerit indagator.* And. Rivet. in Animadv. ad Grot. Vot. *Franciſco Junio multum debeo.* Grot. in Voto pro Pace.

2 *Perkinſus*] *Sanctiſſimus & exercitatiſſimus Theologus, ſcriptis in primis quæ Chriſtianam praxim ſapiunt, clariſſimus.* Læti Compend. Hiſt. Univer.

3 *Rainolduſque*] *Non Angliæ tantum, ſed ſeculi ſui decus.* Ameſ. in Præfat. ad Diſcept. de Circulo Pontif. *Joannes Rainoldus Academiam in ſuo pectore geſtaſſe ferebatur. Sanè ſcripta ejus omnigenam eruditionem, antiquitatis ſummam notitiam, in primis colloquium cum Harto Jeſuita,* [Adde, Prælectiones in libros Apocryphos] *arguunt.* Idem ibid. Vide Joſ. Scal. Epiſt. Lib. IV. ep. 446.

4 *Abbotius*] *Tum aliis ſcriptis ſuis, tum libro de Antichriſto, & altero de Gratia Dei, & Perſeverantia Sanctorum, nominis ſui memoriam poſteritati ſempiternam conſecravit.* Scultet.

5 *Mortoni*] Epiſcopus hic Dunelmenſis, vir infinitæ lectionis, & excellentis judicii. De ſe ſic ſcribit in Præfatione ad Refutat. Confut. C. R. *Smithæus Chalcedonenſis Epiſcopus nuncupativus, Theologus ſanè eruditus, cur in me vehementiùs excandeſceret, rationem hanc reddidit, quod Pontificios ex Pontificiorum teſtimoniis impugnandi rationem, ut ait, primus inierim.*

6 *Stephani*] Robertum puta, de quo ſic ſcribit Thuanus: *Robertus Stephanus Pariſienſis, Typographus Regius, ſecundum Aldum Manutium Romanum qui Venetiis, & Joannem Frobenium qui Baſileæ eandem*

Hic tandem dederat quod Biblia ſacra recuſa,
Sorbonæ invidia[1] (proh pudor) exul obit.
Inſtaurando domum Domini inſerviſſe videntur
Fortè renatæ illo tempore literulæ: (nec, [24]
Nam Græcæ haud nobis notæ, gens barbara do-
Conſtantine, urbem diripuere tuam.
Ampla licet fuerint ſpolia hinc quæ rettulit hoſtis,
Creverunt nobis nobiliora tamen.
Italiam tunc advenit[2] Beſſario[3] doctus,
Et tu cum muſis, optime Gaza[4], ſacris,

Qui

eandem artem ſumma laude exercuerunt, clariſſimus, quos ille longo ſpatio ſupergreſſus eſt, acri judicio, diligentia accurata, & artis ipſius elegantia: cui ob id non ſolùm Gallia, ſed univerſus Chriſtianus orbus plurimùm debet. Hiſt. Tom. I. Lib. XXIII. Et Hofmannus: *Robertus Stephanus*, inquit, *Typographus ſui ſeculi celeberrimus, tum impreſſis nitidiſſimè, tum editis proprio Marte ſcriptis, de re literaria præclariſſimè meritus: Hebraicè, Græcè, & Latinè doctiſſimus. Auctor Theſauri Linguæ Latinæ, Operis excellentis, Grammaticæ, & Commentariorum in Evangelia: Novam quoque Bibliorum verſionem adornavit. Ob purioris Religionis cultum in Gallia parum tutus, Genevam ſe recepit. An.* 1547. *ibique obiit. An.* 1559. *Æt.* 59. De Henrico Stephano Rob. F. Videndus Thuanus Hiſt. Tom. V. Lib. 120.

1 *Sorbonæ invidia*] *Quum eo anno* [1522] *à Colinæo impreſſum fuiſſet minore forma Novum Teſtamentum emendatum ſanè elegantique charactere excuſum (res nova prorſus temporum malignitate libros ſacros tunc poſſe correctos reperiri) Sorbonæ Theologi ad ignem rapiendum eſſe vociferabantur.* Robert. Stephanus in Reſponſ. ad Cenſur. Theolog. pag. 8. Cæterum de Stephanis Patre & Filio, &.de incredibili ipſorum in re literaria promovenda induſtria legendi ſunt Clariſſ. Viri Theod. Beza in Iconibus; Scæv. Sammarthanus, in Elogiis doctorum virorum; Theodor. Janſonius ab Almeloveen; &, qui nuperrime ſcripſit, vir jam laudatus Michael Maittairus.

2 *Italiam tunc advenit*] Vide Laurent. Rhodoman. Orat. de Lingua Græca.

3 *Beſſario*] *Beſſario natione Græcus, patria Trapezuntinus, Patriarcha Conſtantinopolitanus, primus omnium ex Græcis fuit, qui communibus Patrum ſuffragiis cum Iſidoro in* [illegible] *enatum Cardinalitium electus eſt. Mortuus eſt Ravennæ ex Legatione Gallica rediens. Anno ætatis* 77. *Dom* 1473. Boſſiard. in Icon.

4 *Gaza*] *Inter eos omnes qui bonas literas ſuſcitârunt in Italia, invidco tantum tribus his, Theodoro Gazæ, Angelo Politiano, & Pico Miran-*

Qui duo literulas Græcas in partibus orbis
Occiduis magna non ſine laude docent.
Dum patriam fugiunt ſecum monumenta vetuſta
Urbibus Auſoniis Attica multa ferunt.
Sic pius Æneas ereptos igne penates
Intulit Italiæ, dum nova regna petit.
Hoſce ſecuti Hebræas mox Latiaſque Camænas
Ceu poſtliminiò reddere dant operam (le [25]
Pagninus [1], Fagius [2], Munſterus [3], Capnio [4], & il-
Biblia Ximenius [5] qui Polyglotta dedit.
Et Vatablus [6] meritò quem Gallia jactet alumnum,
Merceruſque [7] bonus diſcipulus Vatabli;

Ficinus,

Mirandulano. Theodorus Gaza, magnus certè vir & doctus, qui tamen in librorum Ariſtotelis de Animalibus Verſione lapſus eſt aliquibus locis. Scaligerana I.

1 *Pagninus*] *Santes Pagninus Dominicanus Lexicon Hebraicum edidit, tanta eruditione refertum, ut etiam Rabbinos in eo argumenti genere vicerit, & reliquos à præſtantiore conficiendo deterruerit.* Genebrard. in Chronol. Lib. IV. Sed illum longe ſuperavit Johan. Buxtorfius.

2 *Fagius*] *Vir inter Chriſtianos Hebraicè doctiſſimus.* Scalig. Elench. Trihæreſ. Serar. cap. 14.

3 *Munſterus*] *Doctus ſanè vir fuit Munſterus, cui multum debent literæ Hebraicæ.* Idem ibid. *Duabus rebus multum laudis meruit Hebraïs literis & Matheſi.* Voſſ. de Scient. Mathem. Auctor est operis eximii cui *Coſmographiæ* nomen fecit : rectiùs dixiſſet *Germanographiam*, cum in Germania deſcribenda fermè totus ſit.

4 *Capnio*] Quod nomen ex Germanico factum Græcum Hermolaus Barbarus Joanni Reuchlino impoſuit, cum Reuchlinus à Maximiliano I. Imp. Romam miſſus eſſet. Natus eſt An. 1454. Vixit annos 67. Primus in Germania linguæ Hebraïcæ ſtudium ſuſcitavit.

5 *Ximenius*] Hic Ducatorum ſexcenties millenis millibus impenſis Biblia Polyglotta ſex Tomis comprehenſa emiſit, An. 1515. Hoc opus Dei beneficio paulò antè quam Lutherus contra Romam ſcriberet editum, in Religione vera & antiqua reſtituenda pios multum adjuvit.

6 *Vatablus*] *Natione Gallus, patria Ambianenſis, obiit An. Dom.* 1547 *Quem Hebræi ipſi Lutetiæ Hebraicas literas profitentem admirati ſunt, Chriſtiani vero maximo cum fructu docentem audiverunt.* Thuanus Hiſt. Tom. I. Lib. III. Hujus annotationes, in primis in V. Teſtamentum, non ab ipſo conſcriptas, ſed ab Auditoribus ex illius prælegentis ore exceptas fuiſſe docet idem nobilis Hiſtoricus. *Vatablus*

Ficinus [1], Vives [2], Pighius, Grinæus & Aldus [3],
Barbariæ expunctor Barbarus [4] eximius.
Et Picus [5] princeps, & Bembus [6] & Angelus [7] ille
Qui Coſmi magni magnus alumnus erat.
Et Platina [8] in ſcriptis auſus qui tradere mores
Pontificum, hoc factus nomine vincla pati.

Valla

tablus magnus in Hebræis, nec alius Chriſtianus in iis eo doctior. Scaligerana I.

7 *Merceruſque*] *Mercerus maximus Grammaticus, vir pius, & in exponendis ſacris literis excellentiſſimus Hebræus,* Idem II.

1 *Ficinus*] Philoſophiæ Platonicæ callentiſſimus, Medicæorum Principum alumnus.

2 *Vives*] Hiſpanus, patria Valentinus, vir eximiæ doctrinæ & judicii. *Quanta doctrinæ & lectionis fuit, docent tum alii ejus libri plurimi, tum etiam Commentarii ejus eruditiſſimi in Auguſtini libros de Civitate Dei, quos tunc conſcripſit cum Eraſmus Auguſtini operum omnium emendationem inſtitueret, & De diſciplinis libri viginti doctrina, eruditione, ſapientia rara refertiſſimi.* Neand. Geog. Part. I. De eo vide plura in notis ad Lib. VI. num. [8].

3 *Aldus*] *Typographus Venetus, celeberrimus, laborioſiſſimus, & doctiſſimus; & qui primus è Bibliothecis Manuſcriptos pleroſque Græcos auctores in omni doctrinarum genere pulcherrimis typis in publicum edidit.* Neand. Geo raph. Part. I.

4 *Barbarus*] *Hermolaus ille omnium ſcientiarum alumnus idem ac parens.* Jul. Cæſar Scalig. *Gloria erat Nobilitatis Venetæ, & ſui ſeculi ſplendor.* Boiſſard. in Icon. Miranda de eo legas apud Politianum in Epiſtolis, & Miſcell. Cent. XIX. cap. 10.

5 *Picus*] Mirandulæ Comes: *Vir præ omnibus qui ſint, quique fuerint, admirandus.* Polit. Epiſt. Lib. VII. ep. 5. Vide Sixt. Senenſ. Biblioth. Lib. IV. & Morn. Myſter. Iniq. Obiit 1494. ætat. 32.

6 *Bembus*] Venetus, Leoni X. ab epiſtolis, deinde Cardinalis factus, eodem tempore quo Jacobus Sadoletus, Caſpar Contarenus, & Campegius ad eundem honoris gradum evecti ſunt. Vir facundus, ſed qui quandoque Ciceronem ineptè imitetur.

7 *Angelus*] Dictus *Politianus* à monte Politiano Hetruriæ oppido, natus An. D. 1454. *Habuit noſtra hæc ætas bonarum literarum proceres duos, Hermolaum Barbarum, atque Angelum Politianum; Deum immortalem, quam felici ingenio, quam acri judicio, quanta facundia, quanta linguarum, quanta diſciplinarum omnium ſcientia praditos.* Eraſm. Epiſt. Lib. IV. ep. 8. Vide Melanct. Declam. Tom. III.

8 *Platina*] *Vir fuit gravis, & procul mendacio, eoque admiratione dignior, quod jam provecta ætate, ac poſito tyrocinio, quod totum militiæ prius tradiderat, literas didicit.* Volater. Anthrop. Lib. XXI.

Valla[1] & Budæus[2], Coletus[3], Morus, Eraſmus[4],
Quo vix in terris doctior alter erat.
Clarus amicitia Mori Tonſtallus[5], & eheu
Fiſcherus[6] vitæ prodigus ille ſuæ!
Polus[7] item generis qui nobilitate, ſcientia,
Et morum inſigni vii gravitate fuit:
Heu nimis addictus Romæ niſi fortè fuiſſes,
Utilior patriæ, Pole, futurus eras.
Huic Contarenus[8], nec non Sadoletus[9] amici,
Et ſtudiis unà grande fuere decus.

Promovere

1 *Valla*] *De Latini ſermonis elegantia ſcripſit elegantiſſimè.* Eraſm. de Ratione ſtudii.

2 *Budæus*] *Omnium qui hoc patrumque ſeculo vixere, ſine controverſia doctiſſimus.* Et mox, *In Græcis autem quis non miretur eò uſque progreſſum, ut (quod nulli dum extra Græciam nato contigerat) ipſius Jani Laſcaris Græcorum doctiſſimi judicio veterem Atticorum jucundiam adæquaſſe diceretur.* Scæv. Sammarthan. in Gall. illuſt. Elogiis.

3 *Coletus*] D. Pauli Londini ſub Hen. VIII. Decanus, vir pius & doctus, Eraſmi amicus, ab Religione Reformata minimè abhorrens, erga pauperes munificus, Scholæ Paulinæ Fundator.

4 *Morus, Eraſmus*] Viri maximi, & amicitia inter ſe conjunctiſſimi. De his dicetur Lib. VI. num. [7 & 8.]

5 *Tonſtallus*] Epiſcopus Dunelmenſis ſub Hen. VIII. *Juris utriuſque*, inquit Balæus, *professor erat. De quo Morus in Epiſtola quadam ad Eraſmum. Tonſtallus, inquit, ut nemo eſt omnibus bonis literis inſtructior, nemo vita moribuſque ſeverior, ita nemo eſt uſquam in convictu jucundior.* De Script. Brit. Cent. IX.

6 *Fiſcherus*] Epiſcopus Roffenſis: hic & Thomas Morus quod nollent Henricum VIII. ſupremum Eccleſiæ Anglicanæ in terris Caput agnoſcere, ſecuri ſubjiciuntur, Anno 1539. Erat Fiſcherus, teſte Eraſmo, *Vir ſingulari pietate & eruditione.*

7 *Polus*] *Polus noſter homo haud paulò plus omnibus bonis artibus clarus, quam nobilitate, quæ eſt à Britanniæ Regibus.* Bembus in Epiſtola ad Sadoletum. *In quo ſanguinis nobilitas (nam proxima cognatione Regem contingebat) & morum gravitas cum eximia doctrina conjuncta extitit.* Godwin. Annal. Lib. II. Vide ejus Comment. de Præſul. Angliæ.

8 *Contarenus*] *Erat Patricius & Senator Venetus, magni nominis propter doctrinam, & præter omnem expectationem dicitur, cùm nihil ambiviſſet, ad hunc fuiſſe gradum evectus.* Sleidan. Comment. Lib. II. *Legatione ſua non bonam gratiam iniit apud Pontificem atque Collegium, quaſi*

Promovere eadem Rhenanus [1], & ille Sabinus [2]
Qui duxit muſas ex Helicone ſacras,
Victuraſque tibi retulit, Germania, palmas,
Quales eſſe ſolent præmia carminibus.
Ante omnes Equitum Anglorum par nobile, Smi-
Et Checus [4] Græcos explicuere libros, (thus [3]
Checus qui Edvardum præceptis Principe dignis
Imbuit, & linguam fecit utramque loqui.
Hi quoque Romanam linguam docuere, Eliota,
(Ipſeque cum primis nobilis Anglus eques,)
Linacer [5], & pueris formandis Lilius [6] ille,
Quo non majorem terra Britanna tulit.

Optimus

quaſi non ſatis acriter ſe Lutheranis oppoſuiſſet, & quaſi Rempubl. Romanam propè in diſcrimen, adduxiſſet: mortuus eſt Anno 1542. *ſub exitum Auguſti, non ſine veneni ſuſpicione.* Idem Lib. XIV. Docuit nos non operibus noſtris, ſed ſola fide in Chriſtum juſtificari.

9 *Sadoletus*] *Vir graviſſimus, omnibuſque virtutibus, omni diſciplinarum genere, omni literarum cultu longè præſtans Jacobus Sadoletus, Collega meus.* Bembus in epiſtola ad Budæum. Fuerunt Bembus & Sadoletus Leoni X. ab epiſtolis. *Eximium illud hujus ætatis decus.* Eraſm. Lib. XXIX. Epiſt. 38. *Bembus & Sadoletus boni poetæ.* Scaligerana I.

1 *Rhenanus*] Beatus Rhenanus: *Beati vocabulum tibi non fortuitò, ſed divini numinis conſilio contigit.* Eraſm. Lib. XXIX. Epiſt. 31. *Rhenano Germania, & nos omnes plurimùm debemus, in Antiquitatis & veterum Auctorum reſtitutione.* Scaligerana I.

2 *Sabinus*] Germanus, Philippi Melanchthonis gener, poetarum ſui ſeculi facile princeps.

3 *Smithus*] Eques auratus, vir Græcè & Latinè doctus, Elizabethæ Reginæ ab Epiſtolis & Secretis Conſiliis, & cui utraque Academia plurimùm debet.

4 *Checus*] Ipſe etiam Equeſtri dignitate fulgens, Edvardi VI. ſummæ ſpei Principis Præceptor fuit. Primus Græcæ Linguæ apud Cantabrigienſes Profeſſor. Libros eruditiſſimè conſcriptos reliquit quamplurimos. De eo & D. Smitho Epiſtolarum libro I. ſic ſcribit Aſchamus: *Qui ſi ad ſcribendum ſe dediſſent, nec in Sadoleto Italia, nec in Longolio Gallia juſtiùs, quam in iſtis duobus Anglia gloriata fuiſſet.*

5 *Linacer*] *In arte Grammatica Thomas Linacer, à quo multa ſunt Latinæ linguæ myſteria oſtenſa, ac ſine impietate prodita.* Lud. Viv. de Tradend. diſcipl. Lib. III. *Linacro ingreſſo Vaticanam Bibliothecam Romæ,*

Optimus Aſchamus [1], Divæ præceptor Elizæ,
Aſchamus ſecli lumen & ipſe ſui.
Germaniſque ſuis decus ingens Sturmius [2] ille,
Aſchamo noſtro junctus amicitia.
O ſi ut doctus eras, ſic caſtus, Caſa [3], fuiſſes,
Tu poteras ſtudiis forſitan eſſe decus!
Sed nec Grocinum, nec te, Lelande [4], tacebo,
Cujus muſa viros non ſinit uſque mori.

Romæ, & Græcos codices evolventi ſupervenit Hermolaus Barbarus, ad pluteumque humaniter accedens, Non tu, hercle, inquit, ſtudioſe hoſpes, uti ego planè ſum, Barbarus eſſe potes, quod lectiſſimum Platonis librum (is erat Phædrus) diligenter evolvas. Ad id Lanacrus læto ore reſpondit; Nec tu, ſacrate Heros, alius eſſe jam potes, quam illi fama notus Patriarcha, Italorum Latiniſſimus. Ab hac amicitia (uti caſu venit feliciter conflata) egregiis demum voluminibus ditatus, in Britanniam rediit; datuſque eſt Præceptor Arthuro Regis filio cui dicatam Procli Sphæram legimus. Paul. Jovius in Elog. doctor virorum.

6 *Lilius*] *Inſignem ex optimis literis laudem tulit Gulielmus Lilius, qui primus cives ſuos Latinè atque diſertè loqui feliciter docuit.* Paul. Jovius in deſcript. Britan. *Summo vir ingenio & doctrina* (de Coleto loquitur,) *eum ſuæ novæ ſcholæ, quam Londini erexerat, primum Præceptorem elegerit, in qua annos quindecim docendo ſe exercuit. Scripſit Compendium Grammaticæ perutile.* Lil. Gyrald. de Poet. Dial. II.

1 *Aſchamus*] Hic *ſub initio regni Philippi & Mariæ*, ut de eo ſcribit Edv. Grant. in vita, *in tribus ſolùm diebus* XLVII *diverſas epiſtolas ad* XLVII *diverſos Principes, quorum infimi erant Cardinales, & excogitabat ornatè, & depingebat politiſſimè.*

2 *Sturmius*] *Magnum Nobilitatis Germanicæ ornamentum. Vir & vera eruditione, & rerum agendarum peritia inſignis: qui Joanni Sleidano ad ſcribendam Hiſtoriam auctor & adjutor fuit.* Thuan. Hiſt. Tom. X. Lib. 12. ad An. Dom. 1553. Vide Camerarii Hor. Subcif. Cent. III. cap. 68.

3 *Caſa*] Florentinus, *Archiepiſcopus Beneventanus, Pontificis apud Venetos Legatus, horrendo ſcelere, pluſquam deteſtanda impudentia, id celebrare eſt auſus, quod ne fando quidem pudor ipſe nominari ſuſtinet.* Foxius cont. Oſor. Lib. III. Vide Sleidan. Comment. Lib. XXI. Thuan. Hiſt. Tom. I. Lib. XVI. & Gul. Canter. in Præfat. in Propertium. Tentat ſe excuſare, ſed inepte admodum, bipedum nequiſſimus Carmine Iambico, quod extat Tomo I. Carminum illuſtrium Poetarum Italorum.

4 *Lelande*] Hic libris *de Scriptoribus illuſtribus Britanniæ* ingentem ſibi famam paravit. Extat & ejus *Cygnea Cantio*, Opus laude dignum.

Illi tunc Gallis [1], regesque fuere Britannis [2] [26]
Quorum amor in musas clarus in orbe fuit:
Ipse etiam docti; Cæsar doctisque favebat
Carolus, hoc Divis nomine dignus avis.
Et quamvis Atheus (famæ si creditur,) esset,
Haud tamen indoctus Papa erat ipse Leo [3].
Ante omnes Medicæa domus [4] (genus unde Leoni,)
Valde est ingeniis visa favere bonis.
Lumina summa inter scelus est reticere Philelphum [5],
Et condiscipulos quos sibi nactus erat
Chry-

rum. Est Lelandus, judicio Antonii Wood *Rei Historicæ & Antiquitatum cognitione eorum, quos Anglia unquam progenuit, facilè Princeps.*

1 *Gallis*] Nempe Franciscus I. De quo Thuanus: *Inter omnes tanti Principis laudes*, inquit, *meritò hæc primum locum obtinet, quod literas & literatos impensè dilexerit.* Hist. Tom. I. Lib. XI. Hic, teste Ramo, *primus regias linguarum atque artium liberalium Professiones instituit.* Schol. Mathem. Lib. I. Franciscí laudes celebrat Budæus in libris *De Asse*; celebrant & pœne omnes docti ejus ætatis.

2 *Britannis*] Henricus Octavus, cujus eruditionem deprædicant auctores maximi, Sleidanus, Thuanus, & Vossius. Huic Leo X. Pont. Rom. propter libellum ab eo contra Lutherum scriptum *Defensoris fidei* titulum dedit.

3 *Leo*] Papa ejus nominis X. cujus laudes celebrant Platina in vita; Auctor Nomenclat. S. Romanæ Ecclesiæ; Campian. de imit. Rhet. cap. 31. Pier. Valerian. de Literat. infelicitate Lib. I. & Paulus Sarpius in Hist. Concil. Trident. Lib. I. Atheus cur sit creditus docebit te not. supra ad num. [13].

4 *Medicæa domus*] *Medicæorum domus publicum omni doctrinæ liberali hospitium Florentiæ fuit, & Cosmus Medices Magnus propterea cognominatus est. Hic enim Chrysoloras primus Græcas literas tota Europa Latina multis jam seculis intermortuas excitavit, unde Lutetiam à Tisarnate Chrysoloræ discipulo protinus, indeque in omnes Europæ regiones delatæ sunt. Hic Argyropulus Græcè Aristotelis Philosophiam docuit, & è Græco in Latinum conversam Cosmo nuncupavit.* Ramus in Præfat. in Schol. Mathem. Vide Angel. Rocha Append. in Biblioth. Vatican. Pet. Crinit. De honest. discipl. Lib. XV. cap. 9. Paul. Jov. de vita Leonis X. Politian. Epist. Lib. II. ep. 7. &c. Paul. Manut. Præfat. ad Epist. & Thuan. Hist. Tom. I. Lib. XI.

5 *Philelphus*] *Ad omne genus scripti sese accommodavit, ac ut de Vinicio dicit Augustus, ingenium in numerato habebat: Græca, Latina, Lyrica, Heroica, prosam orationem ex tempore dictitabat. Idcirco Franciscc*

Chryſolora [1] doctore, Aretinum [2], Ambroſiumque,
Camaldunenſis Cœnobii monachum.
Poggium [3] item doctum, ſed quem Florentia mater,
Tam ſpurcus ſcurra eſt, ſe peperiſſe dolet.
Quin memorandus erit Trapezuntius [4], ille Platonis
Hoſtis, ſed ſtudiis profuit ille bonis:
(Hic qui tantus erat, præ morbo animique dolore
Nominis oblitus fertur obîſſe ſenex.)
Illis temporibus volitabat fama per orbem
Cuſani [5], Fabri [6], Trithemiique Magi [7],

ciſco Sfortiæ gratiſſimus Mediolani profitebatur. Violater. Anthrop. Lib. XXI. Fuit natione Italus, patria Anconitanus, obiitque An. 1481.

1 *Chryſolora*] *Emanuel Chryſoloras Bizantius, Græcas literas in Italiam quaſi poſtliminio reduxit, quæ per* DCC *annos fere exulaverant.* Genebrard. Chron. Lib. IV.

2 *Aretinum*] *Leonardus Brunus Aretinus Hiſtoricus, Orator, & philoſophus doctiſſimus: Græca & Latinæ linguæ peritiſſimus, quarum nitorem retroactis ſeculis offuſcatum priſtino ſplendori reſtituit. Ex Græco tranſtulit multa in Latinum ſermonem.* Boiſſard. in Icon. *Leonardus Aretinus felici quadam & fœcundiſſima ingenii vi atque bonitate eloquentiaque pollebat.* Fr. Philelph. Lib. I. Convivior.

3 *Poggium*] *Poggii Florentini maledicendi ſtudium ex eis quas in Amedæum Sabaudiæ ducem, à Baſilienſi Concilio creatum Pontificem; in Franciſcum Philelphum, cui poſtea reconciliatus eſt; & in Laurent. Vallam invectivas ſcripſit impuriſſimas quivis colligere poteſt.* Volater. Anthrop. Lib. XXI.

4 *Trapezuntius*] *Cretenſis, natus eſt An.* 1396. *obiit An.* 1486. *Eugenii Pontificis temporibus Romam venit, poſtea à Nicolao* V. *Scriba Pontificis factus eſt. Multa è Græcis tranſtulit;* [in his Euſebii libros de Præpar. Evangelica] *nec pauca ipſe Latinè compoſuit. Platoni iniquior fuit, nec laudem ejus ferre potuit Ariſtoteli unicè deditus. Platonis tamen partes Card Beſſarion tuendas ſuſcepit. Ad extremum Trapezuntius* [propterea quod ejus opera Pontifici maximo oblata centum ducatis tantum compenſata fuiſſent,] *literarum prorſus oblitus eſt.* Konig. in Bibl. oth. *Sæpe labitur, & haud fidelem ſe præſtitit in transferendis è Græco auctoribus.* Dallæus, & eron. *Multa in gratiam Aulæ Romanæ corrupit.* Sculter.

5 *Cuſani*] Rom. Eccleſiæ Cardinalis, floruit tempore Nicolai V. Pont. Rom. à quo ad tantam dignitatem eſt evectus An. 1448. Vir magnæ eruditionis, &, quod rarum in illis temporibus, Matheſeos peritiſſimus. *In libro De Pace fidei,* ut de eo teſtatur Fl. Illyricus

Audiit indoctis ſic vir doctiſſimus, auſus
Tempora quod ſupra ſit ſapuiſſe ſua.
(At doctis planè infelix Cornelius ille
Ejus erat ſceleris viſus Agrippa reus:
Inter eas omnes quas vanas cenſuit artes
Agrippa[1], haud magia vanior ulla fuit.)
Inſtaurare bonas artes Beroaldus uterque,
Perottus, civis, Bartole docte, tuus.
Huic, multiſque aliis qui tunc coluere Camænas [27]
Præſul Romanus[2] fortè patronus erat.

Egre-

ricus, *probat nos ſola fide juſtificari, non ex merito, multoque minus per Traditiones humanas, quas vehementer extenuat.*

6 *Fabri*] *Jacobus Faber, celeberrimus noſtri ſeculi Philoſophus, Belgicæ, quin imò totius Galliæ, unum decus. Primus apud Gallos (ut Cicero apud Romanos) Philoſophiam rudem adhuc & impolitam cum eloquentia junxit. Eſt in dicendo ſublimis, in ſententiis gravis, in attentione exquiſitus, in compoſitione diligens ac curioſus.* Trithem. Hunc *literis renaſcentibus facem præluliſſe* ait Thuanus Hiſt. Lib. XVII.

7 *Trithemiique Magi*] Hic Abbas Spanheimenſis floruit An. 1500. *Habuit*, inquit Illyricus, *plurima certamina cum monachis, deſcribitque non rarò luculenter eorum ſcelera. Accuſat ſacerdotes in quadam Epiſtola, quod ſint contemptores ſacrarum literarum. In alia queritur graviter, quod non tam Chriſtus, quam Ariſtoteles in ſuggeſtu prædicetur.* Cat. Teſt. Verit. Lib. XIX. *Homo quidem impenſè eruditus, qui-que inter ſui ſeculi doctrina claros paucos habuit æquales, vix ullum ſuperiorem. Nec vulgares modo trivit ſemitas, ſed & intima reconditioris eruditionis penetralia reſeravit, & forſan curioſe nimis rimatus eſt: unde (ipſo conquerente Lib. II. Epiſt. 42.) vulgo pro Mago habebatur. Nec deerant qui ipſum ſuſcitâſſe mortuos, evocâſſe ab inferis dæmones, prædixiſſe futura, fures latroneſque carminibus ligâſſe clamitarent.* Wharton. in Appendice ad Clariſſ. Cavei Hiſtor. Liter. Nempe vir doctus *De Cryptographia* librum ediderat, quem quidam cum non intelligerent, Magiæ crimen Auctori impactum eſt: At Celſiſſimus Princeps *Auguſtus* Dux Brunſwicenſis (ſub nomine *Guſtavi Silem.*) ipſius vindicias egit.

1 *Quas vanas cenſuit artes Agrippa*] Scripſit ille *De Vanitate artium & ſcientiarum* librum vaniſſimum: unde Tychoni Brah. *Vaniſſimus vanitatum efficior* audit, Lib. I. De Stella nova.

2 *Præſul Romanus*] Nicolaus V. *Laudatur quidem ejus liberalitas, qua in omnes uſus eſt, maximè erga literatos, quos & pecunia, & officiis Curialibus, & beneficiis mirificè juvit. Eos enim præmiis nunc ad lectiones publicas, nunc ad componendum de integro aliquid, nunc ad*

Egregiam ſtudiis operam (mihi nam ſtudiorum
Inſtauratores hic memorare juvat)
Navârunt Blondus [1], doctuſque Sabellicus ille
Qui ſcitè Venetam condidit hiſtoriam.
Sylvius Æneas [2], poterat qui forſan & ipſe
Si nunquam Romam viderat eſſe *pius*.
Clarus Aventinus, cui tantùm patria [3] debet,
Quantùm, Livi ingens, maxima Roma tibi.
Et Volaterranus, Lætus Pomponius, atque
Cælius [4] antiquas qui reſeravit opes.
Pieriuſque ſenex [5], is qui Memphitica ſeclis
Auſu felici ſigna legenda dedit.

vertendos Græcos auctores in Latinum ita pepulit, ut literæ Græcæ, quæ ſexcentis jam anteà annis in ſitu ac tenebris jacuerant, tum demum ſplendorem aliquem adeptæ ſint. Miſit & literatos per omnem Europam, quorum induſtria libri conquirerentur, qui majorum negligentia, & barbarorum rapinis jam perierant. Platin. in vita. Adi Politiani Epiſt. Lib. XII. ep. 119.

1 *Blondus*] *Eugenii* IV. *pluriumque Pontificum Secretarius. Ad honorem ejus non parum pertinet, quòd ſcripta illius in epitomen contrahere dignatus ſit Pius* II. *Pontifex.* Boxhorn. in Monument. Vir. illuſt. Opera ejus recenſet Boiſſardus in Iconibus.

2 *Sylvius Æneas*] Qui demum Pontifex Romanus factus eſt, & dictus Pius II. *Scientia ſanè inſignis, pariutinam & conſcientia.* Morn. Hiſt. Papat. *Interfuit Concilio Baſilienſi, & rem omnem deſcripſit, & decreta ibi facta magnis laudibus extollit. Sed ad ſummum dignitatis gradum evectus, mutata ſententia, Pontifici Concilium debere ſubeſſe voluit. Unde illud: Quod Æneas probavit, Pius damnavit.* Sleidan. Comment. Lib. II.

3 *Patria*] Germania: Aventini hiſtoria à doctis omnibus laudatur; Romanorum Pontificum fraudes & crimina non diſſimulat Auctor.

4 *Cælius*] Rhodiginus dictus, Extant & hujus *Antiquarum Lectionum* libri, quos Antiquitatis ſtudioſi meritò maximi faciunt.

5 *Pieriuſque ſenex*] Joannes Pierius Valerianus: *Ejus inter alia Virgilianæ lectiones, & Hieroglyphica maximè commendantur: quæ virum alioqui Poeticâ præſtantem, in omni politioris literaturæ, antiquitatis & ſcientiarum genere, tota vita verſatum oſtendunt.* Thuan. ad An. 1550.

Pontanus [1] jactat quem fertilis Umbria vatem, [28]
Et veterum cuivis asserit esse parem.
Accius [2], & parvæ decus ingens Vida [3] Cremonæ,
Carne obvelatum qui cecinere Deum.
Et Fracastorius [4], quem jam Verona Catullo
Jungit, & hos jactat se peperisset duos.
Lascaris [5], & Leonicenus [6], doctusque Gyraldus [7],
Descripsit ritus, qui veterumque Deos.

Multum

1 *Pontanus*] *Joannes Jovianus Pontanus, Politiano adhuc politior, quod ex Urania ejusdem, Meteoris, Hesperidum hortis, lyricis, eclogis, Epigrammatis, & præcipuè Hendecasyllabis, liquidum est: in quibus ad nitorem, decusque veterum Poetarum ascendit proximè; haud dubiè tamen seipso in hoc genere futurus superior, nisi alio eum evocassent Aulæ negotia, Alphonsi enim Junioris, Regis Neopol. Præceptor & Magister Epistolarum esse jussus, alia curare necesse habuit.* Borrich. de Poet. Obiit. An. 1505. ætat. 78.

2 *Accius*] *Sannazarius, versus poeta, & optimæ inventionis, lectione dignissimus.* Scaligerana I. *Tanta elegantia atque eruditione, ut cum ipsa antiquitate certare possit.* Barth. ad Nemes. Eclog. IV. Vide Thuan. ad An. 1553. Hist. Lib. XII. Ejus de *Partu Virginis* carmen omnium ore celebratur.

3 *Vida*] Et hujus nunquam satis laudatum opus *Christiados* extat. *Vastus illi animus, atque poeticus, præcipua verò ejus (ut mihi quidem videtur) virtus excellens ac mira quædam in poeticis materiis disponendis illustrandisque elicitas.* Lil. Gyrald. de Poet. Vide Lud. Viv. de Corrupt. Art. Lib. I. & Jul. Cæs. Scal. de re Poet. Lib. VI. Commendatur & ejus carmen *De Bombyce.*

4 *Fracastorius*] *Hieronymus Fracastorius excellens poeta in Syphili.* Scaliger. I. *Syphilis* est Carmen de Morbo Gallico. Fracastorium *præstantissimum post Virgilium poetarum* vocat idem Scaliger. Lib. VI. de re Poetica. Vide Thuan. ad An. 1553. Nec poeta tantum, sed Philosophus & Medicus eximius erat Fracastorius; propterea à Papa missus est Tridentum (circa An. 1545) ut Cardinalibus aliisque ibi congregatis medicus esset.

5 *Lascaris*] *Græcorum fere omnium, qui Othomannicis armis patria pulsi in Italiam confugerunt, nobilissimus atque doctissimus fuit.* Paul. Jovius Elog. doct. vir. E Polybio quædam Latine vertit, de quibus vide Huet. *De claris Interp.* & Is. Casaub. in Præfat. ad Polyb.

6 *Leonicenus*] *Medicus, vir ad æternitatem natus, quem ego ultimum Heroum, & aurei seculi reliquias appellabam.* Eras. Lib. XX. Epist. 54.

7 *Gyraldus*] *Cujus extat Historia dialogis decem perscripta de Poetis antiquis; duobus de sui temporis Poetis. Opus sicut magni ingenii*

&

Multum ab Alexandro[1] fuit illuſtrata vetuſtas, [29]
Quem pulchra urbs quondam Parthenopæa tulit.
Ille *dies* potuit *Geniales* condere, *Græcas*
Qui, Gelli, *noctes* exſuperare *tuas*.
Annius[2] & poterat ſpuria is niſi ſcripta dediſſet,
De veteri hiſtoria promeruiſſe bene:
Dum falſum *Archilochum*, dum falſum obtruderet orbi
Beroſum, multis Annius impoſuit.
Nec fas Agricolam[3] muſæ eſt reticere Rodolphum,
(Diſcipulum agnoſco, Gaza diſerte, tuum;

& judicii, ſic ingentis doctrinæ, atque induſtriæ: ita ut expectandum non ſit, nequis deinceps hanc denuo provinciam ſuſcipiat. Voſſ. de Poet. Lat.

1 *Ab Alexandro*] Juriſconſulto Neapolitano, ſcripſit ille *Genialium dierum* Libros ſex, quos *verè Promptuarium antiquitatis veteriſque hiſtoriæ* vocat Voſſius Lib. III. de Hiſt. Lat. Hos libros doctiſſimis notis illuſtravit Tiraquellus, & ad fontes, unde Auctor pleraque hauſit, digitum intendit.

2 *Annius*] Viterbienſis, Monachus Prædicatorum Ordinis. *Vir Latinè, Græcè, Hebraicè, Chaldaicè & Arabicè eruditus, atque inſuper totius antiquitatis ſtudioſiſſimus, ut de eo tradit Leander in Italia ſua.* Voſſ. de Hiſt. Lat. Lib. III. *Ut doctior videatur, mendacia ſua auctoritate priſcorum Auctorum firmare conatur. Propterea commentus eſt Myrſilos, Xenophantas de Æquivocis, Metaſthenes, & alios neſcio quos, qui aut non fuerunt; aut ea non ſcripſerunt, quæ planus ille eos ſcripſiſſe mentitur.* Scalig. Elench. Orat. Chronol. Parei. Vide Lud. Viv. de Trad. Diſcipl. Lib. V.

3 *Agricolam*] Hic Patria Groninganus erat, & Rector Heidelbergenſis. De quo Lud. Vives: *Vix & in hac noſtra*, inquit, *& patrum memoria fuit unus atque alter dignior, qui multùm legeretur, multùmque in manibus haberetur, quam Rodolphus Agricola Phryſius; tantum eſt in ejus operibus ingenii, artis, judicii, gravitatis, dulcedinis, eloquentiæ, eruditionis: at is pauciſſimis noſcitur; vir non minus qui ut ab omnibus cognoſceretur dignus, quam Politianus, vel Hermolaus Barbarus, quos mea quidem ſententia, & majeſtate, & ſuavitate dictionis non æquat modo, ſed etiam vincit.* Comment. in S. Auguſt. de C. D. Lib. II. cap. 21. *Rodolphus Agricola, primus omnium poſt beata Græciæ Italiæque tempora eximium illum Logicæ facultatis uſum revocavit, ut juventus à poetis & oratoribus diſceret non ſolum purè loqui, & ornatè dicere, ſed de propoſitis rebus acutè cogitare, prudenterque judicare.* Ramus Præfat. de Conjungenda Eloquentia cum Philoſophia. Vide Bembi Epiſt. ad Eraſm. Lib. VI. & Eraſmi Lib. XXI.

Nec me in eo falli credo, ſic ille magiſtri
Doctrinam refert ingeniumque ſui.)
Quin lucem ſtudiis Antonius[1] attulit ille,
Qui extinctæ ingenuæ cum prope ubique forent
Artes, Heſperias fecit florere per urbes;
Et Ferdinando magno in honore fuit.
Ille Nebriſſenſis patriæ de nomine dictus,
Viſus erat patriam nobilitare ſuam.
Hi paulò antè typis inventis ſpargere libros, [30]
Cumque libris lucem ſic potuere viris.
Nam verum luci ſeſe commendat amatæ,
Quo quis doctior eſt, hoc magis ille pius.
Imperat indoctis error, teterrima peſtis
Semper amat tenebras, & latitare cupit.
Poſtea laudanda cura, ingentique labore
Fortè expurgandis incubuere libris
Janus Gruterus[2], Victorius[3] atque Muretus,
Turnebus[4], magni Scaligerique duo[5].

Et

1 *Antonius*] Ælius Antonius Nebriſſenſis, Hiſpanus: *Hic ille eſt, qui bonas literas primus in Hiſpania excitarit. Idem ex Grammatico, & Rhetore Regio, factus eſt Hiſtoriographus Regius. Variæ omnino eruditionis vir erat, eoque illum nomine etiam Eraſmus laudat in Ciceroniano ſuo. Moriens opera ſua caſtiganda teſtamento reliquit Ario Barboſo Luſitano, Politiani diſcipulo, qui primus literas Græcas in Hiſpaniam intulit, ac bonas literas viginti annis Salamanticæ publicè docuit.* Voſſ. de Hiſt. Lat. Lib. III.

2 *Janus Gruterus*] Brabantus, Criticorum ſui ſeculi ſine controverſia princeps; nemini mortalium plus debent Auctores veteres quam huic uni, ut teſtantur eximia ejus monumenta. Hujus laudes celebrant viri maximi Joſ. Scaliger, Lipſius, Caſaubonus, Barthius, Voſſius, Baudius, alii.

3 *Victorius*] Florentinus, *Italorum doctiſſimus, & vir optimus ac fideliſſimus, cui multum debemus.* Scaligerana I. *Princeps ingeniorum ſui temporis, judicio valebat acerrimo,* [bonum & diligentem, ſed parvi judicii fuiſſe aſſerit Scaliger alibi] *ac eruditione magna, qua cum pari conjuncta erat modeſtia. Illi uni plus Cicero debet, quam reliquis omnibus, qui in eo perpoliendo tempus ſtudiumque poſuerunt, quorum pluri-*

Et lumen juris Cujacius [1], & ſimul urbis [31]
Ille Auguſtinus [2] Tarraconenſis honor.

Atque

plurimos ſuperius illud felix ſeculum tulit; Italia præcipuè omnis eruditionis, quæ in illa reſloruit, parens. Horum enim pleriſque cultum quidem refert acceptum, ſed Victorio ſalutem. Jo. Georg. Grævius in Præfat. ad Ciceronis Epiſtolas. Vide Thuan. ad An. 1585.

4 *Turnebus*] Profeſſor Regius linguæ Græcæ in Academia Pariſienſi. *Nunquam ſatis laudatus vir Adrianus Turnebus, Unicum Galliæ noſtræ, atque adeo totius Europæ ornamentum.* Joſ. Scaliger Conject. in Varronem. *Turnebus vir doctiſſimus, cujus Adverſaria opus omnigena eruditione refertum.* Geſner. in Biblioth. At Scaliger *Adverſaria* abortivum fœtum appellare ſolebat; & dicere, potuiſſe illum melius ſcribere: ſe tamen agnoſcere ea genuinum Turnebi partum. Obiit. An. 1553. ætat. 53.

5 *Scaligerique duo*] Pater & Filius ex antiquiſſima *Scaligerorum*, Principum quondam Veronenſium, familia oriundi. Jul. Cæſaris Scaligeri, Joſephi patris, magna extant Elogia à doctiſſimis viris ipſi data. Lipſius dicere ſolebat, *Tres ſunt, quos admirari unicè ſoleo, & qui in hominibus exceſſiſſe mihi humanum faſtigium videntur, Homerus, Hippocrates, Ariſtoteles; ſed addo hunc quartum* [Julium Cæſ. Scaligerum] *qui natus in miraculum & gloriam noſtri ævi.* Extat & hoc teſtimonium in Epiſt. Lipſii Cent. II. epiſt. 44. jul. Cæſ. Scaliger, *Vir ſtupendæ eruditionis, & quo Sol doctiorem vix illuxit alterum.* Meibomii Mæcen. cap. 4. *Vir, quo ſuperiorem antiquitas vix habuit, parem certè hæc ætas non vidit.* Thuan. Hiſt. Tom. I. Lib. 21. *Julius Scaliger, vir incomparabilis, niſi Joſephum genuiſſet.* Mer. Caſaubon. lib. de 4 ling. *Joſephus Scaliger, flos ille illibatus Muſarum.* Iſ. Caſaubon. *Præclarè admodum, ſi quiſquam alius, de literarum ſtudiis meritus.* Voſſ. de Idol. Lib. I. cap. 28. *Senatûs Critici princeps.* Idem Inſtit. Orat. Lib. IV. Hunc mirificè laudat Iſ. Caſaubonus in epiſtola quadam ad Thuanum dat. Lutetiæ III. Kal. Quintil. 1610. Vide Thuani Hiſt. ad an. 1558. *Vir tantus, cujus nomen nunquam mihi occurrit, quin illud venerer.* Herald. Animad. in Salmaſ. Lib. II. cap. 19.

1 *Cujacius*] *Juriſconſultorum Phœnix, doctor meus, multis nominibus de me optimè meritus.* Joſ. Scalig. in Varron. de Re Ruſtica. *Nullus adhuc tam deſertus in tota legum vaſtitate angulus fuerit, quem non ingenii doctrinæque luce perluſtravit.* Ram. Schol. Math. Lib. II. *Quo doctiorem, acutiorem, aut judicii ſincerioris juriſconſultum nulla ætas vidit, nulla opinor videbit.* Caſaub. in notis ad Æl. Lamprid. Vide Thuan. Hiſt. Tom. V. Lib. 99. & Papyr. Maſſon. in vita.

2 *Auguſtinus*] Antonius Auguſtinus, Hiſpanus, *vir juris & omnis Antiquitatis peritiſſimus*, Conring. *Vir ſummus Antonius Auguſtinus.* Scaliger. in Præfat. ad Comment. in Varron. Vide Thuan. ad An. 1586.

Atque vetuſtatis gnarus Briſſonius [1] omnis,
Hei mihi, tam miſerè quem periiſſe dolet!
Lambinus [2] doctus, dignus melioreque fato
Ramus [3] Ariſtoteli qui minùs æquus erat.
Fulvius Urſinus [4], Pauluſque Manutius [5] Aldi
Filius eximius, Fabriciuſque [6] bonus.

Wolfius

1 *Briſſonius*] Juriſconſultus, Senatûs Pariſienſis Præſes: *Dignitate & doctrina eximius, Galliæ imo Europæ magnum lumen.* Lipſ. Elect. Lib. II. cap. 15. *Briſſonius venerabile omni ævo nomen.* Barth. Adverſ. Lib. XV. cap. 18. Opere *De Formulis & Solemnibus populi Romani verbis*, multum laudis & veræ gloriæ acquiſivit. Hic tempore Ligæ, Pariſiis à ſeditioſis quibuſdam ſuſpendio necatus eſt. An. 1591.

2 *Lambinus*] *Humaniorum literarum, & utriuſque linguæ Regius Profeſſor, multiſque editis libris de re literaria bene meritus.* Thuan. ad an. 1572. *Lambinus erat vir bonus & doctus, qui Latinè & Romanè loquebatur, optimèque ſcribebat.* Scaligerana I. Extant ejus Commentarii in Lucretium, Horatium, Plautum, uberes illi & optimi: Hic etiam Ciceronis opera collatis MSS. emendavit, & ſumma fide & cura recenſuit.

3 *Ramus*] *Erroneam in Philoſophicis doctrinam invexit, Ariſtotelem voce & ſcriptis importunè oppugnans. Tamen ex eo commendatione dignus fuit, quod ingenio, diligentia, aſſiduitate, & opibus etiam ſuis (quantum in ipſo fuit,) rem literariam juvit ac promovit; Inſtitutâ Mathematices profeſſione, cui annuum vectigal* D *librarum è facultatibus ſuis attribuit.* Thuan. ad An. 1572. Studuiſſe nimis Novitati in philoſophicis Ramum, negari non poteſt: erat aliàs vir doctus, ut ejus ſcripta teſtantur. Periit Ramus in Laniena Pariſina Anno 1572. Laudavit facinus illud Muretus oratione habita coram Gregorio XIII. P. M. & Cardinalibus. Cæterùm Muretus vir fuit doctus & facundus, in quem nos olim hoc epigramma ſcripſimus:

Hic ille eſt Gallus, ſtupuit quem Roma Muretus,
Qui planè eloquio Tullius alter erat:
Hei mihi, tanta viro nocuit facundia linguæ,
Dum tua laudaret crimina, Roma ferox!

4 *Fulvius Urſinus*] *Patria Romanus, vir Græcè Latinèque doctiſſimus, ac puriorîs antiquitatis Indagator diligentiſſimus.* Thuan. ad An. 1600. *Cujus nomine inter viros Antiquariæ rei ſtudioſos nomen majus, celebriuſque nullum eſt.* Gaſſend. in vita Piereskii Lib. I. *Fulvii Urſini Familiæ, liber divinus: ex quo multa didici. Fulvius Urſinus ſimia mea.* Scaligerana poſterior.

5 *Pauluſque Manutius*] *Alter Cicero in Latinè ſcribendo, Romanam Linguam collabentem in priſtinum nitorem ſtuduit revocare, dum Latine-*

Wolfius [1], & Xylander [2] inops, dedit hic, dedit il-
Græcis Romano pluribus ore loqui. (le [32]
Et Camerarius [3], & Sylburgius [4], Hæſcheliuſque [5]
(Græcia Germanis vix tulit hiſce pares.)

Lipſius

Latinorum monumenta diligenter ſcrutatus eſt. Angel. Rocha. in Append. ad Biblioth. Vatican. Extant inter alia opera ejus, Epiſtolarum eleganter conſcriptarum Libri XII. Vide Thuan. ad An. 1574.

6 *Fabriciuſque*] *Germaniæ lumen & ornamentum Georgius Fabricius.* Joan. Kirchman. Lib. III. De Funerib. Rom. cap. 15. *Rem literariam non mediocriter & ſcriptis & viva voce juvit & illuſtravit.* Thuan. Hiſt. Tom. II. Lib. 50. ad An. 1571. *Vir politiſſimi ingenii.* Tan. Fab. Epiſt. Lib. II. ep. 52.

1 *Wolfius*] *Qui vertendis libris Græcis, & illuſtrandæ hiſtoriæ Bizantinæ tam egregiam operam navavit.* Thuan. Comment. De vita ſua Lib. II. *Exacta linguæ Græcæ cognitione clarus.* Idem ad An. 1580. Vide doctiſſ. Huet. de claris Interpret.

2 *Xylander*] *Auguſtanus, utriuſque linguæ apprimè peritus, & omnis antiquitatis ac literaturæ cum paucis hujus ævi comparandus, dum vixit cum ſua ætate luctatus, atque ob id fami non famæ ſcribere exiſtimatus.* Thuan. Hiſt. Tom. III. Lib. VI. *Xylander Auguſtanus doctus erat, & bene legebat: ſed quoties erat ebrius!* Scaligerana II. Vide Scalig. Epiſt. 247. ad Claud. Salmaſ. Hic Heidelbergæ Græcas literas profeſſus, Plutarchi libros, Cedreni Hiſtoriam, Strabonis Geographiam, Diophanti Arithmetica Latinitate donavit, aliaque eximia ingenii ſui monumenta edidit.

3 *Camerarius*] *Non ſuæ tantùm Germaniæ, ſed etiam totius Europæ decus & ornamentum Joachimus Camerarius.* Turneb. Adverſ. Lib. IV. cap. 1. *Ego oro Deum, ut excitet Camerarios in veſtra Germania, in noſtra Gallia Scaligeros.* Iſ. Caſaubon. in Epiſt. ad Georg. Remum. *Joachimus plus habere videtur curæ, quam naturæ.* Eraſm. Epiſt. Lib. XXVI. ep. 45. *Camerarius eſt vir bonus, & authores bene interpretatur.* Scaligerana I. Vide Huet. de Claris Interpretibus, & Thuanum ad An. 1574.

4 *Sylburgius*] *Erat in Græca literatura inſigniter verſatus. Græcos ſcriptores complures emendavit, & quam caſtigatiſſimè edidit, Herodotum puta, Clementem Alexandrinum, Dionem Caſſium, Juſtinum Martyrem, Theodoretum &c. Etymologicum Græcum magnum à mendis repurgavit, & perpetuis notis illuſtravit. Henricum Stephanum in concinnando Græcæ linguæ Theſauro egregiè adjuvit. Ob hanc operam, & alia merita à Marpurgenſi Academia annuum ei ſtipendium, de Principum Haſſiæ ſententia, conſtitutum eſt.* Konig. in Biblioth.

5 *Hæſcheliuſque*] *Germanus, Bibliothecarius Auguſtanus, celebris Philologus, natus eſt An. 1556. Obiit An. 1617. Edidit Siracidem cum notis, complures Græcos Auctores (Procopium, Photium &c.) in lucem protraxit, adeoque de re literaria optimè meruit.* Idem ibid.

Lipſius [1] inconſtans in relligione, ſed ille eſt [33]
Viſus de ſtudiis promeruiſſe bene.
Voſſius [2], Heinſius [3], & Canterus [4], Douſaque uterque [5],
Et pater & natus, Delrio [6], Wowerius [7].
Meurſius,

1 *Lipſius inconſtans*] Hic cum per totam fere vitam Religionem Reformatam amplexus fuiſſet, in ſenectute demum ad Pontificios tranſiens ſcripſit librum *De Una Religione*; & eo uſque inſanivit, ut ridiculam *De Virgine Hallenſi* fabulam recoctam daret. De eo tamen dicam, quod Baudius in epiſtola quadam dixit: *Vir, frementibus invidis, optimè de re literaria meritus* fuit. Idem alibi; *Audiſti, opinor, V. C. Juſtum Lipſium è vivis exceſſiſſe: multum detrimenti cepit res literaria, & magnum ſeculi jubar extinctum eſt. Integriore tamen fama deceſſiſſet, ſi nunquam rem habuiſſet cum divis illis ſuis Virginibus.* Epiſt. Cent. II. ep. 59. (Vide Thompſonum in *Vindice Veritatis* adverſus Juſtum Lipſium.) Summa illi cum Joſ. Scaligero, Hugone Grotio, Dominico Baudio, Dan. Heinſio aliiſque viris doctis quamplurimis amicitia interceſſit. Stylus ejus eſt ipſi peculiaris; brevis, conciſus, obſcurus, & ſæpe vix bene Latinus: de quo vide Hen. Stephanum in libro quem *De Lipſii Latinitate* ſcripſit, & Ianum Nicium Erythræum in Pinacotheca. Sunt qui Plagii criminis reum agunt.

2 *Voſſius*] *Vir clariſſimus Joannes Voſſius, quo nemo rem Grammaticam accuratiùs excuſſit, & explicuit.* Gatak. de Nov. Teſt. Stylo Diſſert. cap. 23. Vide Salmaſ. Lib. I. Epiſt. 74. & Grot. Epiſt. 38. ad Aub. Maurerium. *Ejus liber de Hiſtoricis Græcis* (imo & Latinis) *opus miræ eruditionis, ex cujus lectione nos profeciſſe non parùm ingenuè profitemur.* Bochart. in Geograph. ſacra.

3 *Heinſius*] *Eſt ingenium extra aleam, præſertim in ea ætate.* Joſ. Scal. in Epiſt. 91. *Tam ſeveriorum, quam amœniorum literarum Sol.* Selden. Præfat. ad Lib. de Diis Syr. *Cum verſus Græcos tuos lego, Homerum, non Heinſium, puto me legere: cum Latinos, Ovidium aut Propertium.* Caſaubon. Epiſt. 318.

4 *Canterus*] *Græcè doctiſſimus fuit, quemadmodum è tranſlationibus, quas adornavit, manifeſtum. Ælii Ariſtidis enim orationes elegantiſſimè tranſtulit: Stobæi quoque duos Eclogarum libros, quorum prior res Phyſicas, poſterior Ethicas complectitur, Latina civitate donavit,* Kinig. in Biblioth. *Siquis abſolutum ſpecimen deſideret hominis ſtudioſi, & ejus qui literis promovendis totus ſe conſecravit, in Gulielmo Cantero ad amuſſim expreſſum reperiat.* Suffrid. Pet. de Scriptor. Friſ. Morte immatura præreptus, anno ætatis 33. obiit Lovanii 1575.

5 *Douſaque uterque*] Pater & Filius: De Patre ſic ſcribit Clariſſ. Thuanus: *Janus Douza Nordovicus, nobiliſſima Bataviæ familia ortus, qui Muſis cum Marte optime convenire ſuo exemplo docuit. Poetica præcipuè delectabatur, in qua ingenium varii generis Carminibus editis exercuit: etiam Patriæ Annales ſcripſit, multiplici lectione, & admirabili memoria promeritus ut Bataviæ Varro, & Academiæ commu-*

ni

Meurſius [1], & toto notus Vulcanius [2] orbe, [34]
(Hic bene Callimachi carmina verſa dedit.)
Taubmannus [3], Ritterſhuſius [4], veterumque Pithæus [5]
Scriptorum vindex, Barthius [6], Holſtenius [7].
Farna-

ne *Oraculum vocaretur.* Ad An. 1604. De Filio vero: *Janus Douza filius, juvenis admirabili ingenio, excellenti doctrina cum rara morum ſuavitate conjuncta præditus, cum ex peregrinatione longinqua rediiſſet, quaſi in portu naufragium fecit, anno ætatis* XXVI *ereptus.* Idem ad Ann. 1596. Vide Grot. Hiſt. Lib. V. & Is. Caſaub. Epiſt. 15.

6 *Delrio*] *Multijugæ lectionis vir.* Voſſ. de Idololat. Lib. III. cap. 44. *Inter ingenii monumenta, quæ cùm ad Theologiam, tum ad Juriſprudentiam literaſque humaniores illuſtrandas varia poſteris reliquit, maximè laudantur terenturque manibus Diſquiſitiones Magicæ; novum ſcilicet, atque, ut Lipſius appellat, doctum opus.* Aub. Miræus. In his diſquiſitionibus Conjurationis Papaſticæ contra Jacobum I. Britanniæ Regem manifeſta indicia extant, quamvis in lucem prodirent Diſquiſitiones illæ biennio antequam Conjuratio patefacta ſit. *Lutum & ſtercus generis humani Martinus Delrio: Quo invidentiorem, maledicentiorem, arroganſiorem bipedem hodie neminem credo vivere.* Joſ. Scaliger in Epiſt. 133. 134.

7 *Wowerius*] Concellarius Ducis Holſatiæ: *Homo ſui oſtentator magnificus: dempto certè hoc vitio, multa habet ingenii naturæque dona, quibus ſupra vulgus ſapit, & illuſtrium virorum amicitiam mereiur.* Baudius Epiſt. Cent. I. ep. 69. Extat ejus Polymathia; item De Umbra Syntagma, Et de Bibliorum interpretatione.

1 *Meurſius*] *Vir multis nominibus præclarè meritus de Literis Græcis.* Voſſ. de Scient. Mathemat. cap. 22. ſect. 4. *Quo vix alius literas minori tractabat ambitione.* Idem de Vitiis Sermon. Lib. II. cap. 1. Hic octodecim annorum juvenis Commentarios, (ipſi Joſepho Scaligero laudatos,) in Lycophronem, poetam obſcuriſſimum, edidit, Anno 1597.

2 *Vulcanius*] Joannis Ger. Voſſii Præceptor. *Indignus ſit quem Muſæ ament, qui Vulcanium Ἑλικωνιάδων Μουσῶν τὰ παιδικὰ non amet: Ego facio, & ex animo quidem.* Is. Caſaub. Epiſt. 249. Vide Sciop. De Art. Crit. Lipſ. Cent. I. Miſcell. Epiſt. 65. & Huet. de Clar. Interpret.

3 *Taubmannus*] *De iſto autem tuo opere* [Plautino] *nihil aliud dicam, quàm, in eo ubique & judicii & ingenii & induſtriæ tuæ manifeſta extare veſtigia: ut, cum in illud omnium ſuperiorum interpretum labores contribueris, plus præſtiteris, quam ipſi: quod ii quiſque pro parte ſua Plautum ſibi devinxerunt, tu ex omnium illorum lucubrationibus totum tuum feciſti* Joſ. Scaliger in Epiſt. 465. Nec in Plautum modo ſed in Virgilium optimos commentarios edidit. *Taubmannus omnium Interpretum optimus.* Tan. Faber Epiſt. Lib. II. ep. 16.

Ritterſ-

Farnabius[1], Gataker[2], doctuſque Rigaltius[3], omnes [35]
Grammatici inſignes, eximii Critici.
Atque alii, quorum vel nomina ſola libellum
Implerent, & quos docta caterva colit,
Hi (neque enim eſt animus quos fortè recentior ætas
Protulit eximios hic memorare viros,)
Non modò purgarunt mendis monumenta virorum,
Sed ſimul hæc doctis explicuere notis.

Dumque

4 *Ritterſhuſius*] *Gruterus gemmam omnium doctorum atque bonorum inæſtimabilem, eum appellavit.* Barth. Adverſ. Lib. XXIX. cap. 3. *Utinam, mi Ritterſhuſi, interiora animi noſſes! ſcires quam ſoleat mihi eſſe gratum quicquid à te fuerit profectum. Salvianum verò qui pluris faciat, quam ipſe facio, non facilè invenias.* Iſ. Caſaub. Epiſt. 605. Commentarios in Salvianum *De Providentia* ediderat Ritterſhuſius doctiſſimos.

5 *Pithœus*] *Immortale illud Galliæ decus, quo viro digniorem omni laude alium ne hiſtoriæ quidem continent.* Caſaub. not. in Capitolinum. *Vir ſummâ probitate & eruditione.* Scalig. de Emend. Temp. Lib. VI. *In jure Civili Romanorum ad illud faſtigium pervenerat, ut de eo celeberrimoque ejus præceptore Jac. Cujacio dici jure potuerit, Hunc diſcipulo præripuiſſe ne primus Juriſconſultus eſſet, illum præceptori ne ſolus.* Thuan. Hiſt. Tom. V. Lib. 117. ad An. 1596.

6 *Barthius*] *Nobilis Saxo, natus eſt Anno* 1587. *obiit* 1658. *Concinnavit admirandum opus Adverſariorum: Commentaria in Claudianum, Statium Papinium, Guilhelmum Britonem, Mamertum, & alios. Pietatem ejus ſatis oſtendit elegantiſſimum opus Soliloquiorum. Aiunt ipſum* CXX *Adverſariorum libros reliquiſſe, prioribus multò meliores.* Konig. in Biblioth.

7 *Holſtenius*] *Hamburgenſis. Vaticanæ Bibliothecæ Præfectus, obiit An. D.* 1661. *ætatis* 65. *Multos ſcriptores nondum editos in lucem protraxit. Porphyrii ſcripta* Περὶ Ἀποχῆς *nitidiſſimè edi curavit.* Blount. in Cenſ. celeb. Auctor. *Eruditorum ocellus* audit Gaſſendo in vita Peireskii.

1 *Farnabius*] Grammaticus inſignis, cujus extant in Auctores (quos vocant) Claſſicos pœne omnes notæ breves, ſed pereruditæ.

2 *Gataker*] Vir pius Hebraicè, Græcè & Latinè doctus. Extant ejus opera omnia uno prægrandi Volumine nuper excuſa. Commentarius ejus in M. Anton. Imperatoris libros εἰς ἑαυτὸν eſt verè aureus.

3 *Rigaltius*] *Pariſienſis, Juriſconſultus, Regi à Conſiliis, & Bibliothecæ Regiæ Præfectus. Senex obiit an. D.* 1652. Blount. in Cenſura illuſt. Auct. *Vir ille præſtans eruditionis & ingenii.* Barth. Adverſ. Lib. XII. cap. 3. Ejus obſervationes in Tertullianum & Cyprianum doctis omnibus probantur.

Dumque hi de Græcis auctoribus atque Latinis, [36]
De lingua ſancta promeruere bene
Montanus [1], Maſius [2], Buxtorfius [3], atque Capellus [4],
Druſius [5], (Oxoniæ quem docuiſſe ferunt,)

Bochar-

1 *Montanus*] Hiſpanus, decem Linguarum peritia inſignis. *Benedictus Arias Montanus linguæ ſanctæ apprimè peritus, ac ſummè pius, Bibliis Complutenſibus elegantiore forma recudendis à Philippo* II. *deſtinatus, egregiam admodùm operam in eorum editione cum Fabritiis Bodianis Fratribus Falezianis Antwerpiæ navavit; unde ſibi æmulos tanto odio accendit, & in iis Leonem Caſtrenſem, qui de ſeptuaginta Interpretibus Commentarium ſcripſit, ut ad cauſam dicendam citatus Romam, vix venia impetrata pro tantorum laborum præmio ſeceſſum in Batica, in quo ſe bona conſcientia fretus ſacrorum librorum lectione ac lucubratione ſolaretur, acceperit.* Thuan. ad Ann. 1598. Suſpectus eſt à Romanis Reformatæ Religioni nimium faviſſe.

2 *Maſius*] *Vir ſincero, candido, & aperto ingenio: Adhæc rara & recondita doctrina præditus, & qui ad Hebraicæ, & Chaldaicæ, ac cæterarum Orientalium linguarum cognitionem, ſummam animi pietatem, & exactum rerum ſacrarum ſtudium attulerat, variaque in eo genere commentatus fuerat; plura etiam daturus ſi viro bono per valetudinem ferè ſemper adverſam licuiſſet. Specimen eorum præbent doctiſſimi, & accurata diligentia ſcripti in Joſuam Commentarii.* Thuan. ad Ann. 1573. *Andreas Maſius doctus fuit, & bene ſcripſit in Joſuam.* Scaligerana II. Hic à Philippo II. in edendis Bibliis Regiis B. Ar. Montano junctus eſt. Vide Aub. Miræum in Elogiis Belgic.

3 *Buxtorfius*] Hunc *doctiſſimum amicum ſuum, Linguæ Hebraicæ, & omnium Judaicarum inſtitutionum peritiſſimum* vocat Is. Caſaubonus in Exercitat. ad Baron. Ann. XXXIV. num. 127. Hunc laudat etiam Scaliger, & ſcripta ab illo in primis *Synagogam Judaicam.* Extat ejus Lexicon Chaldaicum, Talmudicum, Rabbinicum, Opus triginta annorum, vereque admirandum.

4 *Capellus*] Ludovicus Capellus: *Vir ſummus, meus olim magiſter.* Bochart. Geogr. Sacræ Lib. II. cap. 8. *In quo* [de Criticæ ſacræ libro loquitur] *neſcio magiſne indefeſſam ſedulitatem mirari debeam, an uberrimam eruditionem, an judicium limatiſſimum, quæ tres laudes in hoc opere ita inter ſe certant, ut in ambiguo maneat cui de tribus prima palma debeatur.* Grot. Epiſt. ad Gallos.

5 *Druſius*] *Magnus ille Druſius, vir nulli in literatura Hebraica ſecundus.* Jac. Cruc. Lib. I. Epiſt. ep. 1. *Crede mihi ſine fuco & fallaciis affirmanti, is tu mihi es, Druſi doctiſſime, cujus judicio probari noſtras Scriptiunculas, imo verò ipſum me ſeriò gaudeam.* Is. Caſaubon. Epiſt. 71. Laudatur à Th. Beza in Præfat. ad Nov. Teſtam.

Bochartus[1] multùm cui debet tota vetuſtas,
Morinus[2] linguæ gloria & ipſe ſacræ.
Et gentis noſtræ duo lumina Liveliuſque[3];
Broughtonuſque[4] nimis captus amore ſui.
Et nunc Scripturæ, quæ invitæ hucuſque latebant, [37]
(Quas Roma æternùm delituiſſe velit,)
Eduntur cunctis; has quiſque legitque teritque,
Atque hoſti ex illis arma timenda capit.
Nunc ſancta addiſci cœpta eſt quoque lingua Sionis,
Quilibet Hebræo nunc amat ore loqui.
Non Philadelphiacis[5], ſed nec contenta Latinis,
Nunc bibere ex ipſo fonte[6] juventa cupit:
Hebræo-

1 *Bochartus*] *Vir eruditionis cumulatiſſimæ Samuel Bochartus.* Pet. Gaſſend. in Epiſt. ad M. Neuræum. *Illud ſeculi noſtri miraculum, cujus ſi quis ſit, qui nomen ignoret, aut ſtupendam cum ſumma modeſtia conjunctam eruditionem non ſuſpiciat, næ illum penitus ἄνοσον eſſe oportet.* Joan. Lud. Fabrit. in Orat. inaugural. de Anim. immortalit. Ejus *Geographiam Sacram* laudant doctiſſimi viri Ouzelius, Pocockius, Tan. Faber. aliique quamplurimi. *Hominum quotquot vivunt doctiſſimus Bochartus.* Iſ. Voſſius in Obſervat. ad Melam.

2 *Morinus*] *Vir impenſe doctus Joannes Morinus è Congregatione Oratorii.* Gaſſend. in vita Peiresk. *Vir doctiſſimus, cui multum ob labores in Samaritano Pentateucho docti omnes debent.* Walton. in Diſſert. de Lin. Oriental.

3 *Liveliuſque*] Profeſſor Linguæ Hebrææ apud Cantabrigienſes. *Vir doctiſſimus Edovardus Liveleius.* Uſſer. in Chronol. *Cui inerat cum ſumma doctrina ſumma modeſtia.* Montacut. Antidiat. ad Exercit. III. Vide Gatakeri Cinnum cap. 9. & Iſ. Caſaubon. Exercit. XVI. Annal. Baron. Ann. XXXIV. num. 34.

4 *Broughtonuſque*] Vir Linguæ Græcæ peritiſſimus, Hebraicæ verò cognitione nulli ſui ſeculi ſecundus; utilior Reipublicæ literariæ futurus ſi eruditioni par ipſi judicium fuiſſet: nec nimis magnificè de ſe ſenſiſſet. Ejus Concentus Sacræ Scripturæ laudatur.

5 *Non Philadelphiacis.*] Ὁ δὴ τοιοῦτος (de Ptolemæo Philadelpho loquitur) ζῆλον καὶ πόθον λαβὼν τῆς νομοθεσίας ἡμῶν, εἰς Ἑλλάδα γλῶτταν τὴν Χαλδαϊκὴν μεθαρμόζεσθαι διενοεῖτο. Philo in vita Moſis. Linguam Hebraicam more ſuo hic Chaldaicam vocat. Vide Notas ad Lib. I. num. [43].

6 *Ex ipſo fonte*] *Textus Biblicus unus Hebraiſmi puri & antiqui theſaurus nobis ſupereſt.* Doctiſſ. Pocockius notis in Portam Moſis, cap. 3.

Hebræorum ſcrutanturque volumina ſacra, [38]
Non abſque hæreſios[1] ſuſpicione gravi,
Scilicet à monachis, quibus illo tempore voces
Sciviſſe Hebræas hæreſis atra fuit.
(Interea his monachis ignavis ſacrilegiſque
Cultus Ariſtoteles[2] numinis inſtar erat:
Haud ipſis intellectus qui fortè lacunis
Ex Arabum legerent facta Latina malè.
Sæpius in rebus divinis[3] arbiter ille, [39]
Proh pudor! & litis ſæpe diremptor erat.)

O Nunc

1 *Non abſque hæreſios ſuſpicione*] *Fatetur*, inquit doctiſſ. Prideauxius, Epiſcopus olim Wigornienſis, *non ſine ſtomacho Claudius Eſſencæus in Auctoribus Latinis inter iſtas ſordes Græcè nôſſe fuiſſe ſuſpectum, Hebraicè prope hæreticum.* Lect. XII. De punctorum Origine pag. 185. Vide Clariſſ. Caveum in Hiſt. Liter. in voce *Capnio.*

2 *Cultus Ariſtoteles*] Balæus Cent. XIV. pag. 220. ad Jon. Majorem tradit: *Colonienſes Theologos annumeraſſe Divis Ariſtotelem, & librum etiam typis evulgaſſe, cui titulum fecerint,* De Salute Ariſtotelis. *Alium etiam librum eoſdem conſcripſiſſe,* De vita & morte Ariſtotelis, *in cujus calce concludunt, Ariſtotelem ſic fuiſſe Chriſti præcurſorem in naturalibus, quemadmodum fuit Joannes Baptiſta in gratuitis.* Longè aliter feciſſe Theologos Pariſienſes docet Clariſſ. Seldenus Lib. V. De jure nat. & gentium ex MScripto opere Rogeri Baconi, cujus verba ſunt hæc: *Theologi*, inquit, *Pariſiis, & Epiſcopus, & omnes Sapientes jam ab annis circiter quadraginta damnaverunt, & excommunicaverunt libros Naturales & Metaphyſica Ariſtotelis, qui nunc ab omnibus recipiuntur.* Fuit ille Baconus D. Thomæ æqualis, Obiitque Ann. 1284. ætatis 78. ut mirum ſit id factum fuiſſe à Pariſienſibus iis ipſis temporibus quibus Ariſtoteles tantum non Deus habitus fuerit, & in Scholis etiam Theologicis plane regnaret. De Bacono vide plura in notis ad Lib. VI. num. [7].

3 *Sæpius in rebus divinis*] Qui Scholaſticorum, in primiſque Thomæ Aquinatis, ſcripta leget, hoc verum eſſe videbit. *Profectò Ariſtoteles ipſe*, inquit Ludov. Vives, *ſi nunc viveret, etiamſi fuiſſet inſolentiſſimus, cujuſmodi non fuit, (nam multa modeſtiæ ejus ſigna impreſſa ſunt in illius libris,) ſed ſi arrogantiſſimus fuiſſet, iſtorum tamen ſtultitiam irrideret ac caſtigaret.* De corrupt. art. Lib. V.

Nunc Bonaventura[1] & Scotus[2], nunc barbara turba
Desinit in noſtris imperitare ſcholis. (rent [40]
Sordet Averroes[3], monachiſque (ut prorſus habe-
Lactucas ſimiles turpia labra,) datur.
Hiſque Avicenna[4] datur, qui auctores temnere viſi
Græcia quos olim, quos Latiumque tulit.

Lombar-

1 *Bonaventura*] *Natione Thuſcus, vir magni ingenii, & diſciplinarum capacis, multa ſcripſit quæ extant, & infelicitatem ſeculi ſapiunt: ita tamen, ut nonnulla in eis occurrant, Pontificiis traditionibus recentioribus non convenientia.* Fl. Illyr. Cat. Teſt. Ver. Lib. XVI. Vide Sixt. Senenſ. Lib. IV. Erat ſuperſtitioſus, & cultui B. Virginis addictiſſimus, ut Pſalterium, (in quo ea quæ Deo ſoli competunt, B. Virgini adſcribuntur,) ab ipſo compoſitum, docet.

2 *Scotus*] *Joannes Duns Scotus, Ordinis Minorum, vir fuit acutiſſimo ingenio præditus.* Bellarmin. de Script. Eccleſ. Hunc *Limam veritatis* appellat Jul. Cæſ. Scaliger, Exercir. 324. *Titulum ſubtilis Doctoris, ob doctrinam, parque ubique acumen, meruit.* Cardan. de Subtilitat. *Portentoſus Artifex, ac litigiorum Patriarcha, impoſturarum Labyrinthos ingenio Dædalino excogitavit, contendendi formulas novas verbis intricatis ſubtiliter adinvenit, & monſtrifica conflictationum vocabula formavit, de Suppoſitionibus, Obligatoriis, Inſolubilibus, Hæceitatibus, Formalitatibus, Modis intrinſecis, atque aliis Sophiſtarum Chimæris, ut Chriſtus in contentione prædicaretur, ac innumeris ſuperſtitionibus in Eccleſia veſtiretur.* Balæus de Script. Britan. Tranſſubſtantiationis dogma tamen nec in S. Scripturis, nec Patribus inveniri, nec Rationi conſonum eſſe docuit, ut ſuprà oſtendimus notis ad Lib. IV. num. [47].

3 *Averroes*] Medicus Arabs, Commentator dictus: Hujus ineptias & imperitiam demonſtrat Lud. Vives Libro De Corrupt. Art. V. addita hac ad ipſum Apoſtrophe: *Te nihil eſt horridius, incultius, obſcœnius, inſantius.* Et mox: *Te nihil eſt ſceleratius, aut irreligioſius: impius fiat neceſſe eſt, & Atheos, quiſquis tuis monumentis vehementer ſit deditus.* Ludovico ſuffragatur Mornæus: *Ariſtoteles*, inquit, *vulgo habetur parùm religioſus: Averroes vero ejus interpres, impius planè.* Et mox: *Notum cuique ut Averroes tum æternitatem mundi, tum intellectus unitatem urgeat, quæ tamen cum pietate cohærere nullo pacto poſſunt.* De Veritat. Relig. cap. 20.

4 *Avicenna*] Et hic Arabs fuit, & Medicinæ peritia inſignis. Floruit circa An. Dom. 1050. *Abenrois doctrina, & Metaphyſica Avicennæ, omnia denique illa Arabica mihi videntur reſipere deliramenta Alcorani, & blaſphemas Mahometis inſanias: nihil fieri poteſt illis indoctius, inſultius, frigidius.* Lud. Viv. De Corrupt. Art. Lib. V. *De religione ſuſpectus eſt, quod de rebus ad alteram vitam ſpectantibus philoſophicè argutandi, eaſque aliter ac ſonant verba interpretandi audaciam*

Lombardum[1], Patrum qui dogmata tradere tentat, [41]
Quiſque videt mentem non tenuiſſe Patrum:
Nec tenuere quidem quotquot voluere Magiſtri
Abſtruſos ſenſus explicuiſſe boni.
Non magni Alberti[2] nunc ſcripta leguntur ab illis
Difficiles nugæ queis placuere minùs. (tè; [42]
Sed neve Angelicus[3] nunc regnat Doctor, ut an-
Vir dignus ſeclo qui meliore fuit.
Romæ Pontificum decreta nec ipſa per orbem
Nunc vim ducuntur legis habere ſacræ:
Sed veteres apud omnes reſtituuntur honori,
Illi quem ſcriptis promeruere ſuis;

ciam ſibi ſumpſerit. Ita, ſi bene memini, à docto apud illos quodam cui ejus iſtis de rebus ſententiæ mentionem injeci, reſponſum accepi. Pocock. Notis Miſcel. ad Portam Moſis cap. 7.

1 *Lombardum*] *Pariſienſis Epiſcopus, quem omnes Theologorum ſchola ſingulari quadam venerationis excellentia Magiſtrum Sententiarum appellant, & in cujus Theologiæ compendium innumerabilia diſputationum volumina eruditiſſimi clariſſimarum toto Chriſtiano orbe Academiarum Theologi elaborárunt.* Sixt. Senenſ. Biblioth. Lib. IV. *Quamvis in libro Sententiarum Papatum confirmet pro virili, multa tamen excidérunt, quæ Pontificios errores oppugnant.* Illyr. Cat. Teſt. Verit. *Lombardus Sacroſanctæ Philoſophiæ veritatem, fontemque puriſſimum (ſicut plus millies à Jacobo Fabro, & Jodoco Clitoveo Præceptoribus meis accepi, atque audivi) cæno Quæſtionum, rivulis opinionum conturbavit.* Aventin. Annal. Lib. VI. De Lombardo idem tradit Trithemius.

2 *Non Magni Alberti*] Fuit hic Epiſcopus Ratisbonenſis, & Thomæ Aquinatis Magiſter. *Vir eruditionis admirandæ* audit Sixto Senenſi in Biblioth. Lib. IV. *Varro Germanus, Naturæ ſecundum Ariſtotelem veriſſimus interpres,* Aventino Annal. Lib. VII. Floruit An. 1252. *In dicendo Gothicum ſapit & barbarum: Homo Græcæ doctrinæ ignarus.* Rhodigin. in libris Lection. Antiq.

3 *Sed neve Angelicus*] Eo nomine inſignitur D. Thomas Aquinas; De quo Eraſmus: *Thomas Aquinas vir non ſuo tantum ſeculo magnus: Nam meo quidem animo nullus eſt recentium Theologorum cui par ſit diligentia, cui ſanius ingenium, cui ſolidior eruditio; planèque dignus erat, cui linguarum quoque peritia, reliquaque bonarum literarum ſuppellex contingeret, qui iis quæ per eam tempeſtatem dabantur, tam dextrè ſit uſus.* Comment. in Epiſt. ad Rom. cap. 1. *Scriptor de Schola omnium ſaniſſimus, ac minimè ineptus.* Lud. Viv. de Trad. Diſcipl. Lib. V. In eo culpandus eſt Thomas quod dogmata Theologica auctoritate Ariſtotelis ſæpius confirmare ſtudeat.

Qui non doctrina venerandi canitieque
Sunt magis, eximia quam pietate ſua.
Hac luce exorta diræ fugere tenebræ,
Collapſum, Roma, eſt imperiumque tuum:
Detectæ fraudes, Non-ſcriptas Traditiones,
Nec factas ſanctis tunc liquidò patuit.
Quis dicet Paulum potuiſſe ea tradere voce,
Quæ pugnant his quæ ſcripſerat ipſe prius?
Num patres facient tam ſtultos, ridiculoſque,
Ut quibus haud ſcriptis conſona lingua foret?
Vera loqui fas ſit: *Mendacia tanta refelli*
Abſque hoc invento vix potuiſſe putem.
Sic licuit Patribus pro ſemet dicere, quamvis
Corruptum hos ipſos Papa ſceleſtus eat.
Cur non ſcripta Patrum corrumpat, cum ſibi ſacras
Jus etiam in leges vendicet ipſe Dei?
Qui legem ex Tabulis [1] fuit auſus tollere ſanctam, [43]
Nempe quia hæc vetuit lex ſimulachra coli:
Dicere nec veritus, ſibi jus reſcindere leges [2],
Si viſum fuerit, quas tulit ipſe Deus.
A ſe, Concilioque ſuo quia pendeat omnis
Ille ſacris libris qui tribuendus honor.
Denique qui jactat (tanta huic audacia linguæ eſt) [44]
Se fidei articulos [3] *cudere poſſe novos.*
Hæc dum Romanus Præſul facit, ille ſuperbus
Non par, ſed major nunc cupit eſſe Deo.

Con-

1 *Qui legem ex Tabulis*] Mandatum ſecundum in pleriſque Catechiſmis Pontificiorum omittitur; nempe in Catechiſmo Vauxi & Ledeſmæ (Societatis Ieſu Presbyteri) permiſſu Superiorum edito Anno 1609. 1624. & in Officio B. Mariæ Pii V. Pontif. juſſu edito Antwerpiæ An. 1590.

2 *Reſcindere leges*] Hoc eſt, *Diſpenſare cum Evangelio*, ut Canoniſtæ loquuntur.

3 *Se fidei articulos*] Leo X. Pont. Rom. in Bulla quadam damnavit Lutherum, quod docuerit, *Id conſtare, non eſſe in poteſtate Eccleſiæ vel Papæ novos Articulos fidei conſtituere.*

Conſultum Romæ eſt (ut fertur,) ſcriptane Pauli [45]
Omnia cenſuræ ſubjicienda forent:
Certè non ſapiunt Romæ ſcripta hæc, quia nempe
Nos meritis noſtris vivere poſſe negent:
Atque fide ſola nos coram Numine haberi
Juſtos, ablutos ſanguine, Chriſte, tuo.
Teſtamentum hominis ſi quis violaverit, ille
Creditur immanis criminis eſſe reus:
Nonne voluntatem Chriſti temerare ſupremam,
Et leges ejus temnere, crimen erit?
Si defunctorum quiſquam violare ſepulchra [1], [46]
Et ſanctos requie diſpoliare ſua
Audeat, infandum ſcelus eſt, & morte piandum:
Quanto majus erit deteriuſque ſcelus
Sanctorum ſævo violareque vulnere famam,
Et ſpoliare omni debito honore ſuo?
At nunc Romanus ſanctorum ſcripta virorum
Dum lacerat, truncat, pro libituque ſuo
Improbitati ejus quæ ſunt contraria ſummæ
Ex illis radit, num meliora facit?
Quid prodeſt Patres teſtes adducere, factos
Non niſi quæ Romæ ſint placitura, loqui?

1 *Violare ſepulchra*] *Sepulchrorum*, inquit Lud. Vives, *Vetuſtiſſima fuit religio, ne quis violaret, dejiceret, frangeret: quæ Lex non modo in* XII *fuit, & in Solonianis, ſed etiam in antiquiſſimis Numæ, ac Latinorum Græcorumque, quæ non tam ad jus civile profanum, quam ad ſacra religioneſque pertinere videbatur, quæ ſepulchra velut templa quædam eſſe deorum manium exiſtimarentur. Ideoque inſcribebatur eis* D. M. S. id eſt, DIS MANIBUS SACRUM: *& quæ illis celebrarentur ſacra,* NECYA *ſunt dicta. Cicero* II. *De legibus.* DEORUM MANIUM JURA SANCTA SUNTO. HOS LETHO DATOS DEIVOS HABENTO. *Gentiles nimirum de unctos, deos appellabant.* Annotationib. ad D. Auguſt. De C. D. Lib. VII. cap. 34. Vide Plin. H. N. Lib. VII. cap. 55. & Prudent. lib. I. cont. Symmach.

Blaſphemas voces Cenſoris quis ferat illas
Hiſpani, aut ſummas nequitias Itali:
Solus adorandus Deus eſt; hæc Indice ſcripto [47]
Deleri penitus Cenſor uterque jubet
Ex ſcriptis veterum; & ſi qua his conformia, *Nati*,
Papa aït, *Ex libris hæc reſecate Patrum* [1];
Exturbate, inquam: Qui noſtrum numen adoret,
Si vera hæc fuerint credita, nullus erit.
Ac veluti vivo qui jungit putre cadaver, [48]
(Supplicii horrendum quod genus eſſe ferunt,)
Sic

1 *Ex libris hæc reſecate Patrum*] *Expurgari & emaculari curaſſi omnium Catholicorum Scriptorum, præcipuè veterum Patrum, ſcripta.* Sixt. Senenſ. in Epiſt. ad Paul. V. *Jus hoc ſemper fuit*, inquit Gretzerus Jeſuita, *penes Eccleſiam:* (Eccleſiæ nomine Papam, & ſuam factionem intelligit) *Et, ſi integrum librum proſcribere fas eſt, fas etiam erit proſcribere partem, ſeu parvam ſeu magnam, eam exſcindendo, delendo, obliterando, vel ſimpliciter omittendo, idque ob lectoris utilitatem.* De Jure prohibend. libros Lib. II. cap. 10. pag. 328. 329. Quid de hoc hominum genere diceret S. Irenæus ſi viveret, qui, ut Euſebius (Lib. V. cap. 19. H. E.) & Hieronymus teſtantur, libros ſuos his verbis concluſit: Ὁρκίζω σε τὸν μεταγεγραφόμενον τὸ βιβλίον τοῦτο, διὰ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ διὰ τῆς ἐνδόξου παρουσίας αὐτοῦ, ἧς ἔρχεται κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς, ἵνα ἀντιβάλλῃς ὃ μετεγράψω, καὶ κατορθώσῃς πρὸς τὸ ἀντίγραφον τοῦτο, ὅθεν μετεγράψω, ἐπιμελῶς· καὶ τὸν ὅρκον τοῦτον ὁμοίως μεταγράψῃς, καὶ θήσῃς ἐν τῷ ἀντιγράφῳ; Eadem Adjuratione uſus eſt D. Hieronymus ante Euſebii Chronicon à ſe in Linguam Latinam converſum. Si quis pro auctoritate Sacræ Scripturæ aliquid ex Patribus adducat; ſi, exempli cauſa, S. Cypriani verba proferat, dicentis: *Unde iſta traditio? An ex Dominica auctoritate veniens? an de Apoſtolorum mandatis atque Epiſtolis veniens? ea enim facienda eſſe, quæ ſcripta ſunt, teſtatur Deus.* Epiſt. LXXIV. Ad Pompeium: ſtatim audiet Bellarminum clamantem (Lib. IV. de Verbo Dei cap. 11.(*Hoc dixit*, [Cyprianus] *cum errorem ſuum tueri vellet.* At Auguſtinus Cypriani hanc ipſam ſententiam amplectitur & laudat: *Quod Cyprianus*, inquit, *monet, ut ad fontem recurramus, id eſt, Apoſtolorum traditionem, optimum eſt, & ſine dubitatione faciendum: traditum eſt enim nobis (ſicut ipſe commemorat) ab Apoſtolis, quod ſit unus Deus, & Chriſtus unus, una ſpes, & fides una, & una Eccleſia, & unum baptiſma.* Lib. De Baptiſmo. cap. 26. Scilicet Romana Eccleſia, cum volet, Patres recipit: cum volet, rejicit.

Sic libris ſacris ſcriptores aſſuit ille,
Qui planè nullam promeruere fidem.
Nam Machabæorum qui ſcripſit prælia fratrum,
Hunc quia mendacem vel ſua ſcripta probant,
Ejuſdemque farinæ alios, Moſique, prophetiſque
Atque Evangeliis imperat eſſe pares,
Conciliis Patrum fruſtra hos damnantibus auſus:
Papam Conciliis nemo ſubeſſe putet.
Illis ſi qua inſint homini contraria: Major, [49]
Quidni? Conciliis omnibus unus erit.
Olim crimen erat teſtes ſubmittere falſos,
Crimen id eſt ſummi gloria Pontificis:
Nam ſpuria obtrudit[1], veterum mentitaque ſcripta
Nomina, ut his cauſam fulciat ille malam.
Eſt talis *Conſtantini Donatio Magni*, [50]
Fabula quam riſu quis meritò excipiat;
Quam ſugillarunt Valla[2] & Cuſanus[3], & omnes
Illius puduit, queis pudor ullus ineſt.
Cum Bellarminus cultum defendere vellet, [51]
Quem tribuit ſanctis impia Roma ſuis;
Scripſit *Adoremus tumulos* (riſumne tenetis?)
Sanctorum, & Patris verba fuiſſe refert:
Cantat *Io Pæan*, lapides jam pronus adorat,
Sanctorum tumulos jam coluiſſe juvat.

1 *Nam ſpuria obtrudit*] De hac re vide Coci *Cenſuram Veterum quorundam Scriptorum*, & Riveti *Criticos ſacros*.

2 *Valla*] Hujus extat *De ficta Conſtantini Donatione* Liber Impreſſ. Baſileæ. Ann. 1540. & 1545.

3 *Cuſanus*] *Sunt meo judicio illa de Conſtantino apocrypha.* Cuſanus De Concord. Cath. Lib. III. cap. 2. Vide Naucler. Hiſt. Vol. II. Gen. II. Perkinſ. Probat. Prob. pag. 15. & Balth. Gualtheri Diatrib. Elencht. De Imperio Conſtantini M. Denique Cracanthorp. Defenſ. Conſtantini.

At fraudem Andræas detexit[1]; voci elementum,
Et Bellarmino vidit abeſſe fidem.
Forſan *adornemus tumulos* interpres honeſtus
(Nam Græcus magni nominis auctor erat,)
Scripſerat, & verè: ſed *adoremus* fuit illa
Vocula quæ Romæ eſt viſa favere magis;
Uſurpanda igitur, corrumpenduſque Latinus
Interpres, (namque ad rem faciebat,) erat.
Qui fraudes ejus generis numerare peroptet,
Huic conſcribendum grande volumen erit.
Sunt Romæ veterum qui ſic chirographa poſſint [52]
Mentiri[2], ut quæ ſint condita ſcripta recens,
Hæc mille ante annos poſſint conſcripta videri:
Qua ſæpe incautis impoſuere viris.
O ſcelus, O facinus, non ipſa morte piandum,
O ableganda ars ad Stygiumque lacum!
At Loyolitæ cognoſcite peſſima turba,
Quamvis longanimis vos Deus ille ſinat
Nequitiæ veſtræ menſuram implere nefandæ,
Veſtra tamen minimè facta latere Deum:
Hunc vos ultorem ſcelerum ſperate futurum,
Nempe orbi interitum cum feret una dies.
MUSA Typographiæ dic cætera commoda, & Auctor
Literulis quantùm profuit ille bonis.
Muneris eſt ejus, quod magna volumina parvo [53]
Quilibet haud locuples nunc ſtudioſus emat

Et

1 *At fraudem Andræas detexit*] Lancell. Andræas Epiſcopus Winton. In Reſponſione Ad *Apologiam* Cardinalis Bellarmini.

2 *Qui ſic chirogr pha poſſint mentiri*] Teſtatur hoc Clariſſ. Jameſius in Præfatione ad Librum lingua Anglicana conſcriptum cui Titulus *Corruptio Patrum*. Quin artem hanc deteſtandam docet Caneparius ſcriptor Italus *De Atramentis* Deſcript. IV. cap. 23.

Et quæ obſcura prius ſcripta eſſent, vixque legenda,
Nunc nitidis formis conſpicienda placent.
(O utinam inventrix artis Germania tandem [54]
Pulchriùs excuſos mitteret ipſa libros!)
Quæ pretio multos, aut mole gravare ſolebant,
Nequaquam dominos nunc onerare ſuos;
Atque manu ſcriptum quod erat prægrande volumen,
Hac arte excuſus fortè libellus erit.
Pellicula arctantur nunc cuncta volumina ſacra,
Portanda aut puero, decrepitove ſeni.
(Compingenda foret brevibus, Ptolemæe, libellis,
Si nunc extaret Bibliotheca tua[1])
Jamque per urbes inſtituuntur Bibliothecæ,
Quæ pateant doctis, hoſpitibuſque piis.
Quin numerat pauper ſua mille volumina doctus,
Atque adeo innocuas condit avarus opes.
Qua demum factum eſt, ut lux ſit ſparſa per orbem,
Nec tenebræ denſæ mentibus inſideant.
Namque ut Sol totum colluſtrat lampade mundum,
Sic fundunt animis lumina læta libri.
Bibliothecas[2] haud aliter quam templa Deorum [55]
Ingredior, veterum ſtant ubi ſcripta virûm[3];

Quorum

1 *Bibliotheca tua*] Quamvis in ea ingentem librorum numerum, ad millia ferme volumina ſeptingînta fuiſſe ſcribat Paulus Oroſius Hiſt. Lib. VI. cap. 15. De hac Ptolomæi Bibliotheca quæ Alexandriæ erat vide Strab. Lib. XVI. A. Gell. Noct. Attic. Lib. VI. cap. ult. Euſeb. Lib. VIII. de P. E. Ammian. Marcellin. Lib. XXII. Ariſtæx Lib. de LXXII. interpret. Galen. comment. II. in Lib. Hippocratis Lib. de natura humana. Et notas ad Lib. I. num. [43]. Incendio abſumpta eſt hæc Bibliotheca bello Alexandrino priore ſub Julio Cæſare.

2 *Bibliothecas*] *Aſinii Pollionis hoc Romæ inventum, qui primus bibliothecam dicando, ingenia hominum rem publicam fecit. An priores cæperint, Alexandriæ & Pergami reges, qui bibliothecas magno conamine inſtituere, non facile dixerim.* Plin. H. N. Lib. XXX. cap. 2. Mirarer

Quorum ego honorandas exoſculor ore catenas,
  Quæ libertatem ſic peperere mihi:
Cum quibus & malim quovis in carcere claudi,
  Quam procul his poſitus regum habitare domos.
Omnibus excluſis curis me his abdo libenter[1].
  (Multa ubi percepi gaudia vera) locis.
Tunc ſum Perſarum vel rege beatior ipſo,
  Cum conſultores hos mihi adire licet,
Qui nec adulantur, mortalem odere nec ullum,
  Conſilia & cunctis optima quæque dabunt.
Regibus illa dabunt, quæ forſan nemo det horum,
  Qui Regale ſolent claudere utrumque latus.
Quid niſi multorum mentes (ſi dicere fas ſit,) [56]
  Viſibiles factæ[2] ſunt monumenta virûm;

Humani

rarer virum doctiſſimum de hac re dubitare cum reges illi Pollione CCC. annis antiquiores fuiſſe conſtet, niſi mendum ſubeſſe viderem. Mutata igitur una vocula, lege *Alexandriæ an Pergami reges*. De Aſinio Pollione, ejuſque Bibliotheca videndus eſt Suetonius in Auguſto.

3 *Veterum ſtant ubi ſcripta virûm*] *Quorum immortales animæ in iiſdem locis ibi loquuntur*. Plin. ubi ſupra. Hic ſtant omnium temporum monumenta, ut Ovidius de Palatina canit:

Quæque viri docto veteres fecere, novique
Pectore, lecturis inſpicienda patent.

1 *Me his abdo libenter*] *Poſterorum negotium ago*, inquit Seneca; *illis aliqua, quæ poſſint prodeſſe, conſcribendo: in hoc me recondidi, & fores clauſi, ut prodeſſe pluribus poſſim. Nullus mihi per otium dies exit; partem ſtudiis vindico; non vacо ſomno, ſed ſuccumbo; & oculos vigilia fatigatos cadenteſque in opere detineo.* Et Plinius junior: *O rectam ſinceramque vitam! O dulce otium honeſtumque, ac pene omni negotio pulchrius! O mare, O littus, O verum ſecretumque Μουσεῖον, quam multa invenitis, quam multa dictatis!*

2 *Mentes viſibiles factæ*] Ἐγὼ ὦ, ὦ Νικόκλεις, ἡγοῦμαι μὲν ἔστι) καλὰ μνημεῖα καὶ τὰς τῶν σωμάτων εἰκόνας πολὺ μὲν τοὶ πλείονος ἀξίας τῆς περιουσίας, καὶ τῆς διανοίας, ἃς ἐν τοῖς λόγοις ἄν τις μόνον τοῖς τεχνικῶς ἔχουσι θεωρήσειεν. Iſocrat. ad Nicol. Ἐγὼ δέ σε καὶ εἶδον ἤδη τοῖς γράμμασι, καὶ τῆς ἐκείνου σοῦ ψυχῆς τὴν εἰκόνα, καθάπερ

Humani generis ſapientia picta tabellis
Æternis, toto geſtaque in orbe ſimul;
Quæ dent, ſi fuerit mens apta legentibus, eſſe
Supra fortunam, perſimileſque Deo [1]?
Cernere dupliciter [2] dixit veneranda vetuſtas [57]
Illos, literulas qui didicere bonas.
Crediderim, quod earum munere cæcus Homerus [3]
Perſpexit pluſquam Græcia tota ſimul.
Has qui non didicit, miſerè degatur oportet
Illi vita, ſimul plenaque ſpurcitie:
His ſine qui vivit, non multum diſtat ab illis,
Quæ ratione carent, totaque morte cadunt;
Vivere ſi dicatur [4], quem diſtare ſepulto [58]
Nil videas, niſi quod devoret [5] atque bibat.

Seipſum

καθάπερ ὀλίγῃ σφραγῖδι μεγάλῃ χαρακτῆρα τύπον ἀπεμαξάμην. Julian. Imp. Epiſt. ad Georgium. pag. mihi 160.

1 *Perſimileſque Deo*] Refert Theodoretus (Græc. affect. cur. Serm. II.) Platonem Finem totius philoſophiæ conſtituiſſe Ὁμοίωσιν τῷ Θεῷ. Τὸ ὁμοιωθῆναι τῷ Θεῷ κατὰ τὸ δυνατὸν, τέλος ἀπέφαινε τὸν ἀγαθῶν. Platonis locus ad quem reſpicit Theodoretus, eſt in Theæteto: Φυγὴ δέ, ὁμοίωσις τῷ Θεῷ κατὰ τὸ δυνατόν· ὁμοίωσις δὲ δίκαιον καὶ ὅσιον μετὰ φρονήσεως γενέσθαι. Idem ſenſiſſe Pythagoram patet ex Jamblichi de vita Pythagoræ Lib. II. Et nos ſacræ Literæ *Homines ſapientia, juſtitia, bonitate Deo ſimiles fieri* docent.

2 *Cernere dupliciter*] Διπλῶν ὁρῶσιν οἱ μαθόντες γράμματα. Polyb.

3 *Cæcus Homerus*] Τυφλὸς ἐκ παιδὸς γεγονώς. τὸ δὲ ἀληθὲς, ὅτι οὐκ ἠπίστη ἐπιθυμίαις, ἢ διὰ τῶν ὀφθαλμῶν ἔρχεται· καὶ διὰ τοῦτο ἐσοφίσθη τυφλός, Suidas. Alii reverà oculis captum fuiſſe ex ipſius verbis in Hymno ad Apollinem probant:

Τυφλὸς ἀνὴρ οἰκεῖ ὃ χίῳ ἐνὶ παιπαλοέσσῃ,
Τῷ πᾶσαι μετόπισθεν ἀριστεύουσιν ἀοιδαί.

4 *Vivere ſi dicatur*] De eo qui ſic vivit, ut nihil vita dignum agat, dixeris verè, cum Sophocle in Antigone, Οὐ τίθημί σφε ζῶν τοῦτον, ἀλλ' ἔμψυχον ἡγοῦμαι νεκρόν. Ariſtoteles interroga

Ipſum ſe neſcit, notus nimis omnibus, atque
Bruta ſub humano pectore corda gerit.
Non forma externa, ſed mente homines ſumus una,
Artibus ingenuis quæ niſi culta fuit,
Deterius nullum, quam quod ſub imagine vivit
Humana eſt animal, nec fera ſæva magis [1].
Non tantùm præſtat brutis homo, credite, quan-
Vel ſtulto ſapiens, innocuuſve malo. (tùm [59]
Quis ſanus dubitet Senecam viciſſe Neronem,
Pluſquam vel brutum vicerit ipſe Nero?
Indocti quid ſunt homines, niſi vel ſimulachra,
Vel nocituræ res quam ſimulachra magis?
At decus immortale viris ſapientia confert, [60]
Multis obſcurum nobilitatque genus.
Si decus oris abeſt, radiis hæc tempora cingit
Splendere & forma nobiliore facit:
Sin menti pulchræ adjiciantur frontis honores,
Hoc uno in toto eſt pulchrius orbe nihil.

Illa

terrogatus, quo differrent docti ab indoctis? reſpondit: Ὅτῳ διέφερεν, οἱ ζῶντες τῶν τεθνηκότων. Diog. Laert. Lib. V. Solebant Pythagorici Cenotaphia illis ponere tanquam mortuis, qui ab ejus Sectæ diſciplina defecerant. Vide Clem. Alex. Strom. Lib. V. & Origen. cont. Celſum Lib. III. His conſona ſunt quæ Apoſtolus dicit, de fœmina voluptatibus dedita; Ἡ δὲ σπαταλῶσα, ζῶσα τέθνηκε. 1. Tim. V. 6.

5 *Niſi quod devoret*] Cum videret Demetrius juvenem luxurioſum dixit: Ἰδοὺ τετράφαγον Ἑρμῆς, ἔχοντα σύρμα, κοιλίαν, ἀιδοῖον, πώγωνα. Diog. Laert. Lib. V.

1 *Nec fera ſæva magis.*] *Hominum effigies habentes, animos ferarum*, ut ait Seneca Epiſt. CIII. Sunt & hæc Lycurgi veteris poetæ verba:

Φάσ' πᾶς πονηρὸν ὄφιν ἀνθρώπων φύσις
Τὸ σύνολον, ἃ γὰρ ἂν ποτ' ἐδεήθη νόμος.
Οἷα τὶ τῶν ἄλλων διαφέρειν θηρίων
Ἄνθρωπος; ἁδὲ μικρὸν, ἀλλὰ σχήματι,
Πλάγι' ὄσα τ' ἄλλα, τοῦτο δ' ὀρθὸν θηρίον.

Illa voluptatem (quæ ſæpe eſt empta dolore)
Odit, & hæc quæ ſint menti inimica bonæ.
Dat currenti ad virtutem, tolerare labores,
Aſpera quæ fuerint æquo animoque pati.
Expurgat vitiis animum, ſanatque dolores,
Quæ cruciant ſtultos ſpemque metumque fugat.
Fluctibus ex mundi in portu, ex tenebriſque profundis
In luce eximia, quos amat illa, locat.
Regina eſt, veræ libertatiſque magiſtra, [61]
Affectuſque potens ſubdere quoſque malos.
Quin propriis contenta bonis, non multa requirit;
Sufficere ad vitam rem modicamque facit.
Illud quemque docet ceu fixum in corde tenere,
Extra ſe poſitum nil reputare ſuum [1].
Temnere quæ præſentia ſunt, ad ſola futura
Intentos oculos mentis habere jubet.
Una beat, ſupra mundana hæc omnia tollit,
Mortales ſimiles dat ſimul eſſe Deo.
Hæc ipſa in ſolis eſt invenienda libellis,
Impertit myſtis gaudiaque illa ſuis,
Percipienda magis quæ ſint tibi mente animoque,
Ullius lingua quam referanda viri.
Evehit in cœlum reges ſapientia fortes,
Illos terreſtres & facit eſſe deos.
Marco Antonino [2] ſapientia Principe digna [62]
Majores titulos quam diadema dedit.

Huic

1 *Extra ſe poſitum*] *Ne te quæſiveris extra.* Perſ.

2 *Marco Antonino*] *Marcus Antoninus, qui Pio ſucceſſit, cum in omnibus philoſophiæ ſtudiis excellentiſſimus eſſet, ob inſignem illam eruditionem, quam ex Sexto Bœoto philoſopho hauſit,* Philoſophus *cognominatus eſt: & ſe etiam hoc nomine magis delectari aſſeruit, quam nomine Imperatoris.* Dion. in vita. *Marcus Antoninus, prodigium in republica & miraculum; Imperator ſine ambitione, ſine faſtu philoſophus.*
D. Heinſ.

Huic non tam pulchrum [1] varios numerare triumphos,
Quam mente amplecti *Scita Platonis* erat:
Nec tam dignum laude Orbis caput esse subacti,
Quam præstare bonis legibus obsequium.
Quin Macedo cupidus non tam præcellere Marte [63]
Cunctis, quam rerum cognitione fuit;
Et reprehendit Aristotelem [2], quod publica fecit
Dogmata, quæ soli danda fuere sibi.

Cum

D. Heinf. dedicat. in Maxim. *Quem*, ut de eo ait Eutropius, *facilius quis admirari, quam laudare possit.* De Hist. Rom. Lib. VIII. Ἀρετῆς ὢ πασης ἐμελεν αὐτῳ. Et mox, Μόνῳ τε βασιλέων φιλοσοφίαν ἀ λόγοις, ἀδὲ δογμάτων γνάσει, σεμνῶ δ' ἠδε, κ) βίῳ σάφεσι ἐπισώσατο, Herodian. initio Historiæ, Hunc Galenus vocat Τὸν θεῖον Μάρκον. Lib. de Theriaca ad Pisonem. Ὁ φιλόσοφος ἐν βασιλεῦσι Μάρκος audit Justiniano in Novell. tit. 108. Hunc *Rhetoribus & Philosophis non modo salaria, verùm etiam honores ac provincias decrevisse, & defunctis statuas posuisse* auctor est Julius Capitolinus.

2 *Huic non tam pulchrum*] Ἐρῶ σοι παλαιόν τινα λόγον, ἵνα μάθης, ὅτι ἀχ ὅπως σρατύτεδα, κ) ὅπλα, κ) χρήματα, κ) ὑπηκόων πλῆθος, κ) τὰ ἄλλα δὴ τὰ τοιαῦτα λαμπρὰς ποιεῖ τὰς βασιλείας ἅπαντας, ὡς φιλοσοφία ψυχῆς, κ) ἡμερότητος. S. Chrysostom. Hom. XXI. Ad pop. Antiochen.

1 *Et reprehendit Aristotelem*] Voluisse Alexandrum tam rerum cognitione, quam armis alios omnes antecellere ex epistola ejus ad Aristotelem patet; quam quidem una cum Aristotelis Responso hic describam ex A. Gellii Noct. Attic. Lib. XX. cap. 5.

Ἀλέξανδρος Ἀριστοτέλει ὦ πρατ]ειν.

Οὐκ ὀρθῶς ἐποίησας ἐκδὸς τὰς ἀκροατικὰς τῶν λόγων· τίνι γὰρ ἔτι διοίσομεν ἡμεῖς τῶν ἄλλων, εἰ καθ' ὃς ἐπαιδεύθημεν λόγους, ἕτοι πάντων ἔσονται κοινοί; Ἐγὼ γὰρ βουλοίμην ἂν ταῖς περὶ τὰ ἄριστα ἐμπειρίαις, ἢ ταῖς δυνάμεσι διαφέρειν. Ἔρρωσο.

Ἀριστοτέλης βασιλεῖ Ἀλεξάνδρῳ ὦ πράτ]ειν.

Ἐγράψας μοι περὶ τῶν ἀκροατικῶν λόγων οἰόμενον δεῖν αὐτοὺς φυλάτ]ειν ἐν ἀπορρήτοις· ἴσθι ἐν αὐτοὺς καὶ ἐκδεδομένους, καὶ μὴ ἐκδεδομένους, ξυνετοὶ γὰρ εἰσι μόνοις τοῖς ἡμῶν ἀκούσασιν. Ἔρρωσο.

Cum victo Perſa gemmis reperiſſet opertum [64]
Scriniolum, (id regis fama fuiſſe refert,)
Ambigerentque duces, quibus uſibus illa daretur:
Mœonidis, dixit, *nobile ſervet opus.*
Scilicet hoc uno ſenſit pretioſius ille
Scriniolo includi nil potuiſſe ſuo.
Rebus in humanis nil majus Principe docto, [65]
Suſtentante armis jura verenda ſuis.
Quæ Deus in tabulis Judæo condidit olim,
Scribenda hæc regis jura fuere manu:
Scilicet ut regi ſemper, populoque fideli
Lex ſacra vivendi regula ſola foret.
En dant principibus leges cognoſcere libri,
Jugiter his reges invigilare decet.
Conſenuit libris volvendis *Carolus* [1] ille
Qui re, non tantum nomine, Magnus erat.
Sint viles librorum hoſtes Turcæque Getæque,
Regibus at noſtris literæ & arma decus.
Fortibus & doctis præ cunctis partibus orbis [66]
Anglia Principibus noſtra beata fuit.
Quid memorem *Henricos* [2], quos doctos fama fatetur?
Edvardus Sextus [3] gloria gentis erat.

Hic

1 *Carolus*] Cognomento Magnus, Imperii Occidentalis Fundator, anno Chriſti DCCC. Delectatus eſt legendo libros D. Auguſtini *De Civitate Dei*. Hujus vitam ſcripſit Eginhartus. Vide notas ad Lib. IV. num. [49]

2 *Henricos*] Scilicet Henricum I. Gulielmi I. fil. & Henricum VII. Prior horum ob doctrinam iis temporibus haud vulgarem *Beau-Clerc*, hoc eſt, *Bellè doctus* cognominatus eſt. Idem, teſte D. Edv. Coco, viro juris conſultiſſimo, abrogatis Legibus Normannicis, quas Pater introduxerat, antiquas Anglorum leges reſtituit. De Henrico VIII. diximus in notis ſuprà ad num. [26]

3 *Edvardus Sextus*] Joſias Anglicus, Rex ſupra annos doctus, Eccleſiam profligatis erroribus & ſuperſtitionibus repurgavit, ad normam Eccleſiæ primævæ & Apoſtolicæ reformavit, & Leges optimas ad Eccleſiæ & Reipublicæ utilitatem conſtituit. Hujus laudes

Hic in ſpem ſummam poſtquam puer extulit Anglos,
Deflendus cunctis occidit ante diem.
Conſtituit terris Deus hunc oſtendere tantùm,
Anglis offenſus præripuitque ſuis.
Virgo virilem animum ſub pectore geſſit *Eliza*[1],
Uſque ad miraculum doctaque Diva fuit.
Sceptrigeris alii dextris ea ſcripta dedere,
Quæ victura manent ſidera donec erunt.
Inſtrueret natûm dum ſcriptis rex *Jacobus*[2], [67]
Tunc viſus verè eſt *Regia dona* dare.
In Romam calamum doctum dum ſtringeret idem,
Defenſor fidei tunc quoque verus erat.
In ſcriptis animumque tuum dum, *Carole*[3], pingis,
Vivida manſura eſt *Regis imago* boni.
Vivere qui fueras dignus vel Neſtoris annos,
Carole, te fecit *Factio ſæva* mori.

Heu

des celebrant ſcriptores ſummi, in primis Hier. Cardanus libro *De varietate rerum*, quem Regi inſcripſit. Joan. Sturmius in Epiſtola ad Dom. Pagertum. Joan. Calvinus in Epiſtola quadam, ipſumque *ad miraculum uſque in pietatis & literarum ſtudiis profeciſſe* teſtatur, Denique Buchananus in Hiſt. Rerum Scoticarum Lib. XVI. Regem vocat, *Adoleſcentem maximæ expectationis, propter raram ad omne genus virtutis indolem & naturæ inditam, & doctrina excultam.* Obiit An. Chr. 1554. cum vixdum ætatis annum decimum ſextum impleviſſet.

1 *Eliza*] Regina docta, pia, felix : De illa Aſchamus in Epiſtola quadam ad Sturmium: *Aliquid*, inquit *Græcè aut Latinè quotidie mecum legit.* Hujus vitam optime conſcripſit Gul. Cambdenus.

2 *Jacobus*] Princeps doctiſſimus, cujus extat ad Henricum filium Βασιλικὸν Δῶρον, Liber utilia monita continens.

3 *Carole*] Rex & Martyr, cujus in laudes quicquid dici poteſt, longè infra ejus merita erit. Et hujus inter alia eximia opera extat Liber vere aureus, cui titulus Εἰκὼν Βασιλική, in linguas varias jamdudum verſus.

Heu miſerande puer, Britonum ſpes magna tuorum
Qui fueras, Britonum nunc, *Gulielme* [1], dolor!
Dum vitæ filum tibi rumpunt aſpera fata,
Ceu flos vere novo tu quoque carptus obis.
Ipſe futurus eras, heu te niſi mors rapuiſſet
Immatura nimis, *Totius orbis amor.*

MUNERA perge brevi nunc condere carmine, Muſa,
Quæ conſcripta libris dent monumenta viris.
Pabula ſunt animi [2], ſimul & medicina libelli [3], [68]
Queis ſine pars juvenum magna perire ſolet:

1 *Gulielme*] Filius is erat Sereniſſimæ Invictiſſimæque Reginæ ANNÆ, Dux Gloceſtrienſis, Summæ ſpei Juvenis. Obiit An. D. MDCC. ætatis annum XII vix ingreſſus, Britannis, imo toti Europæ, triſte ſui deſiderium relinquens.

2 *Pabula ſunt animi*] Παιδήματα τῆς ψυχῆς βρώματα. Vide S. Gregor. Nyſſ. Hom. VII. in Cant.

3 *Simul & medicina libelli*] Medicorum arti philoſophiam his verbis præfert Philo Judæus: Ἡ μὲν γὰρ σώματα θεραπεύει μόνα, ἐκείνη δ' ἢ τὰς ψυχὰς νόσοις πεπερατημένας χαλεπαῖς καὶ δυσιάτοις, ὧν κατέσκηψαν ἡδοναὶ καὶ ἐπιθυμίαι, λύπαι καὶ φόβοι, πλεονεξίαι τε καὶ ἀφροσύναι, καὶ ἀδικίαι, καὶ τὸ τῆς ἄλλων παθῶν καὶ κακιῶν ἀνήνυτον πλῆθος. De vita Contemplat. initio libri. *Ego*, inquit Seneca, *in muſæo meo aſſiduus ſalutares admonitiones, velut utilium medicamentorum compoſitiones literis mando; illas eſſe efficaces in meis vulneribus expertus, quæ etiamſi perſanata non ſunt, ſerpere deſierunt.* Cicero item: *Doloris medicinam à philoſophia peto; & otii oblectationem hanc honeſtiſſimam judico.* Acad. Quæſt. Lib. I. Plutarchus philoſophiam dixit τῆς ψυχῆς ἀῤῥωστημάτων καὶ παθῶν φάρμακον. Jure igitur merito cùm Oſimandua Ægypti Rege Bibliothecæ tuæ inſcribas ΨΥΧΗΣ ΙΑΤΡΕΙΟΝ. Maximè verò convenit illa Inſcriptio S. Scripturarum libris, in quibus, bonus quiſque, ut cum S. Gregorio loquar, τὸν περισσέρον ἐνείσκει τῷ ἀῤῥωστήματι φάρμακον. *Ad ſanctarum*, inquit D. Hieronymus, *Scripturarum gravitatem confugimus, ubi vera vulnerum medicina eſt; ubi dolorum certa remedia.* In Joan. XI.

Maxima in adverſis [1] præbent ſolamina rebus,
Et ſummum in placida proſperitate decus.
Qui delectatur libris, ſacriſque Camænis,
Huic adſunt ſemper quæ placuiſſe ſolent.
Inſomnem noctem ſi ducat fortè, libellis
Scit vigiles oculos hic recreare ſuos.
Seu furat immitis Boreas, ſeu frigus adurat
Corpora, ſeu terris nocte dieque pluat;
Seu nive brumali rigeant arva undique tecta,
Deliciis ſolitis non caret ille ſuis:
Nunc veterum ſcriptis, nunc lectos inter amicos
Colloquiis nulli quæ nocuere [2] viro,
Prudens ſollicitæ propellit tædia vitæ,
Semper diſcendo [3] conſenuiſſe cupit.

Ille

1 *Maxima in adverſis*] Τὴν παιδείαν ἔλεγεν ἐν μὲν ταῖς εὐτυχίαις εἶναι κόσμον, ἐν δὲ ταῖς ἀτυχίαις καταφυγήν. Diog. Laert. de Ariſtotele in vita. *Credendum doctiſſimis hominibus, qui unicum adverſorum ſolatium literas putaverunt.* Quintil. Inſtit. Orat. Lib. VI. in proœmio. Ovidius poſtquam enumeraſſet multa quæ perpeſſus fuerat mala, tandem ſubjicit:

Tot mala pertulimus, quorum medicina, quieſque
Nulla niſi in ſtudio eſt, Pieridumque mora.

2 *Colloquiis nulli quæ nocuere*] Qualia nempe deſcribit Horatius:

Sermo oritur, non de villis, domibuſve alienis,
Nec malè necne Lepos ſaltet; ſed quod magis ad nos
Pertinet, & neſcire malum eſt, agitamus: Utrumne
Divitiis homines, an ſint virtute beati,
Quidve ad amicitias uſus, rectumne trahat nos;
Et quæ ſit natura boni, ſummumve quid ejus.

3 *Semper diſcendo*] Γηράσκω δ' ἀεὶ πολλὰ διδασκόμενος. Solonis vox apud Platonem in Timæo. Vide Val. Max. Lib. VIII. cap. 7. num. 14. Id ago & ego quidem, ut, ſi Dei beneficio ad ſenectutem mihi pervenire detur, cum Seneca dicam: *Bene mecum agitur, ſi hoc unum ſenectutem meam dedecet.* Epiſt. LXXVI.

Ille canes, amet[1] alter equos, mihi ſola voluptas
Semper erunt, qui dant plurima ſcire, libri.
His ſine mortales qui degimus inter agreſtes
Vita quidem nobis vix toleranda foret:
At libris freti jucundum ducimus ævum,
Tunc minimè ſoli[2], cum comes omnis abeſt
Maxima in adverſis dixi ſolamina rebus
(Et dixi expertus) ſæpe tuliſſe libros.
Poſtquam immatura prærepta conjuge morte
Sic dolui, ut cuperem ſæpius ipſe mori:
Inveni ingentis delinimenta doloris
In ſtudiis ſolis, literuliſque bonis.
Scilicet ex illis didici, diſponere cunctos
Eventus ſumma cum bonitate Deum.
Felix qui ſeſe ſimul & ſua cuncta ſupremo
Permiſit Patri; huic nil nocuiſſe poteſt.
Interea uxori monumentum ponere blandæ,
Et ſignare brevi carmine juſſit amor:
Siccine me ſuper aſtra recepta relinquis, ELIZA,
Me vitæ ſocium, & pignora chara novem?
In te certabat prudentia cum probitate
Morum, cum ſummo frontis honore pudor.
Hei mihi, quod cogar privatus conjuge tali
Dimidia tandem vivere parte mei!

1 *Ille canes amet*] Ἄλλοι μὲν ἵππων, ἄλλοι δ' ὀρνέων, ἄλλοι θηείων ἐρῶσιν· ἐμοὶ δ' βιβλίων κτήσεως ἐν παιδαείᾳ δεινὸς ἐπέστηκε πόθος. Julian. Imp. in Epiſt. ad Ecdicium. Utinam ſic omnia!

2 *Tunc minimè ſoli*] *Publium Scipionem, Marce fili, eum qui primus Africanus appellatus ſit, dicere ſolitum ſcripſit Cato, qui fuit fere ejus æqualis, nunquam ſe minùs otioſum eſſe, quam cum otioſus: nec minùs ſolum, quam cum ſolus eſſet.* Cic. Offic. Lib. III. cap. 1. ſub initio.

Ah nil me vanis juvat aſtra ferire querelis,
Nil lachrymis tumulum ſpargere ſæpe tuum:
At ſemper noſtri meminiſſe juvabit amoris
Mutui, & haud ficta te pietate ſequi.
Hoc unum oro DEUM, *cum mors mihi finiet ævum,*
Ut cum ſorte tua det ſimul eſſe meam.

Neve inter laudes fas eſt reticere librorum,
Quod ſortem cæcis ſæpe levare ſolent:
Multi luminibus blandis caruere libenter,
Dum coràm legeret ſcripta ſubinde puer.
Quin ſævos hominum morbos depellere lecti
Viſi corporibus ſæpe fuere libri.
Cum regi Alphonſo[1] depaſceret arida febris [69]
Artus, & fugeret lumina feſſa ſopor;
Dimittendi omnes doctique Machaones eſſent,
Arte in Apollinea ſpes quia nulla foret;
Huic decumbenti perlecta immania facta
Pellæi juvenis cauſa ſalutis erant.
Et Ferdinandus[2] decus ingens gentis Iberæ, [70]
(Addictus ſtudiis rex fuit ille bonis,)
Inclyta dum legeret Patavini ſcripta diſerti,
Dicitur ex morbo convaluiſſe gravi.
Qui mente hunc totum terrarum amplectitur orbem,
Cui velut in ſpeculo ſecula cuncta patent,

Non

1 *Alphonſo*] De eo ſic ſcribit Ant. Panormitanus: *Gravi*, inquit, *morbo laborans, remedia medicis fruſtra præſcribentibus cœpit legere Q. Curtii hiſtoriam de Alexandro, adeoque illius dulcedine captus fuit, ut ſanitate recuperata dixerit: Valeant Avicenna, Hippocrates, medici cæteri: vivat Curtius Soſpitator meus.* Lib. de rebus geſtis Alphonſi. Hic dicere ſolebat, *Se malle privatim vivere, quam eruditione carere.* Vide Lipſii monit. Lib. I. cap. 3.

2 *Et Ferdinandus*] Vide Bodin. Method. Hiſt. in procœmio, & Camerarii Oper. ſubciſ. Cent. I. cap. 51.

Non res terrenas facilè admirabitur ille,
De quibus heu reges tot fera bella movent:
At nôsse historias, animo comprendere mundum,
Munera sunt, tribuunt quæ monumenta virûm.
Hæc cecini, ut possim juvenes accendere amore,
Et studio rerum quæ faciunt animum:
Et teneris natis, quæ sint patrimonia monstrem
(Cumque Deo fat sunt ampla) futura, meis:
Quos ego florentes malim[1] virtute videre,
Quàm nactos domiti totius orbis opes.
Divitiæ aufugiunt, manet ars, fortunaque in hanc nil
Quæ solet in rebus ludere, juris habet.
Auferri nequeunt, quæcunque dedere libelli,
Cætera cum pereunt, illa manere solent[2].
Vosque proinde bonos, mea viscera, volvite libros,
Vera ex his vobis sunt capienda bona. (tæ[71]
SUNT tamen humanæ hæc decora & solamina vi-
Qui penitus damnant[3], & procul esse jubent.

1 *Quos ego florentes malim*] Sic Menander apud Stobæum:
Οὐκ ἔστι μᾶζον ἡδονὴ ταύτης πατεῖ,
Ἢ σωφρονοῦντα καὶ φρονοῦντ' ἰδεῖν τίνα
Τῶν ἐξ ἑαυτοῦ.

2 *Illa manere solent*] Σοφία γὰρ μόνη τῶν κτημάτων ἀθάνατον. Isocrat. ad Demonic. Οὐκ ἔστι σοφίας κτῆμα τιμιώτερον. Aristoph. Τὰ σοὶ ψυχῇ κυριώτατα λέγομεν καὶ μάλιστα ἀγαθά. Aristot. Eth. Lib. I. cap. 8. Jure igitur dixit Crates Thebanus, Philosophus Cynicus apud Diog. Laertium Lib. VI.

Ταῦτ' ἔχω ὅσσ' ἔμαθον καὶ ἐφεύντισα, καὶ μετὰ Μουσῶν
Σέμν' ἐθάλυν.

Scilicet ἐπαρώδησεν ex versibus qui Sardanapali tumulo inscripti dicuntur:

Ταῦτ' ἔχω ὅσ' ἔφαγον, &c.

3 *Qui penitus damnant*] *Belluæ immanis vox est, quòd Licinius Imperator, & nominis Christiani persecutor, literas dixit virus & publicam pestem.* Bibliand. de ratione communi omnium Linguarum. cap. 6.

Nempe aiunt, *Libri noſcuntur ſæpe juventæ*
Ingenuæ, ſummis & nocuiſſe viris:
At ſi illud juſtum ſit, eodem jure loquela
Damnetur, multis namque loquela nocet.
Quis fieri mutus cupiat, quia lingula peccet?
Cæcuſve eſſe velit, quod noceant oculi?
Aut nunquam manducaret, quia fercula multis
Noxia, vel quia ſunt qui periere gula?
Agnoſco multos multis nocuiſſe libellos,
(Ut major numerus [1] ſemper in orbe mali
Librorumque hominumque fuerunt, ſuntque futuri,
Quod debet pretium conciliare bonis:)
Et doleo auctorum culpa dici potuiſſe,
Plures quàm proſunt, nunc nocuere libri:
(Hei mihi, quàm multi nunc pubi aconita propinant
Scriptis, & ſerpunt dira venena nimis!)
Anne ideo tandem debemus more ferarum
Barbari, & abſque bonis vivere literulis?
Artis quin uſus maneat, tollatur abuſus,
Cur noſtri conſors criminis illa foret?
Plectantur ſcelerati ipſi, nocitura juventæ
Tradantur flammis ſcripta abolenda feris.
Præcipuè quæ hominum mores corrumpere tentant,
Vitæ & communis ſolvere vincla ſacra:
Impia quæ in magnum jactant dicteria Numen,
Illuduntque palam; ſæpius eſſe negant:
Et quæ Relligionem accuſant, ſunt quia multi
Ejus ſub larva qui ſcelus omne patrant.

Non

1 *Ut major numerus*] Οἱ πλεῖστοι κακοί: Dictum Biantis. Vide Auſon. in ludo VII. Sapientum.

Non id agunt miſeri, qui condunt peſſima ſcripta,
  Quòd vitia oderunt, ſed magis id ſatagunt;
Nempe ut relligione remota, peſſimus omnis
  Securus peccet, nil metuatque mali.
Aſt homines audent quod talia tempore noſtro,
  Ultima jam nobis tempora adeſſe probat.
Ad ſummum culmen creverunt crimina mundi:
  Vix ultra[1] quo jam progrediantur, habent.
SUNT quibus, (at vana eſt ſemper mihi viſa quere-
  Diſplicet auctorum copia magna nimis. (la, [72]
Namque ſolere virûm tot ſcripta volumina, clamant,
  Diſcruciare animos, obruere ingenia:
At non eſt, lector, cur ſcripta hoc nomine damnes;
  Optima tu tantùm ſelige[2], tutus eris:
Nec te delectet per plurima ſcripta vagari[3],
  Verùm cum paucis opta habitare bonis.
Hos tu volve libros ſemper, qui te meliorem
  Reddant; profectûs ſint quoque ſigna tui:

1 *Vix ultra*] *Hoc majores noſtri queſti ſunt; hoc nos querimur, hoc poſteri noſtri querentur, everſos eſſe mores, regnare nequitiam, in deterrius res humanas & in omne nefas labi.* Senec. de Benef. Lib. I. cap. 10. Scilicet, ita eſt, ut Horatius ante annos mille ſeptingentos cecinit:

Ætas parentum pejor avis tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitioſiorem.

2 *Optima tu tantùm ſelige*] Ὁ χρήσιμος εἰδὼς, οὐχ ὁ πολλὰ εἰδὼς σοφός. Dictum Ariſtippi apud Diog. Laert.

3 *Per plurima ſcripta vagari*] *Illud autem vide, ne iſta lectio multorum auctorum, & omnis generis voluminum, habeat aliquid vagum & inſtabile. Certis ingeniis immorari, & innutriri oportet, ſi velis aliquid trahere, quod in animo fideliter ſedeat. Nuſquam eſt, qui ubique eſt.* Et mox: *Diſtrahit animum librorum multitudo.* Senec. Epiſt. II.

Si didiciſti iram compeſcere; ſi tibi ſancta
Lex es, & ipſe animum ſi reverere tuum [1].

SUNT qui ſcribendo laudem meruere, ſed ipſi
Dum finem ſcriptis non poſuere ſuis,
Quem decuit poſuiſſe, & amici optâre fideles,
Heu famæ viſi ſunt ſupereſſe ſuæ!
O nimium felix, qui nunquam condere tentat,
Quod ſupra vires noverit eſſe ſuas.
At quam ſunt pauci qui in ſe ſua lumina vertunt,
Qui nôrunt humeri quid valeantque ſui.
Docta tulit ſeptem Sapientes Græcia [2]: ſtultos
Haud facilè invenias nunc tot in orbe viros:
Sic doctus, prudens, ſapiens ſibi quiſque videtur,
Ut nemo non, ſe judice, cuncta ſciat.
Turba gravis placidis ſemper fuit illa Camænis, [73]
Jurgia quæ ſcriptis, & fera bella movet
De rebus nihili, de lana ſæpe caprina,
De quibus hi miſcent æquora ſideribus:
Et poſſint reſpectu horum Cadmeïa proles,
Et ſibi literulæ dici inimica cohors;
Non huic abſimilis, quæ dentibus orta draconis,
Fraterna eſt olim viſa ruiſſe manu.
O utinam nunquam docuiſſent hoſce parentes
Literulas, meliùs quos foret eſſe rudes!

At

1 *Animum ſi reverere tuum*] Αἰχυνέο σαυτόν. Præceptum Pythagoræ.

2 *Docta tulit Septem Sapientes Gracia*] Ἐν ᾗ μὲν γὰρ ὀλίγοι ἐτύμως προσομαδέντες ἐσοφοὶ ὠνόμασται, καὶ ἄλλων πεύτερον καὶ ἄυδις ὡς εἰκὸς ἀκμασάντων, ὧν ἕνα μνήμη παλαιοτέρων μὲν ὄντων, μήκει χρόνων δὲ ἠφανίδη· νεαζόντων δ' ἔτι διὰ τὸν ἐπιπολάζοσαν τῶν σωόντων ὀλιγωρείαν ἐξαμαρτάνει. Philo in Lib. *Quod omnis probus liber.*

At quis doctorum civilia bella videre,
Infensasque acies absque dolore valet?
Heu quantum augeri potuit Sapientia vera,
Hoc quod rixando tempore jam teritur!
Ante omnes studiis sunt pestes, qui monumenta
Vertendo veterum perdere dant operam.
Barbaricis rythmis, crepitanteque carmine ineptus
Hic prisci vatis vertere tentat opus:
Nititur; & bellè solitus qui currere, claudum;
Loripidemque facit, qui modò rectus erat.
Ille stipem ut quærat vilem, vanoque labore
Indoctis possit fortè placere viris,
Accipit auctorem nitidum, summèque Latinum,
Præstantem eloquio, floridum & ingenio,
(Nec tamen ipsi intellectum,) hunc conamine magno
Barbaro & inculto jam docet ore loqui:
Exuit eloquio miserum, quin exuit omni
Ingenio, nervis, & blaterare facit.
(Sævus uterque vir, & Procruste immanior illo,
Qui lecto æquabat corpora quæque suo:
Ingenium hi perimunt, cruciant bona carmina, gau-
Magnorum vatum manibus esse graves.) (dent
Et sic qui civis Romanus claruit antè,
Fit (si dîs placeat) noster honore novo.
Ac si Romani (turpe & miserabile) prisci
A nostris unquam sic voluere legi;
Quos meliùs periisse fuit, quam sic supersesse,
Et risum populo sæpe movere rudi.
Carmina qui veterum vertunt, vertendoque perdunt,
Hanc facti causam reddere sæpe solent:
Scripta poetarum veterum potuere puellis
A nostris, aiunt, *non nisi versa legi:*

Tanquam

Tanquam non ſatiùs fuerat non lecta fuiſſe
  Carmina ab his veterum, quam malè verſa legi.
Artibus ingenuis ſint pectora culta puellis,
  Auctores ipſos utiliùſque legent.
Cur non ingenuæ monumenta Latina puellæ
  Evolvant? cur non ſcriptaque Græca legant?
Matronas doctas[1] tulit olim Græcia multas, [74]
  Egregiè doctas priſcaque Roma tulit:
Nata Theophraſti ludum rexiſſe parentis
  Dicitur, & ſtudiis grande fuiſſe decus.
Qui vitas Sapientum[2] condidit, ille puellæ
  Conſecraſſe ſuum nobile fertur opus.
Neve Anglos inter noſtrorum ætate parentum
  Res monſtri ſimilis fœmina docta fuit:
Plurimæ in hac noſtra formoſæ gente puellæ
  Quæ legerent Græcè ſcripta Platonis erant.
Taiis JANA[3] fuit Regali ſtirpe creata [75]
  Fœmina, doctrina & nomine *Graia* ſimul,
Cui facunda parens Gracchorum[4] cederet ipſa:
  Tempora vix doctas noſtra tulere duas.

Quin

1 *Matronas doctas*] De Hypatia Theonis philoſophi Alex. filia, & ejus eximia eruditione videndus Socrat. Hiſt. Eccleſ. Lib. VII. cap. 15. Mulieres virtute & doctrina inſignes quamplurimas recenſet Clemens Alex. Strom. Lib. IV. Anna item Comnena, Alexii Imperatoris filia, Patris hiſtoriam conſcripſit Græcè. Vide Doctiſſ. Menagii hiſtoriam mulierum philoſophicarum ad Annam Fabram Daceriam (quæ & ipſa ſummis ſeculi hujus ornamentis merito annumeranda eſt,) ſcriptam.

2 *Qui vitas Sapientum*] Diogenes Laertius, Fœminæ cuidam doctæ libros ſuos *De vitis Philoſophorum* dedicat.

3 *JANA*] *Jana Graia*, illuſtriſſimi principis Henrici Ducis Suffolcenſis filia, annos ſedecim nata Græcè & Latinè ſcribebat elegantèr, pietate & eruditione clara. Hanc laudat Aſchamus in Epiſtola ad Sturmium, Epiſt. Lib. I.

4 *Parens Gracchorum*) Cornelia, Sempronii Gracchi uxor, & majoris Africani filia.

Quin age, ſint doctæ quibus haud placuere puellæ,
Qui juvenes doctos oderit, ecquis erit?
Æquumne eſt veteres manibus jam quoſque juventæ
Excuti, in illorum ſubſtituique loco
Servili à turba ſua putida ſcabraque verſa,
Quæ minimè auctorum ſenſa referre ſolent?
Gallis verſa placent: gens noſtra proinde imitatrix
Gallorum, ut ſemper, nil niſi verſa probat:
At quia verſorum Galli teneantur amore,
Opto, ut ſint genti nil niſi verſa levi.
Interea his debent Graiæ, Latiæque Camænæ,
Quod nunc contemptæ, quod ſine honore jacent.
O quæ deſidia eſt, O quæ dementia ſecli!
Ut nulla eſt pulchri, curaque nulla boni!
Quanta modeſtia erat priſcis, audacia tanta eſt [76]
Nunc omni, qui det barbaricos numeros:
Nam nec Mæonidis, neque reddere ſcripta Latinis
Heſiodi quiſquam verſibus auſus erat:
Non illud Naſo eſt, non illud Horatius auſus,
Quamvis ingenio clarus uterque foret.
Pindarus his intactus erat, ſublimis Aratus
A tali incœpto terruit ingenia.
Hunc modo tentarunt Cicero, & Germanicus in-
Vertere, at infauſtè ceſſit utrique labor [1]. (gens [77]

Multò

1 *Infauſtè ceſſit utrique labor*) *Ciceronem eloquentia ſua in carminibus deſtituit*, inquit Caſſius Severus apud Senecam in Controv. Lib. III. Non omnia poſſumus omnes: Erat Cicero orator ſummus, poeta mediocris. Hinc Quintilianus de eo ſcribens: *In carminibus*, inquit, *utinam pepercisſet, quæ non deſierunt carpere maligni.* Et Martialis Gaurum quendam poetam ineptum ridens ait,

Carmina quod ſcribas muſis & Apolline nullo,
Laudari debes: hoc Ciceronis habes.

Epigram. 89. Lib. II. (Vide Jul. Firmic. Matheſ. Lib. VIII. cap. 5.)

Nec

Multò alii meliùs veſtigia ſacra colentes
Viſi ſunt famæ conſuluiſſe ſuæ.
At nunc quis potuit veterum evaſiſſe profanos
Contactus hominum, ſacrilegaſque manus?
Qui fuit antè ſuo meliùs ſermone legendus,
Quis non inculto cogitur ore loqui?
Carmina quæ veteres Græci, aut ſcripſere Latini
Barbaricis rythmis reddita nulla probo:
Nec vertenda puto ſerviliter inclyta ſcripta,
Sed magis ingenuis eſſe imitanda viris.
Sic Maro Mæoniden expreſſit carmine ſacro;
Sicelidas muſas ſic imitatus erat.
Aſcræi præcepta ſenis ſic rettulit idem
Vates, dum quî ſunt arva colenda canit.
Vulgari lingua veterum qui carmina vertet,
Faſtiditura hæc proxima ſecla ſciat.
Carmina quæ multis ſunt nunc in honore, vigentque,
Nemo lectura hæc ſecla futura putet.
Non ego ab experto doctoque interprete verſa
Damno, (licet malim non opus hiſce foret,
Quin laudo, populo tantum ſi commoda vertat,
Si vertat ſaltem quæ nocitura parum;

Edita

Nec felicior erat, ſi D. Hieronymo credimus, in vertendis Platonis & Xenophontis libris, cujus hæc ſunt verba in Præfatione ad Chronica: *Vetus iſte diſertorum mos fuit*, inquit, *ut exercendi ingenii cauſa Græcos libros Latino ſermone abſolverent; &, quod plus in ſe difficultatis habet, poemata illuſtrium virorum addita metri neceſſitate transferrent. Unde & noſter Tullius Platonis integros libros ad verbum interpretatus eſt; & quum Aratum jam Romanum Hexametris verſibus edidiſſet, in Xenophontis Occonomico luſit. In quo opere ita ſæpe aureum illud flumen eloquentiæ ſcabris & turbulentis obicibus retardatur, ut qui interpretata neſciunt, à Cicerone dicta non credant.*

Edita quæ minimè poſſint & inedita[1] dici
His quibus eſt Vulgi cognita lingua modò.
At cum ſit pueris ætas ſatis artibus apta,
(Diſcendis linguis fortè nec ulla magis,)
Nonne foret ſatius pubem didiciſſe Latinè,
Quam quod opus fuerit talibus auxiliis;
Quæ non tam multis lectoribus auxiliantur,
Quam miſerè impediunt, & ſapuiſſe vetant?
Subſidia ignavis, pueris obſtacula, cauſæ
Cur omnis ſciolus noſcitur eſſe loquax,
Audax, & tumidus, de re quacunque paratus
Affirmare, licet ſit tibi nota parum.
Hæc quoque ſubjiciunt indoctos ſæpe cachinno,
Quos faciunt, ut ſe plurima ſcire putent,
Ignari rerum cum ſint, quas Ludimagiſtri
Omnibus in triviis vel pueros doceant.
Sæpe mihi bilem movit tua facta, Camille,
Et referens palmas, Scipio magne, tuas,
Qui neſciret, vel qua mundi in parte locata
Roma foret, quando vel viguere duces,
Vel prior eſſet uter; veram Didonis amores
Trojanique ducis crederet hiſtoriam:
Et qui de rerum natura fronte ſevera,
Artibus & Graii quas coluere viri,
Diſſerere auderet, cum fortè hic nomina rerum
Neſciret, linguæ planè utriuſque rudis.

Hoc

1 *Edita & inedita*) Ἐκδοτα καὶ ἀνέκδοτα, ut Ariſtoteles ipſe de libris ſuis Philoſophiæ nat. ad Alexandrum. Vide notas ſupra ad num. [63]

Hoc inde eſt [1], patribus quod res jam nulla minoris
Conſtet, quam natos erudiiſſe ſuos.
Ut cantent, ſaltent, quid non impenditur auri?
Ut ſapiant, obolum fortè dediſſe piget.
A loliis ipſi purgant, & ſentibus arva,
Dum ſine cultura mens prope cuique jacet.
Vos quibus ampla eſt fortuna, & ſat nobilis otî,
Patricius ſanguis, quos decet ingenio,
Non opibus tantùm ſuperare ignobile vulgus,
Si Graias muſas [2], Cecropias & opes
Explorare piget, neve ulla cupido legendi eſt
Aſcræumve ſenem, Mæonidenve ſacrum:
Vos pudeat ſaltem linguam neſcire Latinam,
Qua victrix olim Roma locuta fuit:

Qua

1 *Hoc inde eſt*] *Non pauciſſimi ſunt*, inquit Gellius, *in quos poteſt convenire id quod M. Varro dicit in Satyra quæ inſcribitur* Περὶ ἐδεσμάτων; *Verba hæc ſunt: Si quantum operæ inſumpſiſti ut tuus piſtor bonum faceret panem, ejus duodecimam philoſophiæ dediſſes, ipſe bonus jampridem eſſes factus: nunc illum qui nôrunt, volunt emere milibus centum; te qui novit, nemo centuſſi.* Quam quidem ſententiam Varro ex Cratete Thebano hauſiſſe videtur, cujus hæc eſt de ſeculo ſuo querela, teſte Diogene Laertio:

Τίθει μαγείρῳ μνᾶς δέκ', ἰατρῷ δραχμήν·
Κόλακι τάλαντα πέντε, συμβούλῳ κάπνον·
Πόρνῃ τάλαντον, φιλοσόφῳ τριώβολον.

Eandem querelam inſtituit Juven. Sat. VII. ver. 184. Nempe tales ſunt multi nunc parentes, quales illi erant quos Diogenes (referente eodem Laertio) perſtringere ſolebat: Ἐπὶ τῷ υἱὸν γενέσθαι, τοῖς θεοῖς θύετε· ἐπὶ τῷ τὸ ποτάπος ἐκβῇ, οὐ θύετε.

2 *Si Graias muſas*] *Græca lingua adeo neceſſaria eſt, ut vix quemquam dixerim eruditum, qui eam ignoraverit.* Ringelberg. de ratione ſtudii.

Qua monumenta extant, quibus omnia posterioris
Ævi omnis debent cedere scripta virûm.
Versa relinquentes tonsoribus atque laniſtis,
Lingua optate sua cum Cicerone loqui;
Cumque Platone sua: interpres nemo exprimat hujus,
Exprimat aut Veneres, Marce diserte, tuas.

DE LITERIS INVENTIS

LIBER SEXTUS.

DUM pueris Graia, aut ſaltem monumenta La-
Conſulo ut evolvant, ſi ſapuiſſe velint; (tina
Nec tempus perdant indoctè verſa legendo,
Quos decet archetypos conſuluiſſe libros:
Hic reticere nefas ingentia lumina gentis
Britannæ, (compar nil quibus orbis habet,)
Oxoniam [1], fama notam ſuper æthera, & illam [1]
Germanam meritò quam vocat ipſa ſuam:
Juxta hujus turres currit placidiſſima *Granta*,
Per prata illius *Thameſis* unda fluit.
Quicquid Roma tulit mirandi, Græcia quicquid,
Sacrata muſis urbe in utraque viget [2].

Emporia

1 *Oxoniam*] Illa eſt *Academia antiquiſſima, & in quatuor nobiliſſimis, quæ ſunt Oxonium, Lutetia, Bononia, Salamanca, prima; populoſiſſima, & frequentiſſima: quæ jam Edvardo primo regnante triginta millia ſtudioſorum cenſuit.* Lanſii orat. pro Britannia. Vide Alb. Gentil. De Laudibus Acad. Oxon.

2 *Urbe in utraque viget*] *Sunt Arcades ambæ, utraque florentes, lucem ſole clariorem ſibi invicem alternantes,* inquit doctiſſ. Eques D. Iſ. Wake in Rege ſuo Platonico. *Antehac gratulatus ſum Angliæ tuæ, quæ tot haberet viros egregia probitate, parique doctrina praditos:*

nunc

Emporia exiſtunt [1] ambæ præclara bonarum
Artium, & his orbem jam recreâre diu;
His recreâre bonis, quæ det Sapientia ſola:
Gentibus haud tales India mittit opes.
Ex his prodivit Clerus Generalibus olim [2]
Conciliis dictus qui *Stupor orbis* erat.
Atque viros tales mittit nunc utraque, ut his ſit
Doctius omninò, candidiuſve nihil.
Oxonia ante omnes noſtræ eſt celebranda Camænæ,
Ingenii excultrix optima, gentis honos:
Qua non ſeu cultum, ſeu reſpicis aëra blandum [2]
Pulchrior in terris urbs nec amæna magis.
Quid memorem ſacris extructa palatia Muſis?
Aut qui illic hominum millia multa ſtudent?
Doctrinamve Magiſtrorum, pubiſve togatæ
Ingenuos mores, ora venuſta ſenum?
Quid *Bodleianamve* [3] ſtupendam *Bibliothecam*, [3]
Vaticana ingens cui det & ipſa locum?

nunc propemodùm invidere incipio, quæ ſic efflorescat omni genere ſtudiorum, ut omnibus regionibus laudem præripiat, ac pæne tenebras offundat. Quamquam iſta laus haud ita nova eſt veſtræ inſulæ, in qua conſtat, & olim eximios viros extitiſſe. Declarant id vel Academiæ veſtræ, quæ vetuſtate, nobilitateque cum vetuſtiſſimis & celeberrimis certant. Eraſmus in Epiſt. ad Gul. Montjoium Lib. VI.

1 *Emporia exiſtunt*] *Suſcepiſti onus grave & Athenarum & Cratippi, ad quos cum tanquam ad mercaturam bonarum artium ſis profectus, inanem redire turpiſſimum eſt, dedecorantem & Urbis auctoritatem, & Magiſtri.* Ita Cicero ad filium: quibus verbis alludere videtur ad Homeri illa:

Αἰχμὴν ἤτοι δηΐην τε μάχην, κενεόν τ' ὀνέαθ'.

2 *Aëra blandum*] *Non immeritò apud antiquos Oxonia* Bellositum *audit, quaſi Muſæ conſpiraſſent, hic tantùm domicilia ſibi ſtatuere, ubi & amænitas, & ſalubritas ſuas ſibi ſedes potiſſimas præelegiſſent.* Wake in Muſ. regnant.

3 *Quid Bodleianamve*] *Clariſſimus vir Thomas Bodleius, qui vetuſtate & tempore* (an hominum?) *injuria collapſam Univerſitatis Bibliothecam immenſis ſumptibus, conquiſitis undique præter omnes omnium generum*

Quidve vetuſta allata ex Hellade marmora narrem,
(Marmora magnorum munera clara virum,)
Quæ Pompeiorum ſtatuas, ſuperentque Catonum,
Et priſci Fabiis quas poſuere ſuis:
Marmora Seldeni [1] quæ nobilitata labore, [4]
Oxonia, invideat Roma vel ipſa tibi?
Hæc dum ſtant circum SHELDONI grande theatrum,
(Nobilior quo non extat in orbe labor,)
Dant decus; his veteres ritus & tempora mundi,
Et Roma antiqua, & Græcia tota patet.
Quis tot naturæ referat miracula, & artis, [5]
Quæ juxta *Aſhmoli* ſtans domus alta capit?
Hæc vir munificus poſuit monumenta benigni
In muſas animi magna futura ſui.
Adjacet Oxoniæ doctæ pulcherrimus hortus,
Qui famam Alcinoi [2], vincat & Heſperidum:
Tot ſimul arboribus raris, plantiſque refertus,
Vix plures hortus primus in orbe tulit.
Non hic Parnaſſum, non hic Helicona requiras;
Hic nec Apollo ſacri carminis auctor adeſt:

Sed

generum codices excuſos, manuſcriptis, quantùm in hoc ſpicilegio licuit, compluribus vetuſtis optimæ notæ, inſtauravit. D. Hen. Savil. notis in S. Chryſoſtom. in Gen. Tom. VIII. *Illa Bodleii induſtria pluſquam humana; illa tot linguarum artiumque infinita comprehenſio, doctoſtantùm egit in ſtuporem; at illa incredibilis morum ſuavitas, ille in congreſſibus geſtuque toto lepos, & veluti Atticiſmus quidam doctos indoctoſque juxtà capit.* Joan. Haleſ. in orat. Funeb. in Coll. Merton. Erat etiam, uti teſtatur doctiſſ. Druſius notis in Tetragrammat. *Linguarum Orientalium callentiſſimus vir Thomas Bodleius.*

1 *Marmora Seldeni*] Marmora Arundeliana, antiquiſſima illa ex Græcia allata, doctiſſimis Commentariis illuſtravit Clariſſimus Joan. Seldenus, & poſt illum eruditionis recondtæ vir Hump. Prideaux S. T. P. Decanus Norwicenſis, etiam tunc cum admodùm juvenis eſſet, & Ædis Chriſti apud Oxonienſes Alumnus.

2 *Qui famam Alcinoi*] *Antiquitas nihil priùs mirata eſt, quam Heſperidum hortos, ac regum Adonidis, & Alcinoi.* Plin. H. N. Lib. XIX. cap. 4. Vide Stat. Sylv. Lib. I. ſyl. 3.

Sed qui dat vitam, dat & idem in carmina vires,
Is ſolus vivens omnipotenſque Deus.
Hic arte inſignes, hic canitieque, fideque;
Hic videas multos quos imitere viros:
Multos, cum quibus haud poſſis verſarier unà,
Quin multò abſcedas doctior & melior.
His ſeſe adjungat rerum cognoſcere cauſas,
Moribus ornari qui cupiatque bonis.
Prædicat *Oxonia* ALFREDI[1] pia munera Regis, [6]
Qui meritò *Magni* nomen adeptus erat:
Inclytus Anglorum ſextus fuit ille Monarcha,
Sic bellis acer[2], pacis ut eſſet amans.
Sub Rege hoc primùm ſedes fixiſſe Camænas
Oxoniæ falsò fama referre ſolet:
Cum conſtet ſedes illic fixiſſe, priùſquam
Cognita Romanis Inſula noſtra foret:
Credo priùs rerum domina eſt quam condita Roma;
Illic Britannis emicuiſſe ſcholam;
Ex qua Caſtalias bellis aſſueta juventus
Ceu fonte irriguo ſæpe bibebat aquas;
Sæpe ſalutatis miteſcere viſa Camænis,
Paulatim mores & poſuiſſe feros.

1 *ALFREDI*] Dictus fuit & ALUREDUS. *Ut enim de Anglia dicam priùs, unde nobis prima literaturæ rudimenta redierunt, ab Alfredo Rege Scholam publicam Oxoniæ eſſe inſtitutam anno Chriſtiano* 874. *ex Oxonienſium monumentis haud pauci hodie narrant.* Conring. De Antiq. Academ. Diſſert. III. Vide Leland. Cyg. Cant. & Bal. de Script. Cent. II. Alfredi res geſtas ſcripſit Aſſerius Menevenſis. Ita doctus fuit Alfredus ut S. Gregorii Dialogos, Opus Boëthii *De Conſolatione Philoſophiæ*, & Pſalmos Davidis ex Latino in Linguam ſuam, hoc eſt, Saxonicam traduxerit. Vitam ejus conſcripſit etiam vir Clariſſ. D. Joan. Spelmannus Eq. Aurat.

2 *Sic bellis acer*] Talem Nicoclem ſuum Iſocrates eſſe voluit: Πολεμικὸς ταῖς ἐπιθυμίαις καὶ ταῖς παρασκευαῖς· εἰρηνικὸς δὲ τῷ μηδὲν πλέον ἔχειν τοῦ δικαίου πλεονεκτῶν. Orat. ad Nicocl.

Henricus fautor Muſarum maximus, urbi
Oxoniæ ſedem Præſulis [1] eſſe dedit.
Qui valet oceani numerare in littore arenas,
Is numeret magnos quos tulit illa viros,
Occhamum, *Scotum*, *Bradwardinumque* profun-
Hanc peperiſſe ferunt barbarie in media: (dum [7]
Erigenamque [2] ſui ſecli haud ignobile lumen,
Qui *Magni Alfredi* tempore clarus erat.
Baconumque Mathematicum [3], vel ſcire Matheſin
Quando apud indoctos non leve crimen erat.
Wiclefumque [4] ſuum meritò miratur alumnum,
Jamque viri famam relligioſa colit.

Morus

1 *Sedem Præſulis*] Anno MDXLI. Hujus Sedis primus Epiſcopus fuit *Robertus King*.

2 *Erigenamque*] Joannes Scotus Erigena fuit, teſte Willielm. Malmſburienſi, *doctus ad invidiam, ut Græcorum pediſſequus, qui multa, quæ non recipiunt aures Latinæ, libris ſuis aſperſerit*, &c. Ex Codice MS. Thuaneo. *E Scotia in Franciam delatus Carolo Calvo gratus fuit. Vir puſillo corpore, ſed ingenio maximus, feſtivus ac facetus, unde & menſæ & cubiculi Imperatorii non raro particeps. Philoſophus porro eximius, Theologus conſummatus.* Hofman. *Hoc viro eximio, tanquam Geniali quodam Sidere, adornabat Alphredus Academiam ſuam Oxonii inchoatam. Erat ille primus qui publicè illic bonas artes profitebatur.* Balæus. *Scripſit commentarios in libros Dionyſii de Hierárchia, in quorum enarratione, cum taxaret opinionem tum receptam de oblatione Cænæ Dominicæ pro vivis & mortuis, Monachorum impulſu graphiis eſt interfectus, An. Dom.* 884. *in Monaſterio Malmsburienſi, quo recreationis gratia ſe contulerat.* Jac. Friſ. in Biblioth. Philoſ.

3 *Baconumque Mathematicum*] *Inſignis ille Mathematicus, & vir, ultra ſanè quam ſeculum ſuum tulerit, doctus, Rogerus Baconus, Oxonienſis & Minorita.* Selden. de Diis Syris Syntag. I. cap. 1. *Acceſſit ei in Matheſi peritia incredibilis, ſed abſque Necromantia: quamvis eâ à multis infametur.* Balæus de Script. Brit. Cent. IV. Vide Leland. de viris illuſtrib.

4 *Wiclefumque*] Claruit hic ſub Edv. III. An. D. 1377. *Sacræ Theologiæ Profeſſor, & Eccleſiæ Parochialis de Lutterworth in Leiceſtriæ comitatu Rector multa in Romanam Curiam conſuetudinemque Oxonii diſputavit, eademque è ſuggeſtu coram populo ac proceribus ſæpe prædicavit. Huic Lancaſtriæ dux, & è plebe permulti adhærere cæperunt. Gregorius autem Papa veritus ne ejus ſuaſione Angli deficerent, ad Regem, Archiepiſcopum, Epiſcopos, & Oxonienſis Academia Cancellarium*

Morus [1] Britannæ non ultima gloria gentis,
Hic ſua Caſtaliis ora rigavit aquis. (lim [8]
Quin decus eſt urbi quod *Eraſmum* [2] exceperit o-
Vivemque [3] hoſpitio, (lumen id Heſperiæ;)
Doctores ſummos hos audieritque legentes,
Famæ præcones hos quoque nacta ſuæ.
At laus æterna *Oxoniæ* eſt, quod ſacra *Juello* [4], [9]
Uberaque *Hookero* [5] præbuit illa ſua:

rium acriter ſcripſit, ut eum aut coercerent, aut prorſus abſcinderent. Antiquit. Britan. pag. 258. Wicleſi libris in Bohemiam delatis doctrina etiam ejus in illa regione recepta, & demum opera Joannis Hus, & Hieronymi Pragenſis longè lateque diffuſa eſt. De ſævitia Pontificiorum in cineres ipſius poſt mortem vide quæ annotavimus ad Lib. IV. num. [42].

1 *Morus*] Sub Henrico VIII. Magnus Angliæ Cancellarius. Magno Eraſmo amicitia conjunctiſſimus; admirandæ eruditionis & eloquentiæ vir, ut ejus opera, *Eutopia* in primis, & Græca in Latinam linguam à ſe verſa quam plurima teſtantur. *Thomæ Mori ingenio quid unquam finxit natura vel mollius, vel dulcius, vel felicius.* Eraſm. Epiſt. Lib. V. ep. 2. *Acutus Thomas Morus, & plenus aculei, ac ingenio.* Lud. Viv. de Trad. Diſcipl. Lib. III. Vide Eraſm. in Ciceroniano. *Anglicus Socrates* audit Cæſ. Scaligero in Epiſtola quadam. Erat, uti etiam & amicus ejus Eraſmus, ad jocos paulo, quam deceret, propenſior.

2 *Eraſmum*] Hic cum antèa *Gerardus Gerardi* diceretur, mutato nomine *Deſiderius Eraſmus* vocari voluit, ut docet Voſſius de Idol. Lib. III. cap. 84. Huic pluſquam alii cuiquam mortali debent renatæ per Europam literæ; nemo illo Latinius ſcripſit; veterum Patrum opera recenſuit, ſummoque judicio genuina à ſpuriis diſcrevit. *Ergo ingenioſus veterum ſcriptorum cenſor* audit Ludovico Vivi. *Sed acumen Eraſmianæ cenſuræ & certitudinem, quam in Latinis præſtitit, in Græcis prorſus deſiderat* vir doctiſſ. Joan. Hales notis in Chryſoſtom. Homil. in Hebr. Vide quæ de Eraſmo diximus in notis ad Lib. IV. num. [56]. Obiit An. Dom. 1536.

3 *Vivemque*] *Ludovicus Vives præclarus eloquentiæ magiſter, Cardinalis* [Wolſæi] *rogatu relictis ſuis Oxoniam venit, ubi in Jure Civili Doctor incorporatus, in Collegio Corporis Chriſti commoratus eſt: cujus eruditionem adeo latè patebat, ut non ſolùm omnis Academica, ſed etiam Aulicorum turba unà cum Rege Henrico, & Regina ad eum in Aula Collegii legentem audiendum avidiſſimè confluereret.* Brian. Twinus in Apol. Antiq. Oxon. Acad. Lib. III. num. 210.

4 *Juello*] Joannes Juellus patria Devonienſis, Collegiorum *Mertonenſis*, & *Corporis Chriſti* immortale decus, Epiſcopus Salisburienſi. *Juellus Anglicè ſonat Gemmam, vel potius monile gemmis conſertum: Et certè*

Alter erat *Terror*, *Tripliciſque ruina coronæ*,
Schiſmaticæ turbæ Malleus alter erat.
Quin *Stapiltonus* [1] fidei infenſiſſimus hoſtis
Dicitur ingenium hîc exacuiſſe ſuum:
Et didiciſſe artes, quibus uſus poſtea blandæ
In patriæ exitium transfuga vilis erat.
Defendi calamo ſi poſſes, Roma ſuperba,
Jam defenſa fores illius arte viri.
Quæ *Bellarminus* [2] doctè ſcripſiſſe videtur,
Ex *Stapiltoni* ſumpta fuere penu.
Hic docuit *Martyr* [3], monumentaque condidit illa, [10]
Quæ præſens ævum & ſecla futura legent.

Laus

certè qui in illo viro inſignes animi dotes, quibus tanquam immenſi pretii Gemmis ornatus eſt, ſpectârit; fateatur neceſſe eſt, rarò cuiquam nominis ſignificata aptiùs conveniſſe. Godwin. de Præſul. Angl. Vide nota sad Lib. V. num. [20].

5 *Hookero*] *Richardus Hooker Theologus modeſtia, temperantia, manſuetudine, & cæteris virtutibus imitandus, & ſupra multiplicem eruditionis laudem celebris, quam libri de Eccleſiaſtica Politeia, patria lingua editi, digniſſimi qui Latinè loquantur, abundè teſtentur.* Cambdenus in Annal. Elizab. ſub an. 1599. *Richardi Hookeri ſcripta ante annos multos vidi, & quamquam in ſermone mihi non percognito, facilè cognovi exactiſſimi Operis utilitatem: quæ tanta eſt, ut hunc quoque librum verti, ſed in Latinum ſermonem, pervelim.* Grot. in Epiſtola quadam ad Mer. Caſaubonum. Obiit An. 1600. Cui Vir Munificus D. Guliel. Couperus Eq. Aurat. Honoris ergò Monumentum poſuit.

1 *Stapiltonus*] Anglus, Theologiæ apud Lovanienſes Profeſſor, Pontificiæ Religionis propugnator acerrimus: doctus, ſed ad iracundiam propenſus. Huic Bellarminus plus debet, quam debere ſe profiteri voluit.

2 *Quæ Bellarminus*] Egregius Plagiarius erat Bellarminus, de cujus opere vir doctiſſ. Lancelot. Andræas Epiſcopus Wintonienſis, ſic ſcribit: *Tot*, inquit, *ibi mutua, & à tot, ut ſi recognoſcat quis, & ſuum cuique reddat, verſura facienda ſit Cardinali, & Controverſiarum craſſum opus vix oſſibus hæſurum.* in Reſponſ. ad Apol. Card. contra JACOBUM Regem.

3 *Martyr*] *Petrus Martyr, vir illuſtris, nec ſine ſummi honoris præfatione nominandus.* Joan. Juellus in Defenſ. Apol. Eccleſ. Anglic. *Petrus Martyr feliciter initiatus in Philoſophia, Hiſtoria, linguis, excellens Theologus, & ſtyli puri, ac quam Theologum deceat, melioris.* Scaligerana I. *Sacras literas magna cum laude docuit Argentorati & Oxonii in Anglia. Scripſit plurima, è quibus liber ille adverſus Stephani Gardineri librum, magnam ſibi famam comparavit. Opus longè accura-*

Laus erit Oxoniæ quod & hîc invenit Asylum
Usserius [1], secli gloria magna sui:
Optimus Antistes, meritò quem jactet *Ierne*,
Et stupeat tantum se peperisse virum.
Doctorum princeps, & vindex Relligionis
Priscæ, dum vixit, summus in orbe fuit.
Multa legenda dedit seclis, majora daturus,
Tempora vidisset si meliora senex.
Nec tu carminibus nostris reticeberis unquam [11]
Ingens Oxoniæ, *Laude* diserte [2], decus.

accuratissimum, in quo quicquid de Eucharistia in sacris literis, Patrum, Conciliorumque monumentis proditum sit, accuratè & copiosè tractatur. Gesner. in Biblioth. Vide notas ad Lib. V. num. [18].

1 *Usserius*] Jacobus Usserius Dublinii in Hibernia natus An. Dom. 1580. Cujus nomen primum omnium Collegii SS. Trinitatis apud Dublinienses Matriculæ (boni ominis instar futurum) inscriptum fuisse dicitur. Hic ejusdem Collegii Socius fuit, deinde (nisi fallor) Præpositus, Theologiæ Professor, & demum Archiepiscopus Armachanus, Totius Hiberniæ Primas. *Vir*, ut de eo Clariss. Seldenus, amicus ejus familiaris, *summa pietate, judicio singulari, usque ad miraculum doctus, & literis severioribus promovendis natus.* Notis in Marmor. Arundel. *Quo de viro, rerum divinarum humanarumque peritissimo, nihil possum dicere, quin ejus id virtus superet.* Voss. de Mathem. *Norunt quotquot literas meliores colunt, norunt & semidocti quanta fuerit Usserii, & quam diffusa eruditio, quam infinita lectio, quanta judicii gravitas. Inter tot certè literaturæ instauratores, & Orthodoxæ Religionis pugiles quos seculo postremo tulit orbis Britannicus, illum præ aliis habemus, quem nobismet ipsis gratulemur, & in re literaria Ducem statuamus.* Clar. Hen. Wharton. in Præfat. ad Usserii Histor. Dogmat. Obiit Anno 1655. Ætat. 76.

2 *Laude diserte*] Guliel. Laudus, primum Collegii D. Joannis Baptistæ apud Oxonienses Præses, deinde Episcopus Menevensis, mox Londinensis, & demum Archiepiscopus Cantuariensis. Vir in omni doctrinæ genere, in primis Theologia, versatissimus, ut ejus adversus Fischerum Jesuitam liber abundè testatur, literarum summus, dum vixit, Patronus, Ecclesiæ Anglicanæ immortale decus. Cum Ecclesiasticam disciplinam, jam labefactatam, restituere, & Scoticam Ecclesiam nostræ (atque adeo primævæ) conformem reddere vellet, Puritanorum in se odium & invidiam excitavit, & à Rebellibus securi percussus Martyr obiit an. Dom. 1644. Ejus munificentiam Præses & Socii Collegii D. Joannis Baptistæ experti sunt, quibus Collegium pulcherrimis ædificiis auxit, & adornavit: experta est & Academia Oxonien-

Namque fidem veterem ſcriptis defendere libris,
Et ſignare tuo ſanguine viſus eras:
Alter eras toto Cyprianus in orbe Britanno,
Schiſmata dum velles tollere, martyr obis.
Et *Chillingworthus*[1], doctuſque *Hammondus*[2] in
Ora obturabunt, impia Roma, tibi. (ævum[12]
Non erit his demum quod jure opponere poſſis:
Perdet hic imperium, perdet & ille tuum.
ALMA parens, ſacris & dilectiſſima muſis,
Hoc de literulis carmen agreſte tuis,
(Literulis, quarum ipſa fuiſti gloria ſumma
Ex quo ſunt natæ, ſiſque futura precor;)
Accipe, nec minimi contemnas munera vatis,
Qui, ſi fata ſinant, his meliora dabit:
Olim forſan erit ratio reddenda negotî,
Hanc rationem otî jam tibi reddo mei.
Zoïlus hos noſtros ſi tentet carpere luſus,
A ſævo rabidi dente tuere canis;
Nominis invidiamque tui fulgore repelle:
Cui non ſufficiat tale patrocinium?
Si tu digneris numero me aſcribere vatum,
Si tu, blanda parens, carmina noſtra leges:

Nil

Oxonienſis, cui Codices MSS. quamplurimos, ſummis toto orbe conquiſitos impenſis, donavit. Hujus vitam Pet. Heylin. S. T. P. & Eccleſiæ Weſtmonaſterienſis Præbendarius ſcripſit.

1 *Chillingworthus*] Auctor eximii Operis lingua Anglicana conſcripti, (utinam Latinè loqueretur!) in quo probatur, *Religionem Proteſtantium tutiſſimam eſſe ad Salutem viam.*

2 *Hammondus*] Henricus Hammondus S. T. P. Ædis Chriſti Oxon. Canonicus; qui tam Pontificiorum, quam Schiſmaticorum errores luculentiſſimis editis ſcriptis refutavit. Hic poſt multos labores Eccleſiæ & Reipublicæ cauſa exantlatos, in Domino placide obdormivit, Anno 1660. Vitam ejus optime conſcripſit Vir ſanctiſſimus, & *Dulce decus meum*, JOANNES FELL Epiſcopus Oxonienſis.

Nil moror indoctos, vivam, totumque per orbem,
Artes ingenuæ qua patuere, legar.
Tuque *Ædes Chriſti* celeberrima, Regia moles, [13]
Magnifica *Henrici*[1] ſurgere facta manu,
Quæ fueras noſtræ formatrix fida juventæ,
Sæpius O natis commemoranda tuis!
Quos blandoque ſinu refoves, atque ubere nutris,
Hic non es muſæ prætereunda meæ.
En accepta tibi tot fert res publica, noſtra
Totque accepta ſimul lumina templa ferunt,
Lucida quot claro glomerantur ſidera cœlo,
Vel quot melliferas paſcit Hymettus apes,
Perſtes, O Superos precor, inconcuſſa per ævum,
Et niſi cum mundo non ruitura mane.
Hic clariſque viris, juvenum doctæque catervæ [14]
Præſidet ALDRICIUS, gloria Pieridum:
A teneris annis quem nutrivere Camænæ,
Oſque ſonaturum magna dedere viro.
Nobilium natos (ſunt hi ſpes magna futuri
Secli,) præceptis imbuit ille bonis:
Excitat exemplis majorum ad Martia facta,
Ad virtutem illos excitat ipſe ſuo.
Hic ego tam fidos ſocios doctoſque reliqui,
Ut mihi dum vita eſt hos meminiſſe juvet.
Quos inter noſtri ſi quis non immemor extet,
Diſcere vel cupiat qua regione ſumus;

Hæc

1 *Henrici*] Ejus nominis Octavi, Regis Angliæ. *Eſt regia Muſarum ſedes, ſive operis molem mirandam, ſive ſtructuræ magnificentiam, ſive Studioſorum numerum, ſive proventus annuos inſpiciamus, ſi alicubi in orbe Chriſtiano, Chriſto Servatori dicata, Anno* MDXLVI. Auctor libri De Orbis Europæi Academiis. Collegium hoc, quo magnificentius vix ſol videt aliud, ædificiis ſumptuoſiſſimis laudatus Epiſcopus JOANNES FELL, hujuſce Collegii per annos pluſquam XXIV Decanus, & vir clariſſimus HENRICUS ALDRICH, S. T. P. Succeſſor ejus digniſſimus auxerunt.

Hæc reſponſa ferat: Regio eſt ditiſſima, cujus [15]
Pulſat ad occaſum littora curva mare:
Gens, ut fama refert, illam *Cornavia* quondam,
Incoluit, (Britonum pars ea magna fuit,)
Magnanimis fœcunda viris, quæque una Britannis
Dicta *Parens* olim *Nobilitatis* erat.
Ceſtria pulchra, Devæ quam lambit nobile flumen,
Eſt unde hæc regio nunc ſibi nomen habet;
Ceſtria, Romanis qua nulla Colonia priſcis
In toto hoc noſtro notior orbe fuit:
Dicta ita, quod Legio fertur *Viceſima victrix*
Hic Romanorum caſtra locaſſe ſua.
Præſulibus præclara ſuis; jam Præſule gaudens
Qui ſibi commiſſo eſt Regula ſancta gregi;
Quem pietas, & priſca fides commendat, & ingens
Hoc infelici tempore *Pacis amor*.
Merſæ ad ripam tumet undique collis amænus, [16]
Quem ſuper impenſis jam prope ſtructa meis
Stat domus, & parvam longè ſupereminet urbem,
Proſpectus circùm lætior unde datur,
Quam det in Æmathiam Muſis celebratus Olympus,
Inde licet Tempe conſpicienda jacent.
Urbem *Stopportam* dicunt: fuit illa *Baronum*,
Dum *Comitum* ſedes *Ceſtria* clara fuit:
Tempore fortunæ eſt mutatio facta; & utrique
Nunc tantùm *Magni nominis umbra* manet.
Templo, & Fonte ſuo *Stopporta* ſuperbit, & illo
Fonte ſalutiferæ quæ prope bullit aquæ.
Urbs nitida in primis, bellè ſita, rebus abundans,
Quæ ſat ſint vitæ, deliciiſque ſatis.
Fama refert, *Danos* ubi nunc *Stopporta* locatur, [17]
Affectos olim clade fuiſſe gravi;

Inde

Inde urbi nomen, prædonum incursibus obex
Quod datus, hic Anglis sit quoque parta salus.
Hic bonus ille senex MORTONUS Episcopus [1] olim
Pastor erat, scriptis clarus in orbe suis.
Hic mihi secessum, Deus hic dedit otia blanda,
Hic studiis voluit meque vacare bonis;
Tempora in his ipsis nocturnaque sæpe diurnis
Jungere, qua vita nulla beata magis.
Me puerum imberbem studia attraxere, senectam
Illa meam oblectent [2], siqua senecta manet.
Hic inter libros paucis contentus amicis,
(Si mihi nunc restent forsan in orbe duo,
Post obitum multorum, & funera acerba,) peroptem
Quod superest cursûs absoluisse mei.
Nam procul à strepitu Veterum dum scripta revolvo,
Ex illis disco vivere, disco mori [3].
Spernere terrena, & cœlestia quærere sola,
Nempe ea quæ nunquam sunt peritura bona.
Quæ mihi dum vivam rogo det Pater optimus, hæc
Det mihi Pastoris munus obire boni; (sunt:
Det fidei antiquæ populum, & pietatis amantem;
Concordes omnes detque videre pios,
Quotquot sub cœlo nunc Christi numen adorant;
In terris degens non ego plura peto.
Vel si fas sit plura rogare à Numine summo,
Sit contenta mihi mens rogo sorte mea,

Utile

1 *MORTONUS Episcopus*] Primùm Cestriensis, deinde Dunelmensis, de quo vide notas ad Lib. V. num. [20].

2 *Senectam Illa meam oblectent.*] Κάλλιστον ἐφόδιον τῷ γήρᾳ ἡ παιδεία. Aristot. apud Laert. Lib. V.

3 *Disco mori*] *O quam miserum est nescire mori!* Senec. in Agamem. III. 2. Miserum certè, mori velle, nec posse tamen; quod multis contingit: miserius, nolle ex hac vita discedere, cum Deus id jubeat.

Utile multis exemplum, ſolamen egenis,
Hoſtibus opprobrium ſit mea vita meis:
Hoſte etenim nunquam carui, quia diſſimulare
Moribus à noſtris res aliena fuit.
Sæpe eſt bile tumens in me teſtata furorem
Tale nihil meritum *Factio ſæva* ſuum.
Dum reliqui blanda fruerentur pace Britanni,
Solus ego belli incommoda paſſus eram.
Quæ mihi nec Gallus dederit, neque ſævus Iberus,
Sævior his cunctis *Factio* damna dedit.
Sæpe mihi mortem minitata, incendia tandem
Immiſit tectis *Peſſima turba* meis.
Cauſa eſt: *Gaudebam Regis patriæque ſalute,*
Nolebam Britones Gallica ferre juga.
Corripere hos miſeros ſolitus, qui ſæpe favere
Conſiliis viſi ſunt, *Ludovice*, tuis.
Qui patriæ adverſi ſi quid contingeret, auſi
Gaudia teſtari ſæpe fuere ſua.
Et quoniam à puero mihi verum dicere cordi,
Id multis iræ cauſa odiique fuit.
Huic, quia conſulerem, nollet peragrare popinas
Immemor officii, protinus hoſtis eram.
Illi, ne abſentis famam laceraret amici,
Linguæ ejus rabiem cogor & ipſe pati.
Denique quod ſtudui fratrum componere lites,
Atque inter ſeſe conciliare bonos,
Nunc hujus ſenſi partis, nunc illius iram:
Tam paucos labor hic demeruiſſe ſolet.
Bella nefanda placent, terras pax alma reliquit,
Prædaque fit, quiſquis ſit modo pacis amans.
Ut Chriſti Sponſam tamen alta in pace viderem,
Cultores omnes unanimeſque Dei,

Non

Non ego pauperiem, nec vincula ferre timerem:
Gauderem vitam ſic poſuiſſe meam.
Quamvis ſæpe meis aberat prudentia factis,
Semper eram ſummæ ſimplicitatis amans.
Odi, qui poterant [1] aliud ſub pectore ferre,
Atque aliud, (quo nil turpius) ore loqui;
Linguâ jurantes, injuratamque gerentes
Mentem, ceu vellent impoſuiſſe Deo.
Ergo inſtructus eram minùs artibus his, quibus omnis
Vita hominum plena eſt, *Fraude doloque malo.*
Sum peregrinus in hoc mundo, mihi patria cœlum,
Spes emigrandi eſt in patriamque mihi,
Quando optata dies veniet, qua corporis hujus
Ex triſti demum carcere liber ero.
Det Deus, ut vivam lethi memor, utque paratus
Inveniar, quando venerit illa dies:
Unica ſit ſemper ſtudiorum meta meorum,
Mente animoque Deum, qua datur, uſque ſequi! [2]
JAM loca *Stoppfortæ* quæ ſunt vicina decoræ
Carminibus veniunt commemoranda meis.
Mancunium pulchras inter vetereſque *Brigantum* 185
Urbes, dives opum, nobileque Emporium,

Ad

1 *Odi, qui poterant*] Ἐχθές μοι γὸ κεῖνος ὁμῶς ἀΐδαο πύλῃσιν Ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθῃ ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλο δὲ βάζῃ. Hom.

2 *Deum, qua datur, uſque ſequi*] *Inſtillabas enim auribus, cogitationibuſque quotidie meis Pythagoricum illud,* Ἕπου Θεῷ. Boeth. De Conſolat. Lib. I. Pythagoræ adſcribunt & Hippodamus Thurius apud Stobæum Serm. Cl. & Jamblichus in vita Pythagoræ Lib. II. Cicero vero, Plutarchus, Clemens Alex. aliique unius ex VII. Sapientibus effatum eſſe volunt. Plato hanc vocem celebrat in Phædro, & IV. de Republ. Hominiſque ſummum bonum & finem eſſe ſtatuit Θεῷ ἕπεσθαι. S. Auguſtinus Lib. De Virginitate, ait, *ſequi Deum eſſe imitari Deum.* Vide Senec. Lib. De vita beata. Item Epiſt. XC. & XCVIII. Et notas infrà ad num. [52].

Ad Boream diſtat quinque abs hinc millia paſſûm;
Sunt urbi *Templum*, & *Bibliotheca* decus:
Atque domus Muſis olim ſacra, Gymnaſiumque
Anglorum primis annumeranda Scholis.
Urbs *Comiti Illuſtri* titulos dat honoris, & ipſa eſt
Herois meritis nobilitata ſui;
Quem laudant reges, ad quos in flore juventæ
Legati ſacro munere functus erat.
Docta, favenſque ſacris gens MONTISACUTA Camæ-
Illa ſuit ſemper, Palladi utrique decus. (nis [19]
Oſtentant latè circùm ſua culmina pagi,
Non deſunt illis templa decora ſua:
Nec deſunt templis metuat quos impia Roma
Paſtores, annis & pietate graves.
At quæ Majorum pietas templis dedit olim
Munera, ſacrilegæ jam rapuere manus. (ni,) [20]
Non procul hinc montes (*Peccum* dixere Britan-
Conſurgunt, plumbo marmoribuſque graves:
Horrida perpetuis nivibus faſtigia tollunt,
Dum valles flores, verque perenne beant.
Hic vidi ex alto, aërioque cacumine montis
Nubes ſub pedibus pervolitare meis.
Per valles pingues cryſtallina flumina currunt
Quæ ſoleant undis prata rigare ſuis.
Editiora ovibus blandis loca paſcua præbent,
Dum flavæ ſegetes inferiora tegunt.
Hic paſſim videas (vicinia læta colonis
Quæ faciant,) urbes, Nobiliumque domus.
Chatſwortha in primis placidas *Deroëntis* ad undas
Sidera quod feriat vertice ſurgit opus, [21]
Devoniæ magno dum torret Sirius agros
Seceſſum, & præbens otia grata Duci.

Scotorum

Scotorum domus eſt Reginæ carcere clara,
Quæ inſidias multas ſtruxit, ELIZA, tibi.
Hic vixit, juxtà periitque *Hobbeſius* ille [22]
Qui miſer, ut vixit, Numinis hoſtis obît.
Peſtis erat vivens, & dum ſua ſcripta manebunt,
Converſo in cineres corpore peſtis erit.
Impia ſcripta viri quo ſunt majore referta
Ingenio, multis hoc nocuere magis.
Plurima naturæ regio miracula jactat,
Vates carminibus quæ cecinere ſuis:
Præ reliquis Orco ſimile, horrendumque barathrum,
Buxtonæ & calidæ concelebrantur aquæ. [23]
Hæc poſtquam voluit loca ceu per amæna vagando,
Ludere, (ſæpe ſacris vatibus illa favent,)
Nunc, HERBERTE, viri quæ ſit præſtantia docti,
Quæ exculti ingenii gloria, muſa canet.
NATALEM ante ſuum doctus vixiſſe videtur, [24]
Uſus præteritis, temporibuſque ſuis.
Quæſita ad prope cuncta aptè reſpondet, in omni
Re ſcit difficili conſiliumque dare.
(Quod niſi fortè domi ſit, propugnacula, & arma,
Et vis, atque animus nil valuere foris.)
Credideris totum, (latuit licet) îſſe per orbem,
Atque omnes terras incoluiſſe diu:
Sic Solymas ſanctas, Romam, ſic novit Athenas,
Notior ut non ſit vel ſua cuique domus;
Quamvis nec ſancta Urbs templum nunc jactet, Athe-
Nunc nec Athenis ſint, ipſaque Roma ruit; (næ [1]
Quin

1 *Athenæ*] Quas Ἑλλάς & Ἑλλάδα vocat Thucydides. *Omnium doctrinarum inventrices, in quibus ſumma dicendi vis & inventa eſt, & perfecta.* Cicero de Orat. Lib. I. *Unde humanitas, doctrina, religio, fruges, jura, leges orta, atque in omnes terras diſtributa putantur.* Idem pro Flacco. Denique D. Auguſtinus Lib. XVIII. De C. D. *Matrem ac nutricem liberalium doctrinarum, tot tantorumque*

Quin periere ruinæ, ipſa & peritura fuiſſent
Nomina, ni æternis ſcripta fuere libris.
Urbibus atque aliis quid nunc niſi nomina reſtant[1],
Nomina literulæ quæ vetuere mori?
Tot callet linguas, quot nunc ſunt, quotque fuerunt,
Accola quas Gangis, quas loquiturque Tagi.
Et quibus utuntur quotquot ſunt inter utrumque,
Poſſit ut indigenas quoſque docere ſuas.
Omnia luſtravit Naturæ arcana, animoque
Complexus magno eſt quicquid in orbe latet.
Scit quæ ſint rerum cauſæ, & miracula multa
Olim quæ populo viſa fuere rudi,
Naturæ effectus probat eſſe, at opus ſimul ipſam
Naturam magni comprobat eſſe Dei.
Multa in natura[2] ſciri quoque poſſe fatetur,
Ingenio nondum quæ patuere virûm;
Quale eſt, *Quadratum rite aſſignare Rotundi*[3],
Atque alia in lucem quæ dabit una dies.

Euclidis

que Philoſophorum, qua nil habuit Græcia clarius atque nobilius. Hinc inter cætera, ob quæ Plato gratias naturæ agere conſueverat, quod homo natus eſſet, non beſtia; Græcus, non Barbarus; mas, non fœmina; & hoc fuit, quod Athenienſis eſſet, non Thebanus. (Quæ verba tamen exagitat, & nihil dici poſſe delirius contendit Lactantius Lib. III. cap. 19. quem adi.) Vicus nunc eſt, & ab Italis, Barbariſque *Satines* appellatur.

1 *Quid nunc niſi nomina reſtant?*] Ἀποθνήσκουσι γὰρ καὶ πόλεις, ὥσπερ ἄνθρωποι. Lucian.

2 *Multa in natura*] *Neque enim omnia Deus humanis oculis nota fecit. Quota pars operis tanti noſtris oculis committitur? ipſe qui ea tractat, qui condidit, qui totum hoc fundavit, deditque circa ſe, majorque eſt pars operis ſui, ac melior, effugit oculos, cogitatione viſendus.* Senec. Nat. Quæſt. Lib. VII. cap. 30. Delirat verò, dum Deum *partem operis ſui* vocat, cum inter Deum & creaturam infinita ſit diſtantia.

3 *Quadratum ritè aſſignare Rotundi*] *Quæſtio de quadratura circuli multa præclara exercuit ingenia. Num quæſtionis Subtilitatem, an ingenii humani imbecillitatem, in cauſa eſſe dicemus, quod ſeculis tot fuere deſudatum in nodo ſolvendo, qui adhuc ſit involutus?* Voſſ. de Scient. Math. Lib. I. cap. 16.

Euclidis pandit problemata gentibus orbis,
Quoſque in vita uſus dia Matheſis habet.
Aſtrorum curſus, vaſtique volumina cœli
Deſcribit radio, nominibuſque vocat
Sidera quæ toto volvuntur in æthere clara,
Quæ ſibi mens certis fixit imaginibus.
Monſtrat qua major moveatur, qua minor Urſa,
(Eſt timidis nautis utraque nota fera)
Qua cœlique plaga vergat piger ille Boötes,
Serpens, Orion, qua niteatque Lyra:
Quando oritura docet ſint hæc, quando illa viciſſim
Caſura, & viſus ſint fugitura tuos.
Non tamen ex aſtris [1] naſcendi dicere quæ ſit [25]
Fauſta dies audet, quæ quoque fauſta minus:
Mens humana etenim divina agnoſcitur aura [2],
In quam nil cœli ſidera juris habent.
Innocui at poſſint ut tempora nôſſe coloni,
In tabulis brevibus pingit Ephemeridas;

1 *Non tamen ex aſtris.*] Vanitatem Aſtrologiæ (quam vocant) judicialis, verbis luculentis exponit Favorinus apud Gellium Lib. XIV. cap. 1. Inter cætera hæc ſcribit: *Planè homines non, quod dicitur, λογικὰ ζῶα, ſed ludicra, & ridenda quædam neuroſpaſta eſſe videantur, ſi nihil ſua ſponte, nihil arbitratu ſuo faciant, ſed aſtris ducentibus & aurigantibus.*

2 *Divina agnoſcitur aura*] Antoninus Imp. mentem vocat Θείας ἀπορροίας μέτοχον, Plato & Epictetus, Τὸ Θεῖον μέρος, Non rectè: Nos cum D. Auguſtino, *Animam, Dei non particulam eſſe, ſed creaturam credimus; ab illo, non de illo factum.* Vide Auguſt. Epiſt. 157. De origine animæ Lib. I. cap. 4. & Lib. III. cap. 3. & De C. D. Lib. XIII. cap. 24. Cum Auguſtino ſentit Epiphanius in Ancoreto, cap. 55. Οὔτε μέρος, inquit, Θεοῦ λέγομεν εἶναι τῶν ψυχῶν, ἔστε ἀλλότριον τὸ ἐμφυσήσαντος (ſic lego cum doctiſſ. Gatakero, non ut vulgo legitur ἐμφυσήματος,) πῶς ἂν τὸ λεπτὸν τοῦτο νοῆται Θεῷ μόνῳ ἐγνωσαι.

Conſcius influxûs cœlique in corpora cuncta
Quæ ſint ſub quovis ſidere agenda docet.
Prædicit varios lunæ ſoliſque labores,
Ex illis gentes nilque timere jubet.
Horridus in cœlo ſi ſurgat crine cometa [1],
Pallentem oſtenta ad talia nemo videt.
Unde tonent nubes, varios trahat unde colores
Iris, item quid ſit ſtellula nocte cadens;
Cur fluat, & refluat tumidum mare, viſcera terræ
Matris quid faciat contremuiſſe docet.
Circuitum cœli metitur, & infima terra
Millia quot paſſûm diſtet ab axe notat.
Si mundus totus [2] parvis conſtaret arenis,
Has omnes ſapiens computet arte ſacra.
Qui lunam mundum, plenamque animantibus ipſam
Dixere [3], hos vero comprobat eſſe procul:
Quin noctis reginam & non habitabile pondus,
Obſcurumque ſimul comprobat eſſe globum.
Quam partem ſphæræ tellus; quamque occupat unda;
Quæ paſſim in mundo nomina pontus habet;
Quæ plaga terrarum viſa haud habitabilis æſtu
Signat, perpetua quæ rigeantque nive;
Et quas obliquo proſpectet lumine Phœbus
Gentes, quæque umbris hoc radiante carent.
Eſſe docet populum cui ſint veſtigia noſtris
Adverſa, *Antipodas* quos vocitâre patres.

Regno-

1 *Cometa*] *Terrificum magna ex parte ſidus.* Plin. H. N. Lib. II. cap. 25. De Cometis & eorum cauſis vide Ariſtot. Meteor. Lib. I. capp. 6. & 7.

2 *Si mundus totus*] Vide notas ad Lib. III. num. [8]. pag. 65.

3 *Qui lunam mundum dixere*] Id docuerunt veteres; ſed hanc ſententiam ridet Lucianus in Ἰκαρομενίππῳ. Μονονοὺχὶ δὲ ὁμωνυμίας μόδιον μὴ εἶ τὸν ἥλιον, κατοικεῖσθαι τὴν σελήνην &c.

Regnorum fines, urbes, monteſque recenſet,
Antiquis ſignans, nominibuſque novis.
Flumina deſignat chartis, ambagibus & queis
Singula in æquoreas ritè feruntur aquas.
Enumerat gentes orbis, docet & regiones
Quas habitare olim, quas habitentque modò.
Archivis veterum ſervata numiſmata regum,
(Multis ſola manent hæc monumenta ſui,)
Sint exæſa licet fermè rubigine ſcabra,
Integra in his extant vixque elementa duo,
Ille legit facilè, & ſua cuique numiſmata regi
Aſſignat, monſtrat cur quoque cuſa forent.
Sunt Ægyptiacis inſcripta arcana columnis [26]
(Viſa olim populo non retegenda rudi;
Signaque in his mentis pictæ volucreſque, feræque,
Literulæ nullæ, (non ego ficta cano)
Perſcrutans rerum naturam, & proprietates,
Hæc legit, atque illis ſignificata docet.
Non ipſum latuit miſeræ quo tempore gentes
(Poſteaquam verum deſeruere Deum,)
Primùm orare deos multos, idolaque multa
Auſæ, fingentes numina vana ſibi.
Quamvis non uno [1] ſignarent nomine numen
Unum & idem, cultu nec coluere pari:

1 *Quamvis non uno ſignarent nomine*] Sapientiores inter gentes Unum Deum, ſub variis tamen nominibus coluiſſe conſtat; in primis Stoicos, quorum dogma, referente Diog. Laertio, illud erat: Ἕντε ἓν Θεὸν, καὶ νοῦν, καὶ εἱμαρμένην, καὶ Δία, πολλαῖς τε ἑτέραις ὀνομασίαις προσονομάζεσθαι. κατ' ἀρχὰς μὲν ἓν καθ' αὐτὸν ὄντα &c. *Hæc omnia nomina*, ait S. Auguſtinus, *impoſuerunt uni Deo, propter cauſas poteſtateſque diverſas, non tamen propter tot res, etiam tot Deos eum eſſe coegerunt.* De C. D. Lib. VII. cap. 11.

1 *Nunc homines vita functos*] Teſtis erit M. T. Cicero, qui libro De nat. Deor. ſic ſcribit: *Suſcepit*, inquit, *vita hominum, conſuetudoque*

(Ut ſibi diſſimilis ſemper malus extitit error,)
Ex veterum ſcriptis eruit ille tamen,
Quis fuerit Belus, quæ Aſtarte, quiſque Taautus, [27]
Quæ famoſa Iſis, quis quoque Oſiris erat.
Corniger & Serapis, (trepidaſſe hos accola Nili
Dicitur, & quid non horruit ille miſer?)
Jupiter & quis, (proh pudor & quam turpis adulter!)
Monſtra dearum hæc ſunt, Juno, Diana, Venus.
Sub quoiis nominibus nunc cœli ſidera, mundi
Nunc aliam partem, qualia terra, mare,
Ignis & aër, (ut taceam, quod turpe relatu eſt,
Serpentes cultos, quadrupedeſque feras;)
Nunc homines vita functos [1], nunc dæmonas ip-
Incluſos ſtatuis hos coluiſſe patet. (ſos [28]
Simiaque ut ſolet eſſe hominis, ſic Omnipotentis
Uſque imitator erat ſpiritus ille malus.
Templa, Sacerdotes, habuit ſacraſque puellas
(Veſtales dictas,) pontificeſque ſuos.
Sanguine taurorum maduerunt illius aræ,
Agnus ſæpe bidens huic quoque cæſus erat.
Hoſtia & humana [1] Pœni hunc placâſſe feruntur, [29]
Stupro idem cultus ſævitiaque fuit.

Nil

doque communis, ut beneficiis excellentes viros in cœlum fama ac voluntate tolleret. Hinc Hercules, hinc Caſtor, hinc Pollux, hinc Æſculapius, hinc Liber, ut totum cœlum humano fere genere completum ſit: & ſi voluero ſcrutari vetera, & ex illis ea, quæ ſcriptores Græciæ prodiderunt eruere coner, ipſi illi Majorum gentium Dei qui habentur, hinc à nobis profecti in cœlum reperientur. Quære, quorum demonſtrantur ſepulchra in Græcia; reminiſcere, quoniam es initiatus, quæ traduntur, myſteriis; tum denique, quam hoc latè pateat, intelliges. Vide ipſum in libb. de Legibus, & Tuſcul. Quæſt. & Lactant. Lib. I. cap. 15.

1 *Hoſtia & humana*] *Infantes penes Africam Saturno immolari ſolitos palam uſque ad Proconſulatum Tiberii* teſtatur Tertullianus in Apolog. cap. 8. Vide Grot. De Ver. Rel. Lib. II. cap. 12. & ibid. notas.

Nil non numen erat, facta es dea tu quoque *Pallor*,
Et *Febri*[1] Romæ templa fuere ſacra.
Verſantum in tenebris tantis fuit optimus ille,
Qui temnens gentes quos coluere deos,
Credidit eſſe Deum (ignotum tamen,) omnia ſolus
Qui fecit, pura & mente colendus erat.
Scriptores ſacri doctis teſtantur Athenis [30]
Quod fuit *Ignoto* huic ara dicata *Deo*.
Thracius olim Orpheus quem carmine dixit Ιαὼ[2],
Non dubitat verus quin foret ille Deus,
Judæis cultus, notus ſub nomine JOVÆ,
Inde auſa eſt hominem[3] Roma vocare *Jovem*[4],
Scilicet impurum natum Cretæ, atque ſepultum[5],
Infamem ſtupris flagitiiſque ſuis.

1 *Et Febri*] *Febris enim fanum in Palatio conſecratum videmus.* Cic. De nat. deor. Lib. III. vide Plin. H. N. Lib. II. cap. 7. *Illud vitioſum Athenis, quod Cylonio ſcelere expiato, Epimenide Crete ſuadente, fecerunt Contumeliæ fanum, & Impudentiæ.* Cic. de legibus Lib. II.

2 Ιαὼ.] Παρὰ δὲ τοῖς Ιουδαίοις Μωσῆν τὸν Ιαὼ ἐπικαλούμενον θεὸν πεποιήσεως τὸν ἑαυτῷ δι' ὑπόνοιαν. Diod. Sicul. Lib. I. cap. 94. Apollo item Clarius apud Macrobium Saturn. Lib. I. cap. 18. ſic loquitur:

Φράσεο τὸν πάντων ὕπατον θεὸν ἔμμεν' Ἰαώ.

3 *Inde auſa eſt hominem*] Hominem fuiſſe Jovem etiam Plautus in proœmio Amphitryonis Mercurium ipſum introducit teſtantem:

Jupiter, non minus quam noſtrûm quivis formidat malum,
Humana matre natus, humano patre.

4 *Jovem*] *Hinc patet*, inquit Marcus Marinus, *ethnicos ſuum Jovem ab hoc denominaſſe, cum priſcis omnibus una fuerit de rebus divinis Theologia, quæ à Græcis poſteà ad fabulas verſa eſt.* In Theſauro Linguæ Sanctæ, quem Arcam Noæ vocat.

5 *Natum Cretæ atque ſepultum*] *Antrum Jovis in Creta viſitur, & ſepulchrum ejus oſtenditur*, ait S. Cyprianus. Videndi Min. Felix in Octavio, Callimachus Hymno in Jovem, & Athenagas in Apol.

Graii qui ante alias gentes ſimulachra colebant, [31]
Primi dixerunt, *Nullus in orbe Deus* 1.
Qui verum ſprevere Deum, illi vel trepidarunt
Omnia, (ſæpe ut fit,) vel metuere nihil.
Barbaricos ſoliti quod ſint hos dicere Graii, [32]
Graios ingenio qui ſuperâre, notat.
Barbarus Æſopus 2 Graiis, his barbarus olim
Ille (ut priſca refert fama) Anacharſis 3 erat.
At quales homines! equidem vix hiſce duobus
Quos jure opponat Græcia tota tulit.
Nulla eſt in terris regio, quæ non Sapientes
Gignat, quæ mentem non foveatque bonam:
Quin exempla dabunt virtutis Thraces & ipſi,
Quique bibunt Tigris, qui quoque Gangis aquas.
Cunctorum hiſtorias, leges, mores populorum [33]
Percurrit magna cum utilitate ſua:
Hæc docuere ipſum quid ſit laudabile, quid non,
Quàm Zeno meliùs, quàm docuitve Plato.
Quæ fuerint veterum Sapientum dogmata monſtrat,
Quæ ſint vera in eis, quæ quoque falſa docet:
Quam

1 *Nullus in orbe Deus*] Ælianus barbaras gentes in eo præfert Græcis, nempe *Quod nemo barbarorum eſſet Atheus:* ait enim, Καὶ τίς ἂν ἐπήνεσε τὸν τῶν βαρβάρων σοφίαν; ἄγε μηδὲς αὐτῶν εἰς ἀθεότητα ἔκπεσε, μηδὲ ἀμφιβάλλεσι περὶ θεῶν, εἰσὶ γάρ εἰσι, καὶ ἔκ εἰσιν· καὶ ἀεί γε ἡμῶν φροντίζουσιν, ἢ οὔ; Var. Hiſtor. Lib. II. Cui conſentit Ariſtoteles, Ὁ θεομάχος (Atheiſmum intelligit) ἐν τοῖς ἀνθρώποις ἀπανθ' μάλιστα ἢ ἐν τοῖς βαρβάροις ἴδοι. Ethic. Lib. VII. cap. 1.

2 *Barbarus Æſopus*] Erat enim natione Phryx, vixitque temporibus Cyri & VII. Sapientum. De eo videndi Maximus Planudes in vita. Quintilianus Inſtitut. Lib. I. cap. 9. & Lib. V. cap. 11. A. Gell. Noct. Attic. Lib. II. cap. 9. & Ariſtoph. in Avibus.

3 *Anacharſis*] De quo Clemens Alex. Strom. I. Σκύθης ἦν καὶ Ἀνάχαρσις οὗτος καὶ πολλῶν παρ' Ἕλλησι διαφέρων ἔτι ἀναγράφεται φιλοτόμων. Hunc *Sapientiæ admirandæ virum* vocat Cicero in V. Tuſcul. Floruit temporibus Solonis. Vita ejus à Diog. Laertio conſcripta eſt.

Quam multa ex ſcriptis tacito ſed nomine Moſis [34]
In ſua transfundens hauſerit ipſe Plato [1];
Deque ſuo quàm multa imprudens addidit idem,
Quæ minimè ingenio digna fuere viri.
Qualia ſunt de mundi anima per cuncta meante,
Quæ fertur ſcriptis inſeruiſſe ſuis.
Socratis at ſtudium laudat, quod *Quærere ceſſans* [35]
Quæ ſupra nos ſunt [2], proficiuntque nihil,
Incubuit totus formandis moribus [3], hiſque
Inveſtigandis quæ faciunt animum;

1 *Plato*] Hunc & pleroſque alios Græcorum Sapientum fures fuiſſe docet Clemens Alex. utpote Παρὰ Μωϋσέως καὶ τῶν περιτῆς τὰ κυριώτατα τῶν δογμάτων ἐκ εὐχαρίστως ἐληφότας. Strom. Lib. V. Platonem vero ſpeciatim vocat Τὸν ἐξ Ἑβραίων φιλόσοφον. Strom. Lib. I. Ζηλωτὴς Μωϋσέως ὁ πάντα ἄριστος. Idem Pædag. Lib. III. De Moſe quoque ſic Conſtantinus M. ſeu potius Euſebius in Orat. ad Sanct. Cœtum: Ὃς τοσοῦτον ὑπερῆρε σοφία τοὺς περὶ αὐτὸν, ὥστε καὶ τοὺς ἐπαινουμένους ὑπὸ τῶν ἐθνῶν ἔτι σοφοὺς καὶ φιλοσόφους, ζηλωτὰς τῆς ἐκείνου σοφίας γενέσθαι. Πυθαγόραν γὰρ τὴν ἐκείνου σοφίαν μιμησάμενον εἰς τοσοῦτον ἐπὶ σωφροσύνῃ διαβεβόησθαι, ὥστε καὶ τὸ σωφρονέστατον Πλάτωνι παράδειγμα τῶν ἑαυτοῦ ἐγκράτειαν καλεσθῆναι. Cum Sacerdotibus Ægyptiis, quorum Sapientia Magna ex parte à Moſe fuit, verſatum fuiſſe Platonem, quis neſcit? Fatetur id Quintilianus: *Hic non contentus*, inquit, *diſciplinis, quas præſtare poterant Athenæ; non Pythagoreorum, ad quos in Italiam navigaverat; Ægypti quoque Sacerdotes adiit, atque eorum arcana perdidicit.* Inſtitut. Orat. Lib. I. cap. 12. Nota eſt Numenii Philoſophi vox: Τί ἐστι Πλάτων, ἢ Μωσῆς ἀτθικίζων; Vide Selden. De jur. nat. & gent. Lib. I. cap. 2.

2 *Quæ ſupra nos ſunt*] Ejus dictum erat, Ἃ ὑπὲρ ἡμῶς, τί πρὸς ἡμᾶς; Vide S. Auguſt. *De Quantitate animæ.*

3 *Incubuit totus formandis moribus*] *Socrates, qui totam philoſophiam revocavit ad mores, & hanc ſummam dixit eſſe Sapientiam, bona malaque diſtinguere, Ut ſis beatus, inquit, & te alicui ſtultum videri ſine.* Senec. Epiſt. 71. Vide notas ad Lib. III. num. [22].

Quæque viderentur multùm conducere ad illam
Vitam, quæ dici ſola beata poteſt.
Damnabunt cultum conſtantia Socratis, & jus
Inviolandum animi, Roma profana, tuum:
Intrepidè ille hominum figmenta colenda negavit;
Maluit, idolum quam coluiſſe, mori.
Nobile philoſophorum par florebat Athenis [36]
(Sic vaga fama refert) diſſimili ingenio:
Plorabat lachymis cuncta *Heraclitus*[1] obortis,
Inceſſit ridens omnia *Democritus*:
Scit, quid ridendo hic, quid flendo tradidit alter,
Judicat hos hominum res trutinaſſe malè.
Nam neque res ſemper fletus decet inſpicientem,
Nec ſemper riſu pulmo agitandus erit:
Pauca videt Sapiens quæ ſint motura cachinnum:
Quæ moveant lachrymas plurima ubique videt.
Scit quid diſcipulos taciturnos[2] ſobrius ille[3] [37]
Et patria profugus Pythagoras[4] docuit:

Cujus

1 *Plorabat lachrymis cuncta Heraclitus*] Τοῖς ὴ σοφοῖς ἀντὶ ὀργῆς Ἡρακλείτῳ μὴν δάκρυα, Δημοκρίτῳ ὴ γέλως ἐπήει. ut de illis ait Sotion apud Stobæum. Vide Senec. De Ira. Lib. I. cap. 10. Juvenal. Sat. X. ver. 28. & Suidam in voce Δημόκριτος.

2 *Diſcipulos taciturnos*] Quinquennale ſilentium diſcipulis imperare ſolebat Pythagoras, qui Ἀκουσικοὶ proinde dicti. Πενταετίαν τε ἠσύχαζον, μόνον τὸν λόγον καλακκοῦντες. Diog. Laert. in vita Pythagoræ. Unde natum Proverbium Σιωπηλότερος τοῦ Πυθαγόρα τελεσθέντων. Vide A. Gell. Noct. Attic. Lib. I. cap. 9.

3 *Sobrius ille*] Ab animalium carnis eſu omnino abſtinebat, & ſuos abſtinere docuit Pythagoras. Hinc Lucretius:

Vive bidentis amans, & culti villicus horti,
Unde epulum poſſis centum dare Pythagoreis.

Alii negant; inter quos Plutarchus apud Gellium Lib. IV. cap. 11. Ariſtotele auctore. Plutarchi verba ſunt: Ἀριστοξένης ὴ μητρὸς,

Cujus erat dogma illud ineptum, ſcilicet *Unam*
Permultorum animam membra ſubire virûm:
Et, ſi vera refert fama, affirmare ſolebat
Informaſſe animam [1] corpora multa ſuam.
Diſcipuli ulteriùs progreſſi, membra ferarum
Humanas animas ſæpe ſubire docent.
Scit cur Pythagoræ fuit olim culta Tetractys [2], [38]
Et cur Philoſophus carnibus abſtinuit;
Abſtinuitque faba [3]; Hebræorum ſacra imitatum [4]
In rebus multis hunc Samiumque notat:

Cujus

τερας, καὶ καρδίας, καὶ ἀκαλύφης, καὶ τοιούτων ἄλλων ἀπέχεσθαι φησι τὸς Πυθαγορικὸς, χρῆσθαι δὲ τοῖς ἄλλοις.

4 *Et patria profugus Pythagoras*] E Samo enim ob Polycratis tyrannidem ſibi diſplicentem in Italiam commigravit, ibique ſcholam aperuit, teſte Plutarcho in Placit. Philoſop. Lib. I. cap. 3. De eo Ovidius Metamorph. Lib. XV.

1 *Informaſſe animam*] Apud Ovidium enim ſic loquitur:

Ipſe ego nam memini Trojani tempore belli
Panthoïdes Euphorbus eram.

Hic credo, inquit Lactantius, *quòd erat ignobili genere natus familiam ſibi ex Homeri carminibus adoptavit. O miram & ſingularem Pythagoræ memoriam! O miſeram oblivionem noſtrum omnium, qui neſcimus, qui antè fuerimus!*

2 *Tetractys*] Sic jurare ſolebant Pythagorei; ut eſt in carminibus aureis:

Ναὶ μὰ τὸν ἀμετέρᾳ ψυχᾷ παραδόντα Τετρακτύν,

Quid verò per Τετρακτὺν ſignificabant, parùm conſtat: Videndus Hierocles in carmina jam dicta. Doctiſſ. Seldenus eo ſacroſanctum Dei nomen Tetragrammaton יהוה ſignificari nullus dubitat; Heſychium ſecutus cujus hæc ſunt verba: Τετρακτὺς, Πυθαγορικὸς ὅρκος, ἤγουν, ἀπὸ τεσσάρων στοιχείων σημαίνων. Vide Capnion. Cabalæ Lib. II. Et de Verbo mirifico Lib. II. cap. 10.

3 *Abſtinuitque faba*] Unde verſus hic de eo apud Clementem Alexand. Strom. Lib. III.

Ἴσον τοι κυάμους τραγεῖν, κεφαλάς τε τοκῆας,

Atque alter Empedoclis:

Δειλοὶ, παυσάδειλοι, κυάμων ἀπὸ χεῖρας ἔχεσθε.

Vide A. Gell. Noct. Attic. Lib. IV. cap. 11.

4 *Hebræorum ſacra imitatum.*] Λέγει γὰ, ὡς ἀληθὴς ὁ ἀνὴρ ἐκεῖνος

Cujus ea obſcura ex Hebræis *ſymbola* [1] planè,
Atque Ægyptiacis fontibus hauſta videt.
Et videt unde hauſit Zeno id, nempe *Omnia in orbe*
Supremo flammis interitura [2] *die.*

[39]
Quin

ἐκεῖνο, πολλὰ τῆς φιλοσοφίας Ἰουδαίοις νομίμων εἰς τὸν αὐτὸν μετενεγκεῖν φιλοσοφίαν. Hermippus de Pythagora apud Joſephum contra Appionem Lib. I. Idem affirmat Origenes cont. Celſ. Lib. I. Hunc *ex populo Judæorum genus traxiſſe* pleroſque arbitrari teſtatur D. Ambroſius in Epiſtola ad Irenæum Tom. III. Theodoretus vero nec à Circumciſione abſtinuiſſe docet Therapeut. Lib. I. Idem tradit Clemens Alex. Strom. I Certe Conſtantinus M. *Moſis ſapientiam illum imitatum eſſe affirmare* non dubitat, apud Euſeb. Orat. ad Cœtum Sanctorum cap. 17. Id ipſum Ariſtobulus Hebræus, & philoſophus Peripateticus; item Euſebius & Hieronymus prodidere; nec id negat Jamblichus: Auditorem etiam fuiſſe Ezechielis prophetæ in Babylone ex Porphyrio, & Clemente Alex. colligit vir ad miraculum doctus Joan. Seldenus De jure nat. & gent. Lib. I. cap. 2.

1 *Symbola*] Qualia erat, Δακτύλιον μὴ φορεῖν, μηδὲ εἰκόνας αὐτοῖς ἐγχαράσσειν θεῶν: quibus ſimulachrum Dei fieri prohibebat. Et illud, Τὸ ἀνησιμαίων ἀπέχεσθαι, referente Clem. Alex. Strom. Lib. V. Item Ζυγὸν μὴ ὑπερβαίνειν, quod à Moſe traductum fuiſſe docet idem Clemens, & ſic interpretatur, Μὴ παρεγχεῖν τὸ πρὸς τὰς διανομὰς ἴσον, τιμῶντας τὸν δικαστήν.

2 *Flammis interitura*] Hoc Zeno Cittieus *Stoicorum pater* (uti audit Ciceroni) docuit, quod à Phœnicibus hauſiſſet, illi vero ab Hebræis. (fuit Zeno patria quidem Cyprus, ſed è Phœnicia oriundus, Phœnices etiam urbem Cittium incoluiſſe auctor eſt Suidas, quapropter Zeno Phœnix appellatus eſt, Φοινὶξ ἐπεκλήθη, ὅτι Φοίνικες ἐποικοι τὸ τολιχνίς ἐγένοντο.) Ἦν δέ πολε, ὦ παῖ, πῦρ τὸ πᾶν, καὶ γενήσεται πάλιν ἐν περιόδῳ. Phurnutus Stoicus libro Περὶ θεῶν φύσεως. *Mundo quidem minantur interitum, & hoc univerſum, quod omnia divina humanaque complectitur, ſi fas putas credere, dies aliquis diſſipabit, & in confuſionem veterem tenebraſque demerget.* Senec. De Conſolat. Hac Conflagatione purgandum fore, non interiturum mundum docuerunt Stoici. Καὶ πάλιν ἐκ τούτου αὐτῶν ἀπειλοῦσι τὸν διακόσμησιν, οἷα τὸ πρότερον ἦν. Ita Numenius apud Euſebium. Φασὶ δ' οἱ ἀπὸ στοᾶς καὶ πάλιν ἀπολήγειν τὸ παντὸς γενέσεως, καὶ ἐξῆς αὐτὴν διακόσμησιν πάντ' ἀναλλάκτα ἔχειν. Origen. cont. Celſ.

Quin clara hiſtoriæ ſacræ veſtigia cernit
In ſcriptis his quæ turba profana dedit:
Nempe ut primus homo [1] graviter peccaverit, ejus [40]
Uxorem incautam decipiente fera:
Inde ut mortales contagio ſerpſit in omnes,
Et facile gentes in mala cuncta ruunt.
Crimina & ob generis noſtri ut terra obruta quondam
Diluvio; his veri fabula imago fuit.
De vulgo obſervat Sapientum, quos potuere [41]
Scripta prophetarum fortè latere ſacra,
Ut pugnent [2] aſſignando primordia rerum,
Hic tribuit flammis omnia, ut alter aquis.

Sic

Celſ. Lib. IV. putatque à veteri Judæorum gente hæc Stoicos habuiſſe. Idem tradunt S. Chryſoſt. in Act. XVII. & Clemens Alex. Strom. V. Vide Diog. Laert. in vita Zenonis. Hinc Ovidius Metamorph. Lib. I.

Eſſe quoque in fatis reminiſcitur affore tempus,
Quo mare, quo tellus, correptaque regia cœli
Ardeat, & mundi moles operoſa laboret.

Legendi hic omnino Cicero De nat. deor. Lib. II. (*Panætium*, inquit ille, *addubitare dicebant, ut ad extremum omnis mundus igneſceret &c.*) Cenſorinus De die natali, cap. XVIII. Athenagor. Legat. pro Chriſtianis cap. XV. S. Auguſt. de C. D. Lib. XII. & Nemeſius De nat. hom. cap. 38.

1 *Nempe ut primus homo*] Vide Euſeb. Præp. Evangel. Lib. XII. cap. 11.

2 *Ut pugnent*] Hoc philoſophorum libros evolventi ſatis conſtabit: Thales enim Mileſius principium rerum eſſe dixit aquam; Anaximander, Infinitum, (nec exprimit quid ſit Infinitum;) Anaximenes, aërem; Anaxagoras, ſimilares partes; Archelaus, aërem & Infinitum; Pythagoras numeros, (vel potius Μονάδα, ſic enim de eo ſcribit Plutarchus in Placit. Πυθαγόρας τὴν ἀρχῶν τὸν μὲν Μονάδα θεὸν καὶ τ' ἀγαθὸν, ἥτις ὁδὲν ἧ τὸ ἑνὸς φύσις, αὐτὸς ὁ νοῦς: Per Μονάδα, unum Deum, rerum omnium auctorem ſignificans, quod clariùs exprimit Diog. Laertius in vita: Ἀρχὰς μὲν ἁπάντων μονάδα, ἐκ δὲ τῆς μονάδος ἀόριστον δυάδα, ὡς ἂν ὕλην τῇ μονάδι αἰτίῳ ὄντι ὑποστῆσαι. Inde celebre illud Platonicorum dictum, Ἡ μονὰς εἶζα τῶν ἁπάντων.) Heraclitus & Hippaſus, ignem; Epicurus atomos;

Sic inter ſe convenientes, machinæ ut illæ
Conveniunt, horas quæ reſonando docent.
De verbis tantum multos pugnare fatetur,
De rebus forſan mens quibus una fuit.
Quid Druidæ [1] docuere olim, quid Gymnoſophi-
Perſarum novit quid docuere Magi [3]: (ſtæ [2], [42]
(Quamvis

tomos; Empedocles, quatuor elementa: Socrates & Plato, Deum, materiam, ideam; Ariſtoteles, materiam, formam, privationem, quatuor elementa, & quintam eſſentiam. De his rebus videndi Plutarchus De placit. philoſoph. Lib. I. cap. III. Vitruvius de Architect. Lib. VIII. in Præfat. Senec. Nat. Quæſt. Lib. III. cap. 13. ante omnes Lactantius De Ira Dei cap. 10. Ut verum ſit, quod de philoſophis ſcribit Vives De corrupt. art. Lib. V. *Philoſophos*, inquit, *videas homines à duobus Vitiis longiſſimè impulſos, imperitia, & quam imperitia gignebat, ſuperbia, ea invexiſſe placita in cognitione naturæ, ad quæ nec vetulæ nec pueri riſum teneant: qualia ſparſim recenſet Ariſtoteles, ſed Plutarchus quatuor voluminibus in id dicatis. Quam & abſurditatem & diverſitatem opinionum cauſam fuiſſe Socrati ſcribit in commentariis Xenophon. quamobrem ab inquiſitione naturæ rerum in totum abſtinuerit, tametſi cauſa non ſatis juſta, quæ aliquem à contemplatione naturæ abduceret.*

1 *Druidæ*] *Illi rebus divinis interſunt, ſacrificia publica ac privata procurant, religiones interpretantur. Hi certo anni tempore in finibus Carnutum, quæ regio totius Galliæ media habetur, conſidunt, in loco* (lege cum doctiſſ. Caſaub. *in luco*) *conſecrato. Huc omnes undique, qui controverſias habent, conveniunt, eorumque judiciis decretiſque parent. Diſciplina in Britannia reperta, atque inde in Galliam tranſlata eſſe exiſtimatur.* Cæſar De bello Gall. Lib. VI. Καὶ ὅσοι τὸν Δρυϊδῶν ἀκριβεστάτως ἐπιστημονικῶς φιλοσοφῆσαι, σέβεσθαι δὲ τοὺς, ἢ μηδὲν κακὸν δοᾶν, ἢ ἀνδρείαν ἀσκεῖν. Diog. Laert in Proœm. Vide Plin. C. N. Lib. XVI. cap. 44. Melam. Lib. III. cap. 11. & Lucan. Lib. I. Hos ſuſtulit Tiberius teſte Plinio Lib. XXX. cap. 1. Deinde ſubjicit, *Non ſatis æſtimari poteſt, quantum Romanis debeatur, qui ſuſtulere monſtra, in quibus hominem occidere* (humanis victimis utebantur,) *religioſiſſimum erat, mandi vero etiam ſaluberrimum.*

2 *Gymnoſophistæ*] Iidem qui Brachmanes, Indorum philoſophi, de quibus ſic Tullius: *Quæ barbaria*, inquit, *India vaſtior, aut agreſtior? in ea tamen gente, hi qui ſapientes habentur, nudi ætatem agunt, Caucaſi nives hyemalemque vim præferunt ſine dolore; cum ad flammas ſe applicuerint, ſine gemitu aduruntur.* Tuſcul. Quæſt. Lib. III. De moribus & doctrina eorum ſic Clemens Alex. Strom. Lib. III. Βραχμᾶναί γ' οὖν ὅτε ἐμψυχον ἐσθίουσιν, ὅτε οἶνον πί-

νουσι,

(Quamvis quid Druidæ docuerunt, non ita conſtet,
Scripta quòd à Druidis [1] litera nulla fuit:)
Scit qui affirmarent, æternum exiſtere mundum, [43]
Paſſurum nullo temporeque exitium:
Æternum non eſt quodcunque movetur; is ergo
Mundus ab æterno mobilis eſſe nequit [2].
Omnis enim motus fit tempore, & omne moveri
A puncto ad punctum, quod moveatur, habet.
Si ſine principio ſol poſſet in orbe moveri,
Nil prius omnino, poſteriuſve foret.

Si

ιστι, καὶ ἀφεγνῶσι ὃ θανάτῳ, καὶ παρ' ὃ δεῖν ἡγῆσθαι τὸ ζῆν, πείθονται γὰρ εἶναι παλιγγενεσίαν. De his plura vide apud Strab. Lib. XV. Philoſtr. Lib. III. Porphyr. De Abſtinent. Lib. IV. Apulei Florid. Lib. I. Tertull. Apol. cap. 41. Euſeb. cont. Hierocl. Lib. V. Lucan. Lib. III. & Palladium de Brachmanibus.

3 *Magi*] Μάγοι, γένος Πέρσαις οἱ φιλόσοφοι, καὶ φιλόθεοι *ait Suidas in voce* Μάγοι. *Sapientum & doctorum genus Magorum habebatur in Perſis.* Cic. De divinat. Idem docet Porphyrius De Abſtin. Lib. IV. *Perſarum lingua Magus eſt, qui noſtra Sacerdos.* Apul. in Apol. Οἱ καλούμενοι Μάγοι, γένος τοῦτο μαντικὸν καὶ θεοῖς ἀνακείμενον, ὡς φασὶ Πέρσαις, &c. Lucian. De Longævis. Quæ fuerint horum artes docebunt te S. Baſilius Hom. De nativit. Sozomen. Lib. II. cap. 9. Philo De ſpecialib. legibus. Lactant. Lib. II. num. 16. & Lib. VII. num. 13. *Magia ſine dubio orta in Perſide à Zoroaſtre.* Plin. H. N. Lib. III. cap. 8. Cui aſſentiuntur Juſtinus Martyr Lib. I. S. Auguſt. De C. D. Lib. XXI. cap. 14. & Oroſ. Lib. I. cap. 4.

1 *Scripta quòd à Druidis*] *Neque fas eſſe exiſtimant ea* [ſcil. ſuperſtitioſa dogmata] *literis mandare, quum in reliquis fere rebus publicis privatiſque rationibus literis utantur.* Cæſar ubi ſupra.

2 *Ab æterno mobilis eſſe nequit*] Φανερὸν ὅτι ἀναγκαῖον εἶναί τι ἀίδιον, ὃ πρῶτον κινεῖ. & mox, Ἀναγκαῖον εἶναί τι, τὸ δὲ ἀκίνητον μὲν αὐτὸ πάσης τῆς οὐσίας μεταβολῆς καὶ ἀπλοῦν καὶ κατ' ἐνέργειαν ὄν, κινητικὸν δ' ἑτέρου. Ariſtot. Nat. Auſcult. Lib. VIII. cap. 7. Τὸ πρῶτον κινοῦν ἀκίνητον. Idem de gen. Lib. I. Hoc ipſum primum movens, Deus eſt, de quo Boethius De Conſolatione Phil. Lib. III.

---------- *Stabiliſque manens das cuncta moveri.*

Si nemo eſt primus, ſit nemo ſecundus oportet;
(Quis non hos ſenſum deſeruiſſe videt?)
Nec verè quiſquam mortalis dicere poſſet,
Quod genitor natos vixerit ante ſuos.
Si mundus ſemper fuit is, cur ſunt prope nullæ
Hiſtoriæ [1], Trojæ funera quæ ſuperent?
At mundi iſtius novitatem nota ſat illa
Cujuſque in terris gentis origo probat.
Vix homines, nedum Sapientes, judicat eſſe, [44]
De rebus cunctis quos dubitare videt:
Sciri poſſe nihil dicentes [2], *ſe nec id ipſum*
Scire [3], *ſed aſſenſum ſe cohibere* [4] *ſuum:*

Ilis

1 *Cur ſunt prope nulla Hiſtoria?*] Uſus eſt hoc argumento, ut probaret mundi novitatem Lucretius Lib. V.

Præterea ſi nulla fuit genitalis origo
Terrarum & cæli, &c.

Optimè Macrobius in Somnio Scipionis Lib. II. cap. 10. *Quis non hinc exiſtimet mundum quandoque cæpiſſe, nec longam retro ejus ætatem: cum abhinc ultra duo retro annorum millia de excellenti rerum geſtarum memoria ne Græca quidem extet hiſtoria? Nam ſupra Ninum, a quo Semiramis ſecundum quoſdam creditur procreata, nihil præclarum in libros relatum eſt. Si enim ab initio, imo ante initium fuit mundus, ut philoſophi volunt: cur per innumerabilium ſeriem ſeculorum non fuerat cultus, quo nunc utimur, inventus? non literarum uſus, quo ſolo memoriæ fulcitur æternitas? cur denique multarum experientia ad aliquas gentes recenti ætate pervenit? &c. Hæc omnia videntur æternitati rerum repugnare, dum opinari nos faciunt certo mundi principio paulatim ſingula quæque cæpiſſe.* Africanus apud Euſebium Lib. X. P. E. & S. Juſtinus Martyr in Paræn. affirmant, Ὅτι οὐδὲν Ἕλλησι πρὸ τῆς Ὀλυμπιάδων ἀκριβὲς ἱστόρηται. Vide Joſeph. cont. Appion. Lib. I.

2 *Sciri poſſe nihil dicentes*] Hi Sceptici erant, quorum princeps fuit Pyrrho, qui temporibus Alexandri M. floruit. Hujus dogma, teſte Laertio in vita, id erat: Οὐδὲν ἔφασκεν εἶναι καλὸν, οὐδὲ αἰσχρὸν, οὐδὲ δίκαιον, οὐδὲ ἄδικον· καὶ ὁμοίως ἐπὶ πάντων μηδὲν εἶναι τῇ ἀληθείᾳ, νόμῳ δὲ καὶ ἔθει πάντα τοὺς ἀνθρώπους πράττειν.

His miseris *Indefinita relinquere cuncta*
Vel subjecta oculis, id sapuisse fuit.
Sensibus at quoniam nos vera & falsa notemus,
Sensibus hisce nihil certius esse potest.
Cum sit cognitio rerum *Sapientia* dicta,
Qui nil scit planè, cur sapuisse putem?
At qui multa sciens [1], semet nescire fatetur
Longè plura quidem, quam sciat, ille sapit.
Novit vir doctus, quæ Stoica fata fuerunt [2], [45]
(De fato veteres impia multa docent:)

At

3 *Se nec id ipsum Scire*] De Metrodoro Chio, (à quo Pyrrho suam ἀκαταληψίαν, hausisse videtur,) sic scribit Laertius, Ἔλεγε μηδὲ αὐτὸ τοῦτο εἰδέναι, ὅτι οὐδὲν οἶδε.

4 *Assensum se cohibere*] Ideo Pyrrhonis discipuli Ἐφεκτικοὶ dicti sunt, ἀπὸ τοῦ ἐπέχειν περὶ τῶν πραγμάτων στοχαστικῶς, ut refert Ammonius in Aristot. Categ.

1 *At qui multa sciens*] Nota est Socratis vox, *Hoc tantum scio, me nihil scire.* Et Danielis Heinsii, qui inter summa sui seculi lumina meritò numerandus est, Symbolum id fuit: *Heu quantum est, quod nescimus!*

2 *Quæ Stoica fata fuerunt*] Fatum causam rerum omnium definiebant Stoici, referente Diog. Laertio: Εἰμαρμένη δέ ἐστιν αἰτία τῶν ὄντων εἰρμώδης, ἢ λόγος καθ' ὃν ὁ κόσμος διοικεῖται. Ita Chrysippus, Εἱμαρμένῃ δὲ φυσικῶς συντάττειν τὰ ὅλων διὰ διὰ τὰ ἑτέροις ἑπακολουθοῦντων, ἀμεταβόλως καὶ ἀπαραβάτως τῆς τοιαύτης συμπλοκῆς. Quibus quidem verbis, si nihil aliud quam Providentiam Dei, & immutabile ipsius consilium intelligere; nec mentibus humanis libertatem adimere voluissent, ipsorum sententia ferri posset. ed Stoicorum fatalitatem etiam in actionibus humanis optimè refellit S. Justinus Martyr in Apolog. II. ibi, [illegible] μὴ τοῦτο ἐστιν, ἀλλὰ καθ' εἱμαρμένην πάντα γίνεσθαι &c. pag. 80, & mox, Ὥστε ὁ φάμεν &c. pag. 82. *Scitissimè Prudentius*

Nemo nocens, si fata regunt, quod vivitur, & fit:
Imo nocens, quicunque volens, quod non licet, audet.

At quæ libertatem adimant [1] mortalibus, aut quæ
Cogant esse malos Fata, quis esse putet?
Aut credat statuisse Deum, quod reddat inanes
Leges quas posuit gentibus ipse sacras,
Hortandi munus [2] quod reddat inutile, & omne
Consilium prorsus reddat inane simul?
Novit quæ porci deliramenta Epicuri [3] [46]
Essent, qui curæ nos negat esse Deo [4];
Quæque olim de atomis [5] per inane volantibus idem
Commentus, *Casu cuncta coïsse* docens:
Nempe

1 *At quæ libertatem adimant*] Εἰ μὴ προαιρέσει ἐλεύθερα πρὸς τὸ φεύγειν τὰ αἰσχρὰ, καὶ αἱρεῖσθαι τὰ καλὰ δύναμιν ἔχει τὸ ἀνθρώπινον γένος, ἀναίτιον ὂν ἢ ὅπως δήποτε πραττόμενον. S. Justin. Martyr. Apol. II. Dixerat paulò antè, Εἰ ἕμαρται τόνδε τινα ἀγαθὸν εἶναι, καὶ τόνδε φαῦλον, οὐδ' ὅτου ἀποδεικτὸς, οὐδὲ ἐπαίνου μεμπτός.

2 *Hortandi munus*] Οὐδεὶς ὑβουλεύεται περὶ τῶν μὴ ἐνδεχομένων ἄλλως ἔχειν. Aristot. Eth. Lib. VI. cap. 2.

3 *Epicuri*] Hic patria Athenienſis impietate ſua innotuit circa Olymp. 115.

4 *Qui curæ nos negat esse Deo*] Inter Epicuri dogmata, teſte Diog. Laertio, illud erat: Τὸ μακάριον, καὶ ἄφθαρτον οὔτε αὐτὸ πράγματα ἔχει, οὔτε ἄλλῳ παρέχει. Hinc Lucretius ejus diſcipulus impiè de Deo ſic loquitur:

Nec bene promeritis capitur, nec tangitur ira,

5 *Quæque olim de Atomis*] Cujus dogmatis auctor eſt Democritus Abderites, vel potius Leucippus ejus præceptor: Πρῶτος ἀτόμους ἀρχὰς ὑπέστήσατο, ait Diog. Laertius in vita Leucippi. (Vide Lactant. De ira Dei cap. 10.) Ariſtoteles verò ſcribit, utrumque, Leucippum nim. & Democritum, docuiſſe, ἀεὶ κινεῖσθαι τὰ πρῶτα σώματα ἐν τῷ κενῷ καὶ τῷ ἀπείρῳ. De Cœlo Lib. III. cap. 3. & hæc prima corpora eſſe πλήθει μὲν ἄπειρα, μεγέθει δὲ ἀδιαίρετα. καὶ ὅτε μὲν ἐκ ἑνὸς πολλὰ γίγνεσθαι, ὅτε δὲ ἐκ πολλῶν ἓν ἀλλὰ τῇ τούτων συμπλοκῇ, καὶ περιπλέξει πάντα γεννᾶσθαι. Ibid. cap. 7. Cujus impietatis propagator ſaltem erat Epicurus: *Democritus*, inquit Cicero Lib. I. De nat. deor. *vir magnus in primis, cujus fontibus Epicu-*

rus

Nempe orbem cæco factum concursu atomorum,
Quem ratio Mentis 1 recta fatetur opus.
Quidni idem dicat, *Casuque palatia regum* 2
Non arte aut studio facta fuisse virûm?
Summa huic votorum, *Nullum sentire dolorem*;
Atque illud summum credidit esse bonum.
Humanas animas, quas semper vivere constat,
Corporibus docuit non superesse suis.

S Ecquid

rus hortulos suos irrigavit. Nec aliter Clemens Alex. Ἀλλὰ καὶ Ἐπίκουρος τὰ Δημοκρίτου παραγράμματα ἐσκλώρηται. Strom. VI. Scribit etiam Cicero, *Epicurum in Democritum ipsum, quem secutus est, fuisse ingratum.* Vide Lactantium Lib. III. Instit. Lucretium sugillantem, eo quod sic scripserat de Epicuro Lib. III.

Qui genus humanum ingenio superavit, &c.

1 *Quem ratio Mentis*] Id est, Dei, qui philosophis Ὁ νοῦς, & δημιουργὸς passim audit. Ex operibus Creationis probari posse, *Quod Deus sit*, non modo sacri Scriptores agnoscunt (Psalm. XIX. 1. & Rom. I. 19, 20.) sed etiam inter gentes, quotquot sana mente præditi essent, viderunt. *Si homines*, inquit Cicero ex Aristotele, *sub terra semper habitassent, tandemque patefactis terræ faucibus evadere supra terram potuissent, conspecto cæli ornatu; profecto & deos esse, & hæc tanta opera deorum esse arbitrarentur.* De nat. deor. Lib. II. Pulchrè Epictetus: Τὸν ἄνθρωπον εἰσήγαγεν εἰς κόσμον ὁ Θεὸς, θεατὴν αὐτοῦ τε καὶ τῶν ἔργων αὐτοῦ, καὶ ὐ μόνον θεατὴν, ἀλλὰ καὶ ἐξηγητὴν αὐτῶν. (Vide Plutarch. De placit. philosoph. Lib. I.) Ergo hunc mundum S. Gregor. Naz. vocat Τὸν μέγαν καὶ θαυμαστὸν τῆς μεγαλειότητος αὐτοῦ κήρυκα. Avicennæ vox est, *Qui Deum in natura non vident, non solum ratione carent, sed etiam sensu.*

2 *Casuque palatia regum*] Cicero Libro II. De nat. deor. *Mirari se profitetur, esse quemquam qui sibi persuadeat* (cum Epicureis) *mundum effici potuisse fortuito atomorum concursu. Hoc*, inquit, *qui existimat fieri potuisse, non intelligo, cur non idem putet, si innumerabiles unius & viginti formæ literarum aliquo conjiciantur, posse ex his in terram excussis Annales Ennii, ut deinceps legi possent, effici.* Optimè Theologus De Providentia:

Τίς

Ecquid mirum, ſi tam turpi tamque guloſo
Artes ingenuæ diſplicuere[1] ſeni?
Ut doceant omnes, *Fieri poſſe ex nihilo nil*[2]; [47]
Ignari miſeri, quid Deus ipſe poteſt.
Dum tradunt mores, deprendit dogmata prava,
Quæque Lyceum olim, quæ docuitque Stoa:
Lege etenim lata ſcelera ipſa jubere Platonem[3], [48]
Atque nefanda alios condere jura videt:

Ferme

Τίς ἢ δόμον ποτ' ὄπωπεν, ὃν ἃ χέρες ἠξετέλεσαν;
Τίς ναῶν, ἢ θόον ἄρμα; τίς ἀσπίδα, ἢ τευφάλειαν;

1 *Artes ingenuæ diſplicuere*] *Neque enim literas didicerat* Epicurus, ſi credimus B. Hieronymo Epiſt ad Magnum. Seipſum, ſed falſo αὐτοδιδάκτοις annumerabat, teſte Cicerone De nat. deor. Lib. I. Dialecticam ſpreviſſe, Diog. Laertius; Matheſin vero Plutarchus libro contra ipſum ſcripto, teſtantur.

2 *Fieri poſſe ex nihilo nil*] Effatum philoſophorum notiſſimum; κοινὴν δόξαν non Anaxagoræ modo, ſed etiam omnium Phyſicorum eſſe docet Ariſtoteles ὡς ἃ γινομένα ἐξ ἐνὸς ἐκ τοῦ μὴ ὄντος: Suamque huic conformem deinde ſubjicit, Τὸ μὲν ἐκ μὴ ὄντων γίνεσθαι, ἀδύνατον: additque, ἕτω δὲ ἐδόκει τὸ σύνθετον ὑπολαμβάνομεν, ὅταν ἐξ ὧν μὲν ἐκ τίνων καὶ ποσῶν ᾖ. Natur. Auſcult. Lib. I. cap. 5. Unde Cicero de Epicuro loquens, *Ut ex nihilo*, inquit, *aliquid fiat, nec ipſi, nec cuiquam Phyſico placet.* De Fato num. 15. Audiamus ipſum Epicurum: is enim in Epiſtola ad Herodotum ſic ſcribit, Οὐδὲν γίνεσθαι ἐκ τοῦ μὴ ὄντος, πᾶν γὰρ ἐκ παντὸς ἐγίνετ' ἂν, σπερμάτων δ' ἕκαστον προσδεόμενον. Ejus opinionem tutari conatus eſt, ſed infirmis admodum argumentis, Lucretius Lib. I.

3 *Scelera ipſa jubere Platonem*] Scilicet uxorum communitatem, quam ſuadet cum alibi, tum maximè in Lib. V. De Republica. Τὸ μεγίστα ἀγαθὸν τῇ πόλει αἰτίαν ἡμῖν φανῆναι ἡ κοινωνία τοῖς ἐπικούροις τῆς τε παίδων, τῆς τε γυναικῶν. Hinc vapulat Lactantio Lib. III. cap. 21. *Matrimonia*, inquit, *communia eſſe debent: ſcilicet ut ad eandem mulierem multi viri, tanquam canes confluant; & is utique obtineat, qui viribus vicerit: aut ſi ſapientes ſunt, ut philoſophi, expectent; & vicibus tanquam lupinar obeant. O miram Platonis æquitatem! Ubi eſt igitur virtus caſtitatis? ubi fides conjuga-*

Ferme omnes uno fundamine diſpoliare [1]
Virtutem, virtus quo ſtet in orbe ſacra:
Stoicus hunc animo quiſquis ludibria firmo [49]
Fortunæ patitur, diis putat eſſe parem [2]:

conjugalis? quæ ſi tollas, omnis juſtitia ſublata eſt. Et mox. *Quæ iſta conjugalis generis humani? Quomodo ſervari poteſt charitas, ubi nihil eſt certum quod ametur? Quis aut vir mulierem, aut mulier virum diliget, niſi habitaverint ſemper unà? niſi devota mens, & ſervata invicem fides individuam jecerit charitatem, quæ virtus in illa promiſcua voluptate locum non habet. Item ſi omnes omnium liberi ſint, quis amare liberos, tanquam ſuos poterit, cum ſuos eſſe aut ignoret, aut dubitet? quis honorem tanquam patri deferet, cum unde natus ſit, neſciat? Ex quo fit, ut non tantùm alienum pro patre habeat, ſed etiam patrem pro alieno. Quid, quod uxor poteſt eſſe communis, filius non poteſt? quem concipi non niſi ex uno neceſſe eſt.* Perit ergo illi una *communitas, ipſa reclamante natura. Supereſt, ut tantummodo concordiæ cauſa uxores velit eſſe communes. At nulla vehementior diſcordiarum cauſa eſt, quam unius fœminæ à multis maribus appetitio. In quo Plato ſi ratione non potuit, exemplis certè potuit admoneri; & mutorum animalium, quæ ob hoc vel acerrimè pugnant; & hominum, qui ſemper ob eam rem graviſſima inter ſe bella geſſerunt.* Et Tertullianus in Apolog. cap. 39. *Omnia*, inquit, *indiſcreta ſunt apud nos, præter uxores. In illo loco conſortium ſolvimus, in quo ſolo cæteri homines conſortium exercent; qui non amicorum ſolummodo matrimonia uſurpant, ſed & ſua amicis pientiſſimè ſubminiſtrant; ex illa, credo, majorum & ſapientiſſimorum diſciplina, Græci Socratis, & Romani Catonis, quo uxores ſuas amicis communicaverunt, quas in matrimonium duxerant, liberorum cauſa, & alibi creandorum, neſcio quidem an invitas. Quid enim de Caſtitate curarent, quam mariti tam facilè donaverant?* Hunc Platonis delirium refellit Ariſtoteles Lib. II. de Repub. Idem faciunt Euſeb. Lib. XIII. de Præp. Evang. cap. 12. Epiphanius, Chryſoſtomus, aliique. Hujus inſaniæ participes fuiſſe hæreticos, Carpocratem & Epiphanem docet Clem. Alexandrinus Strom. Lib. III.

1 *Uno fundamine diſpoliare*] Nempe agnitione ſupremi Numinis, cujus amore ſolo virtus amplecti debeat, & perſuaſione firma, *Eſſe animas humanas immortales ad præmia vel pœnas.*

2 *Diis putat eſſe parem*] Qui ſuperbiam & arrogantiam Stoicorum cognoſcere cupit, legat Senecæ Epiſt. LIV. in qua ſunt hæc verba: *Omnes mortales multò antecedes, non multò te dii antecedent.* Et mox: *Eſt aliquid quo ſapiens antecedat deum: ille naturæ beneficio non timet: ſuo ſapiens. Ecce res magna, habere imbecillitatem hominis, ſecuritatem Dei!* Plura hujus farinæ habes in ejuſdem Epiſt. LXXIV.

Infelix, quicunque ſua virtute ſuperbit:
Virtutis meritum deſtruit ille ſuæ.
Hos horret meritò, *Vitium quibus eſt miſereri* 1
Vel patris: & *Virtus maxima amare nihil*;

Tan-

LXXIV. Vide Lipſii Manuduct. ad philoſoph. Stoicam Lib. III. diſſert. 14. Stoicorum repugnantias oſtendit, & ſuperbiam retundit Plutarchus libris quos contra illos ſcripſit.

1 *Vitium quibus eſt miſereri*] Tradit Diog. Laertius in Zenone Stoicorum dogma fuiſſe illud, Ἐλεᾶν εἰ πάθος, καὶ συσπαλὼν ἄλογον, ac proinde Ἐλεήμονας τε μὴ εἶ τὰς σοφὰς, συγγάμειν τε ἔχειν μηδενί. Unde Lactantius; *Illud*, inquit, *ſatis ad coarguendum hominis errorem, quod inter vitia & morbos miſericordiam ponit.* Stoicorum Ἀπάθειαν refutat S. Auguſtinus Libb. IX. & XIV. De C. D. Hoc illorum dogma emollit Seneca libro II. De Clementia. *Objicitur illi* [Stoico] *quod negat miſereri, negat ignoſcere. Hæc ſi per ſe ponantur, inviſa ſunt*, &c. *Quemadmodum religio deos colit, ſuperſtitio violat: ita clementiam manſuetudinemque omnes boni præſtabunt, miſericordiam autem vitabunt. Eſt enim vitium puſilli animi, ad ſpeciem alienorum malorum ſuccidentis.* Et mox; *Cæterùm omnia quæ qui miſerentur dolentes facerent, hic libens & alacri animo faciet. Succurret alienis lachrymis, non accedet: dabit manum naufrago, exuli hoſpitium, egenti ſtipem. Donabit lachrymis maternis filium, & catenas ſolvi jubebit, & ludo eximet, & cadaver etiam noxium ſepeliet: at faciet iſta tranquilla mente, vultu ſuo. Ergo non miſerebitur ſapiens; ſed ſuccurret, ſed proderit, in commune auxilium natus, ac publicum bonum.* Ex quo patet miſericordiam à Stoicis damnari, beneficentiam non item: ſcilicet ſapientem ſuum Deo parem eſſe volunt. De Deo enim ſic ſcribit Auctor libri De Patientia ſub nomine D. Auguſtini: *Zelat ſine aliqua moleſtia, iraſcitur ſine aliqua perturbatione, miſeretur ſine aliquo dolore, patiens eſt ſine ulla paſſione; ſi, tanquam noſtra, illa cogitamus, in illo nulla ſunt.* Sed quid aliud hoc eſt, quam intoleranda ſuperbia hominem Deo æquiparare? & animi affectus, quos à natura nobis, & quidem ad virtutem exercendam, inſitos habemus, penitus damnare? denique extirpare velle, quod moderari oportet. Certè Plato, Ariſtoteles, & omnes ſaniores philoſophi miſericordiam laudârunt. Euripides in Antiopa hæc habet:

Ἔνεστι δ' οἶκτος, ἁμαθία μὴ ἐνῇ δόμοις,
Σοφοῖσι δ' ἀνδρῶν· καὶ λέγω τόδ' οὐκ ἄζήμιον
Γνώμῃ ξυνεῖναι τοῖς σοφοῖς λίαν σοφόν.

Quin

(Tanquam non poſſent Sapientes eſſe, priuſquam
Exuerint homines, induerintque feras;)
Affectuque carere omni, perfectio ſumma;
Sic cautes felix, ſic quoque truncus erit.
Denique qui ducunt *Æqualia crimina cuncta*[1]:
Hæc extant tetricæ Dogmata ſæva Stoæ.
Laudat, qui doceant, *Quod cedere debet honeſto* [50]
Utile; cauſâ audent juſtitiæque mori:
Qui doceant hominum[2] poſt funera vivere mentes,
Inque illas mortem juris habere nihil.
Res hominum curare Deum[3], certòque daturum[4]
Olim pro meritis præmia cuique ſuis.

Quinimo his omnibus longè ſapientior Salvator IESUS nos miſericordes eſſe jubet: & Apoſtolus gaudere nos vult cum gaudentibus, & lachrymas fundere cum lachrymantibus.

1 *Æqualia crimina cuncta*] Diog. Laertius in vita Zenonis de Stoicis ait: Ἀρέσκει δ' αὐτοῖς ἴσα ἡγεῖσθαι τὰ ἁμαρτήματα. Stoicorum hanc ſententiam ridet Cicero in orat. pro Murænâ: *Omnia peccata eſſe paria, omne delictum ſcelus eſſe nefarium: nec minus delinquere eum, qui gallum gallinaceum, cum opus non fuerit, quam qui patrem ſuffocaverit.* Vide ejuſdem Paradox. III. S. Auguſtinus etiam de iiſdem ſic ſcribit: *De paritate peccatorum ſoli Stoici auſi ſunt diſputare contra omnem ſenſum generis humani.*

2 *Qui doceant hominum*] Ἀθάνατος ἡμῶν ἡ ψυχὴ καὶ ἀΐδιον. Socratis dictum ad Glauconem apud Platonem De Republ. Lib. X. Plato totus eſt in aſtruenda animæ immortalitate. Et Cicero, *Si in hoc erro*, inquit, *quod animos hominum immortales eſſe credam; libenter erro: nec mihi hunc errorem quo delector, dum vivo, extorqueri volo.*

3 *Res hominum curare Deum*] Providentiam divinam quam ex rerum fini optimo inſervientium ordine didicerunt, aſſerebant Peripatetici; de ſummo numine illud Homericum laudantes, Πάντ' ἐφορᾷ, καὶ πάντ' ἐπακούει. Itemque illud Heſiodi, Ὅτι πάντα ἴδε Διὸς νόος ἀγχιβαθείης. Providentiam etiam agnoſcit Juvenalis Sat. XIII.

Tandemque fatebere lætus
Nec ſurdum, nec Teireſiam quemquam eſſe deorum.

4 *Certòque*

E cœlo agnoscit venisse id Γνῶθι σεαυτόν[1]:
Digna quidem vero vox fuit illa Deo.
Ascræi vatis laudat Πλέον ἥμισυ παντός[2],
Talia significent quid Paradoxa docet.
Laudat Epictetum[3], cui lex sanctissima vitæ
(Tanto digna viro,) *Sustine* & *Abstine* erat:

Qui

4 *Certìque daturum*] Ἄγει τὸ θεῖον, inquit Comicus, τὰς κακὰς πρὸς τὴν δίκην. Vide Manilium Lib. IV. ubi sic canit,

Quæsitor scelerum veniet, vindexque reorum, &c.

1 Γνῶθι σεαυτόν] Chilonis (qui unus ex VII. Sapientibus erat,) dictum, eo in honore habitum, ut literis aureis templi Apollinis Delphici foribus inscribi mereretur. Vide Plutarch. Lib. De Iside & Osirid. & Juvenal. Sat. XI. ver. 28.

2 Πλέον ἥμισυ παντός] Dictum sapienter ab Hesiodo, quod Diog. Laertius, Soficratem secutus, falso Pittaco attribuit. Hujus Paradoxi interpretationem hanc dat Proclus: Τὸ πλέον, inquit, ἢ πῷ ποσῷ ὅτι πλέον, ἢ τῇ ἀξίᾳ. τὸ ἓν ἥμισυ τῶν παντὸς ἔλαττον ὂν κατὰ τὸ ποσὸν, κατὰ τὴν ἀξίαν ἐστὶ πλέον, ποιεῖ δὲ τὴν ἀξίαν τὸ δικαιότερον. οὐκ ἔνι δὲ μὴ τὸ πᾶν ἔχειν, ἀλλὰ τὸ ἥμισυ ὡς κρεῖττόν τι ὂν καὶ δικαιότερον τοῦ τὸ πᾶν κεκτῆσθαι τὸ μόνον τῆς ἡμίσεως ἀπολαύειν. Τὸ μὲν γὰρ ποιεῖ πλεονεκτικώτερον, τὸ δὲ δικαιοῦσιν ὄντα δικαιότερον. Aristoteles etiam τὸ δίκαιον esse decrevit, quod in proportione versatur, quam ille ἀξίαν vocat. & ἀναλογίαν. Vide Ethic. ad Nicom. Lib. V. capp. 3. & 4. Hujus justitiæ vim vidit Pittacus ille sapientiæ nomine clarus, cum non agrum totum sibi à civibus oblatum acciperet, sed agri partem illam, quam sibi accipere justum esse judicabat. Potest etiam Poeta sic intelligi, ut illo Paradoxo temperantiam laudare velit; sequitur enim,

Οὐδ' ὅσον ἐν μαλάχῃ τε καὶ ἀσφοδέλῳ μέγ' ὄνειαρ.

3 *Laudat Epictetum*] Philosophum Stoicum ex Hierapoli Phrygiæ urbe, qui Romæ Epaphrodito cuidam Neronis familiari servivit, atque ad Marci Antonini tempora pervenit: Enchiridii auctor, de quo Henricus Stephanus in Epistola ad Cratonem Editioni suæ Librorum Diogenis Laertii præmissæ hæc habet: *Ut rari sunt*, inquit, *aurei istius libelli lectores, sic rari sunt, qui meliores se, quam doctiores esse malint.* Philosophiam totam duobus his verbis complexus est, Ἀνέχου καὶ Ἀπέχου. Extat de illo hoc epigramma:

Δοῦλος

Qui non ſuſtinuit mala fortiter, abſtinuitque
A vetitis, ſolo eſt nomine Philoſophus.
Nullus Epicteto [1] eſt Sapiens, niſi qui bonus idem: [52]
Sunt ſtulti huic omnes, & ſine mente mali.
Non tam multa fuit, quam præſtantiſſima ſcire
Huic curæ, & quæ dent vincere poſſe mala.
Me, Pater omnipotens [2], ſæpe, *O me ducito*, dixit;
Et quocunque vocas, te, Deus alme, ſequar!
At Cynicos [3] habita nulla ratione pudoris
Turpia qui peragunt, hos procul eſſe jubet.
Carmina dum veterum volvit, præcepta poetas [53]
Multa videt morum pulchra dediſſe viris:
Si non fabellis ſpurcaſſent omnia vanis,
Si non jactaſſent, iſta patrare deos,

Δοῦλος Ἐπίκτητος γενόμην, καὶ σώματι πηρὸς,
Καὶ πενίην Ἰρὸς, καὶ φίλος ἀθανάτοις.

1 *Nullus Epicteto*] Uti nec Horatio fuit, qui Epiſt. Lib. I. ſic canit:

Neve putes alium Sapiente, Bonoque beatum.

Quin Cicero Sapientes à Bonis ſeparari conqueritur: *Hæc eſt*, inquit, *illa pernicies, quod alios bonos, alios ſapientes exiſtimant.*

1 *Me, Pater omnipotens*] Delectatus eſt præclara illa Cleanthis, voce Epictetus, eademque Enchiridion ſuum claudit:

Ἄγε δή μ' ὦ Ζεῦ, καὶ σὺ ἡ πεπρωμένη,
Ὅποι ποτέ ὑμῖν εἰμι διατεταγμένος,
Ὡς ἕψομαι ἀπροφάσιστος, ἠδὲ ἄοκνος·
Ἐὰν δὲ μὴ ἐθέλω, κακὸς γενόμενος οὐχ ἧττον ἕψομαι.

2 *At Cynicos*] Horum impudentia nota eſt: De Diogene, ex illa ſecta philoſopho non incelebri, ſic ſcribit Laertius: *Solebat*, inquit, *omnia palam facere, & quæ ad Cererem, & quæ ad Venerem pertinent.* Ergo Cicero; *Cynicorum natio, tota ejicienda eſt: eſt enim inimica verecundiæ, ſine qua nihil rectum eſſe poteſt, nihil honeſtum.* Offic. Lib. I.

Quæ vix mortalis committere[1] crimina vellet,
Quæ conſcripſerunt, utiliora forent.
At fugit ut peſtem laſciva poëmata, & optat
Ut dentur flammis peſſima ſcripta feris:
Talia nec magnum[2] miratur ab urbe Platonem [54]
Præcepiſſe ſua carmina abeſſe procul.
Optima dum tractat, (nam ſunt quæ jure vetuſtas[3]
Omnis mirata eſt, cunctaque ſecla ſtupent,)

Illud

1 *Quæ vix mortalis committere*] Præclarè dixit Diog. Laertius in proœmio ad vitas philoſophorum de Orpheo loquens; Ἐγὼ ὃ καὶ τὸν περὶ θεῶν ἐξαγορεύσαντα τοιαῦτα χρὴ φιλόσοφον καλεῖν, οὐκ οἶδα τίνα δεῖ προσαγορεύειν τὸν πᾶν τὸ ἀνθρώπινον πάθος φιλοῦντα τοῖς θεοῖς προσείψαι, καὶ τὰ παρανίως ὑπό τινων ἀνθρώπων αἰσχρουργούμενα καὶ τῷ τῆς φωνῆς ὀργάνῳ. De Homero & Heſiodo conqueritur Xenophanes Colophonius, vetus poeta, apud Sext. Empiricum:

Πάντα θεοῖς ἀνέθηκαν Ὅμηρός θ' Ἡσίοδός τε,
Ὅσσα παρ' ἀνθρώποισιν ὀνείδεα, καὶ ψόγος ἔστι,
Κλέπτειν, μοιχεύειν τε, καὶ ἀλλήλους ἀπατεύειν.

Cumque tam indigna de diis ſuis olim proderent poetæ, multi ex eo occaſionem, in Atheiſmum prolabendi acceperunt, &, ut ait Plutarchus, Ταῦτα δίδωσιν ἐνίοις λέγειν, ὡς μὴ ἔστι θεὸς ἄμεινον, ἢ ἔστι τοιαῦτα μὴ δεχομένους, τοιούτοις ὃ χαίροντας. Lib. de Superſtitione,

2 *Talia nec magnum*] Bonos tamen & caſtos poetas idem Plato ἑρμηνέας, & ὑπηρέτας deorum vocat in Ione. Quin & ipſe cum eſſet admodum juvenis, dithyrambos, deinde mele, mox etiam lyricos verſus ſcripſit: maturior quoque factus Tragedias. Quas cum in Dionyſii theatro recitaturus eſſet, in Socratem incidit, & ejus Sirene delinitus, philoſophiæ operam dare cœpit, poemata igni tradidit inquiens:

Ἥφαιστε πέμοι· ὧδε Πλάτων νύτι σεῖο χαλίζει.

3 *Nam ſunt quæ jure vetuſtas*] Lege Plutarchum *De audiendis Poetis*; & D. Baſilium Magnum *De legendis Gentilium libris*.

Illud deprendit, *Quod multa accepta referre*
Debeat Hebræis Græcia, multa Syris.
Pleniùs at nullum, quàm vatum numen *Homerum* [55]
Ex Hebræorum fonte[1] bibiſſe videt.
Multos ingenio & præſtantes arte poetas
Materia oppreſſos futiliore dolet.
Hiſtorica in ſacris[2] agnoſcit *tempora* libris, [56]
Quæ Varro *obſcura*, & *Mythica ſecla* vocat.
In ſcriptis ſacris videt incunabula mundi,
Ex nihilo Verbo factaque cuncta Dei.
(Hæc fruſtra in Græcis quæras, fruſtraque Latinis,
Sola Hebræa viris hæc monumenta dabunt.
Cuncta vetuſtate exſuperare[3] volumina Moſis,
Clarius eſt medio ſole micante die.

Judæis

1 *Ex Hebræorum fonte*] Τὸν ποιητὴν καὶ τῆς ἀπὸ τῆς θείας τῆς προφητῆς ἱστορίας πολλὰ εἰς τὸν ἑαυτῶν μεταβάλλοντα ποίησιν oſtendit S. Juſtinus Martyr in Exhort. ad Græcos. pag. 27.

2 *Hiſtorica in ſacris*] M. Terentium Varronem, Romanorum doctiſſimum, omnia tempora in tria intervalla diſpeſcuiſſe auctor eſt Cenſorinus in libro De die Natali. Nempe primum à rerum initio ad Cataclyſmum, quem Ogygium vocant: Secundum à Cataclyſmo ad primam Olympiadem: Tertium à prima Olymp. ad ſuam ætatem. Primum intervallum propter rerum in ea geſtarum ignorantiam vocat ἄδηλον: Secundum quod in ea multa fabuloſa referantur, μυθικὸν; Tertium tantùm, quod in ea rerum geſtarum hiſtoriæ exſtarent, ἱστορικὸν dixit. (Vide notas ſuprà ad num. [43]. Inter Græcos, Οἱ πρῶτοι ἢ ἱστορικοὶ καὶ φυσικοὶ, μυθόγραφοι, inquit Strabo Geograph. Lib. I. At quæ tempora gentibus vel obſcura vel fabulis involata eſſent, Librorum ſacrorum, in primis Moſaicorum, beneficio nobis omnia hiſtorica ſunt, & ita quidem hiſtorica, ut omni fide ſint digniſſima.

3 *Cuncta vetuſtate exſuperare*] Οὐδὲ τοῦτο ἀγνοεῖν ὑμᾶς προσήκει, ὅτι ἀδηλὲν Ἕλλησι περὶ τῶν Ὀλυμπιάδων ἀκριβὲς ἱστόρηται, ἀδ' ἔστι τι σύγγραμμα παλαιὸν Ἑλλήνων ἢ βαρβάρων σημαῖνον πρᾶξιν: Μόνη ἢ ἡ τῶν προφήτῶν

Judæis etenim priùs hæc ſunt tradita ſcripta,
Quàm Graiis ullis litera nota foret:
Ante annos multos[1] quam ſcripta dedere Sibyllæ
Carmina, vel magnus natus Homerus[2] erat.
Quin ſatis id conſtat, quod Moſes extitit ante
Numina[3], quæ finxit Græcia vana ſibi:)

Cuncta

φήτᾳ Μωσέως προϋπῆρχεν ἱσοεία, ἣν ἐκ τῆς θείας ἐπιπνοίας Μωσῆς γέγραφε τοῖς τῶν Ἑβραίων γράμμασι τὰ γὰρ τῶν Ἑλλήνων ἀδέπω ἦν, ὡς δηλοῦσι καὶ αὐτοὶ οἱ τῶν γραμμάτων διδάσκαλοι, φάσκοντες Κάδμον πρῶτον ἐκ Φοινίκης αὐτὰ κομίσαντα, Ἕλλησι μεταδοῦναι. Deinde citat ex Platone Sacerdotis ejuſdem Ægyptii vocem ad Solonem, Ὦ Σόλων, Σόλων, Ἕλληνες παῖδες ἐστε ἀεὶ. S. Juſtin. Mart in Exhort. ad Græcos, pag. 13. Verba Platonis ſunt in Timæo. Vide Lib. V. num. [10] & notas ad hunc verſiculum. *Barbaricas alias &c.*

1 *Ante annos multos*] Heſiodum & Homerum quadringentis non amplius annis ante ſe extitiſſe ſcribit Herodotus, (& ex eo Athenagoras in Legatione pro Chriſtianis,) qui addit de iſtis poetis: Οὗτοι δέ εἰσιν οἱ ποιήσαντες θεογονίην Ἕλλησι τοῖσι θεοῖσι τὰς ἐπωνυμίας δόντες, καὶ τιμάς τε καὶ τέχνας διελόντες, καὶ εἴδεα αὐτῶν σημηνάντες. Vide Tertull. Apol. cap. 19. Claruit Herodotus Olymp. 84. ann. ante Chriſtum circiter 440.

2 *Homerus*] Apud Græcos nullum inveniri ſcriptum, de quo conſtet quod ſit Homeri carminibus antiquius docet Joſephus contra Appion. Lib. I. Idem tradit Sextus Empiricus adverſus Mathematicos his verbis: Ποίημα οὐδὲν πρεσβύτερον ἦκεν εἰς ἡμᾶς τοῦ Ὁμήρου ποιήσεως. At Moſen omnibus Græcis ſcriptoribus, atque adeo Homero, longe antiquiorem fuiſſe teſtatur S. Juſtinus Martyr. Apol. II. pag. 81. Πρεσβύτερον, inquit, Μωσῆς καὶ πάντων τῶν ἐν Ἕλλησι συγγραφέων. De Homero verò Origenes: Φαίνεται τοῖς ἀδεκάστοις ἀκεραιοτέρᾳ Μωϋσῆς ὢν Ὁμήρου, Contra Celſ. Lib. IV. Aitque ea quæ Moſes tradit de Turri Babylonica antiquiora eſſe, non tantum Homero, verum etiam τῆς τῶν Ἑλλήνων γραμμάτων εὑρέσεως. Et Lib. VII. Μωσῆς ὁ πολλῷ καὶ τῶν Ἑλληνικῶν γραμμάτων ἀρχαιότερος,

3 *Moſes extitit ante Numina*] *Multo antiquior Moſes*, inquit Tertullianus, *etiam Saturno, nongentis circiter annis, nedum pronepotibus ejus.*

Omnia Moſe docente videt, bona facta fuiſſe,
Intraviſſe hominis crimine cuncta mala:
Promiſſâque videt Patres gaudere ſalute,
Cujus participes nos dedit eſſe Deus.
Ex *Libro* didicit *Naturæ* (qui patet orbis
Immenſi variis gentibus,) eſſe Deum;
Qui non facta hominum tantum, ſed & abdita mentis,
Et quæ alios poſſint quoſque latere, notet:
Clariùs ex ſcriptis quæ ſunt dictata Tonantis,
Atque patent cunctis inſpicienda piis,
Quis ſit rerum ordo, quanta ratione gubernet
Cuncta Deus, quantum noſque amet ille bonus.
Quid rectum, quæ ſint civilis munia vitæ,
Atque in quem finem naſcitur omnis homo:
Scilicet ut ſtudio Pietatis, Juſtitiæque,
Ipſe Creatori ſerviat uſque ſuo.
Quod queis vita fuit juſtè, ſanctèque peracta,
Hos ſine fine quidem vita beata manet:
Triſtia ſed quorum fædarunt crimina vitam,
Hos ſequitur lento pœna tremenda pede.
Vivida ſola canunt Oracula, *Non perituros*
Quos conſtet culpæ pœnituiſſe ſuæ:
Sola docent, *Chriſtum turbæ delere fideli*
Sanguine perfuſo crimina cuncta ſuo.

Hinc

ejus. Lib. De Anima. cap. 28. Antiquior quidem Saturno Moſes, ſed non tot annis. Audiamus Euſebium: *Moſes*, inquit, *junior licet ſupradictis* (nim. Abrahamo, Semirami &c.) *ſit, ab omnibus tamen, quos Græci antiquiſſimos putant, ſenior deprehenditur, Homero ſcilicet, & Heſiodo, Trojanoque bello, ac multo ſuperius Hercule, Muſeo, Lino, Chirone, Orpheo, Caſtore, Polluce, Æſculapio, Libero, Mercurio, Apolline, cæteriſque Diis Gentium, ſacriſque; vel vatibus, ipſiuſque Jovis geſtis, quem Græcia in arce divinitatis collocavit.* In Præfat. ad Chronic. Lib. poſteriorem.

Hinc bonitate Dei eſt, culpæ quem pœnitet, inſons;
Nec damnandus erit cum venit illa dies,
Qua Chriſtus judex juſtos ſuper aſtra locabit,
Inferet horrendum ſuppliciumque malis.
Quæ faciunt hominem doctum præcellere cunctis [57]
Hæc paucis verbis tradere muſa jubet.
Divitias temnit, vanos quoque temnit honores;
Quæ auferri nequeunt, hæc bona ſola putat.
Urbem tanquam unam totum conſiderat Orbem
Vivereque ut civis totius Orbis[1] *amat.*
Denique vir doctus, dum vivit, nil magis optat,
Quam prodeſſe aliis, & placuiſſe Deo.
Cumque ſit ipſe bonus[2]*, facilè perducit honeſtos*
Ad mores populum, juſtitiamque ſacram.
Is demum orator ſummus, qui quam pietatem
Commendare aliis nititur, ipſe colit.
Talis FELLUS[3] erat, toto clariſſimus orbe, [58]
Præſidium doctis, Præſulibuſque decus;

Vir

1 *Civis totius orbis*] Πολῖται ἐσμὲν, πολιτεύματός τινος μετέχομεν, ὁ κόσμος ὡσανεὶ πόλις ἐστί. M. A. Anton. Περὶ τῆς εἰς ἑαυτ. Lib. IV. cap. 4. Cratetis philoſophi verſiculos hos conſervavit Diog. Laert. in vita:

Οὐχ ἧς πάτρας μοι πύργος, ἀ μία στέγη,
Πάσης ὃ χέρσος καὶ πόλισμα καὶ δόμος
Ἕτοιμος ἡμῖν ἐνδιαιτᾶσθαι πάρα.

2 *Cumque ſit ipſe bonus*] *Oratorem autem inſtituimus illum perfectum, qui eſſe niſi vir bonus non poteſt.* Quintil. Inſtitut. Lib. I. in proœmio. Diogenes Cynicus, referente Laertio, Oratores ſui temporis reprehendere ſolebat, quos videret τὰ δίκαια μὴ ἐπιστάμενοι λέγειν, πράττειν δὲ ἐπαμῶς.

3 FELLUS] JOANNES FELL Epiſcopus Oxonienſis, & Ædis Chriſti Decanus. Obiit Anno Dom. MDCLXXXVI.

Vir pius & juſtus, prudens, doctiſſimus idem
Atque humilis, Chriſti regula ſancta gregi.
Qui, ſuper omnes quos ætas tulit illa, caducas
Dando, manſuras accumulabat opes.
Et velut in ſpeculo nitido ſol ipſe receptus
Fit major, flammam conduplicatque ſuam:
Sic ejus puro dum pectore tota vetuſtas
Condita erat, viſa eſt hinc radiare magis.
Tanta fuit FELLI virtus, ut quicquid in ejus
Laudes muſa canet, dixeris eſſe minus:
Dum priſcæ fidei, dum priſcis moribus ullus
Conſtet honos, fama eſt non moritura viri.
Hic me ſectantem rivos reprehendit, & unà
Ut biberem ex ipſis fontibus auctor erat.
Sæpe viro ſummo vatis fuit illud in ore:
Dulciùs ex ipſo fonte bibuntur aquæ.
Huic poſt ſummum Numen debeo jure referre
Acceptum, ſi quid conſequar in ſtudiis.
En mihi magnus amor FELLI cum tempore creſcit,
Dictaque ſub memori pectore multa gero.
Atque mihi illius cum quid paro dicere coram,
Vel facere, in mentem ſæpe venire ſolet:
Ut quid vel faceret [1], vel quid, ſi viveret, idem
Diceret, oblata re ſimili, reputem.
Sæpe mihi dixit, *Tu ex me tolerare labores,*
Atque voluptates ſpernere, diſce, puer.
Aſpera ſiqua tibi in vita ſors obtulit, ex me
Æquo animo, ut par eſt, aſpera diſce pati.

En

1 *Ut quid vel faceret*] *Aliquis vir bonus nobis eligendus eſt, & ſemper ante oculos habendus, ut ſic tanquam illo ſpectante vivamus.* Senec. Epiſt. XI. Quod quidem conſilium Epictetus dat: Πρὸβαλε σαυτῷ, τί ἂν ἐποίησεν ἐν τούτῳ Σωκράτης, ἢ Ζήνων; &c Enchirid. cap. 51.

Et velut alta gravi creſcit ſub pondere palma,
Inclyta ſic virtus ſub cruce preſſa viget.
Vix adamas ſplendet, niſi ſævos ſentiat ictus,
Artificis docta ſit domituſque manu.
Qui cupit æternam in cœlo geſtare coronam,
Chriſti ferre ſacram diſcat in orbe Crucem.

His recreor dictis, dum plurima propter amorem
Principis & patriæ cogor iniqua pati.
ALME parens, impone mihi quod vis, modò poſſe
Tu ferre impoſitum des patienter onus.
Sub tanto exemplo bis denos circiter annos
Olim me ſtudiis incubuiſſe bonis;
Illum Præceptorem habuiſſe, locoque Parentis,
Qui fuerat ſecli gloria magna ſui;
Illius impoſitis manibus quoque Presbyterorum
Ordini adoptatum deinde fuiſſe ſacro;
Atque operam (meminiſſe juvat,) navâſſe fidelem
Illi, dum veterum ſcripta recuſa daret;
Eſt quod gratulor ipſe mihi: dum vita manebit
Illius laudes ſemper in ore feram:
Forſitan illius Natalem carmine tentem,
Hunc quoties referet Sol, celebrare diem.
Tu qui præceptis teneris imbutus ab annis
Summi es doctoris, Præſulis eximii,
(Quàm Te dilexit, memini, quantamque fovebat
De te ſpem puero, ſpes nec inanis erat,)
O Decus Anglorum, Comes inclyte, perge mereri
Et bene de ſtudiis, de patriaque tua:
(*Oxoniæ* ut faveas exempla domeſtica, claros
Nobilitate viros, queis ſtimuleris, habes;
Quos ſæpe experta eſt Academia noſtra patronos,
Sæpius experta eſt Anglia præſidium.

In

In muſas Comitis GULIELMI [1] ingentis amoris [59]
Quæ ſunt *Oxoniæ*, ſtant monumenta ſcholæ:
Aucta Manu-ſcriptis quoque Bibliotheca vetuſtis
Publica, quos avidè turba togata legit:)
Cumque tibi rerum experientia, pectus honeſtum,
Et ſit digna cedro ſcribere docta manus,
Aggredere hiſtoriam GULIELMI condere Magni,
Namque tuo ingenio dignum erit illud opus:
Invictæve legendos ANNÆ trade triumphos;
Illorum *Annales*, totius orbis erunt:
(Res equidem dignè condet quicunque Britannas,
Tu pars hiſtoriæ magna legendus eris:)
Scribe aliquid Magnum, quod poſt tua funera vivat,
Et quod cuncta dehinc ſecla futura legant.

1 *Comitis GULIELMI*] Hic eſt Munificentiſſimus ille PEMBROKIÆ Comes, qui Academiæ *Oxonienſis* Cancellarius, & doctorum hominum, dum vixit, ſummus Patronus fuit.

FINIS.

CATA-

ADDENDA

NOTIS.

Lectori candido.

CVm Notas magna ex parte currente prelo ſcripſiſſem, neceſſe habui abſoluto jam Opere, quæ ad uberiorem locorum quorundam explicationem facere viderentur, adjicere. Tu, quicquid hoc eſt in juventutis gratiam inſumpti à me laboris, boni conſule, & vale.

ADDENDA NOTIS.

AD LIB. I.

PAG. 1, *Moſes*] Poſt, quod refutavimus infra ad num. [15]. ADD. *Non eſt credendum, quod nonnulli arbitrantur &c. Hebræas literas ſolùm à lege cæpiſſe, quæ data eſt per Moyſen, ſed potius per illam ſucceſſionem Patrum, memoratam linguam cum ſuis literis cuſtoditam; nam Moyſes in populo Dei conſtituit qui docendis literis præeſſent, priuſquam divinæ legis ullas literas noſſent: hos appellat ſcripturæ Grammaton iſagogos.* S. Auguſt. De C. D. Lib. XVIII. cap. 39. Idem Auguſtiſſimus Eccleſiæ doctor, Quæſt. 69. in Exod. diſputans quinam fuerint hi Γραμματων εἰσαγωγεῖς, ſic ſcribit: *Hic ſane ſignificatur*, inquit, *quod ante legem datam habuerint Hebræi literas, quæ quando cæperint eſſe, neſcio utrum valeat indagari. Nonnullis enim videtur, à primis hominibus eas cæpiſſe, & perductas eſſe ad Noë, atque inde ad parentes Abrahæ, & inde ad populum Iſrael: ſed unde hoc probari poſſit, ignoro.* Ibid. poſt, *fuiſſe.* ADD. Nec aliter Voſſius: *Niſi ante legem datam literæ fuiſſent, cui rei Lex tabulis æneis Dei ipſius manibus fuiſſet inſcripta?* De Arte Gram. Lib. I. cap. 9. Conſentit doctiſſimus Huetius, & Eupolemum mendacii reum peragit, qui Moſen literarum inventorem fecerat, Dem. Evang. Propoſ. IV. cap. 2. num. 29. Idem cap. 13. num. 9. *Moſen aut Abrahamum literarum inventores falſò pleroſque exiſtimaviſſe* ſcribit. Nil moror Judæos jactantes ab Abrahamo Patriarcha ſcriptum fuiſſe librum *De Creatione* יצירה, cum fabulis delectentur: inde tamen conſtat credidiſſe illos literas ante legem inventas fuiſſe.

Ibid. *Mercurio*] ADD. Ἑρμῆς, ὁ Διὸς καὶ Μαίας τῆς Ἀτλαντος παῖς, ἔτι ὢν ἐν ἀνθρώποις τέσσαρα μέγιστα ἄρετο, Γράμματα, καὶ Μουσικὴν, καὶ Πάλαισραν, καὶ Γεωμετρίαν· ὅθεν καὶ τὸς Ἕλληνας τετράγωνον αὐτὸν ἀσκῆσαι, καὶ ἔτως ἐν γυμνασίοις ἀναθεῖναι. Vetus Scholiaſt. Homeri ad Odyſſ. ver. 198.

Ibid. *Abrahamo*] Poſt, Philo Judæus. ADD. *Sed multis ante Abraham annis literæ videntur fuiſſe*, ait Lud. Vives comment. ad S. Auguſt. de C. D. Lib. XVIII. cap. 39. Vide notas infra ad num. [20].

Pag. 2. ADD. *Alloquio junxit,*] Literarum uſum & excellentiam nullius verbis melius comprehendi poſſe credo, quam his Diodori Siculi Biblioth. Lib. XII. ad quæ lectorem remiſi tantùm in notis ad Lib. III. num. [1.] pag. 56. Sic enim de legibus Charondæ agens ſcribit: Τὸν γραμματικὸν φησὶ τὰς ἄλλας μαθήσεις περέχειν ὁ νομοθέτης· καὶ μάλα προσηκόντως· διὰ γὰρ ταύτην τὰ πλεῖστα καὶ χρησιμώτατα τῷ πρὸς τὸν βίον ἐπιτελεῖσθαι, ψήφους, ἐπιστολὰς, διαθήκας, νόμους, τἄλλα τὰ τὸν βίον ἐπανορθοῦντα. τίς γὰρ ἂν ἄξιον ἐγκώμιον διάθοιτο τῆς τῶν γραμμάτων μαθήσεως; διὰ γὰρ τούτων μόνων οἱ τετελευτηκότες τοῖς ζῶσι διαμνημονεύονται· οἱ δ' μακρὰν τοῖς τόποις διεστῶτες, τοῖς πλεῖστον ἀπέχουσιν, ὡς πλησίον παρεσῶσι, διὰ τῶν γεγραμμένων ὁμιλοῦσι· ταῖς τε πρὸς πόλεμον συνθήκαις ἐνέδησιν ἢ βασιλεῦσι πρὸς διαμονὴν τῆς ὁμολογίαν ἢ διὰ τῆς γραμμάτων ἀσφάλεια βεβαιοτάτην ἔχει πίστιν. Καθόλου δὲ τὰς χρειοτάτας τῆς φρονίμων ἀνδρῶν ἀποφάσεις, καὶ θεῶν χρησμοὺς, ἔτι δὲ φιλοσοφίαν, καὶ πᾶσαν παιδείαν μόνη σῴζει, καὶ τοῖς ἐπιγινομένοις ἀεὶ παραδίδωσιν εἰς ἅπαντα τὸν αἰῶνα. Διὸ δεῖ μὴ ζῶν τῶν φύσιν αἰτίαν ὑπολαμβάνειν· τὸ δὲ καλῶς ζῶν, τῶν ἐκ τῆς γραμμάτων συγκειμένων παιδείαν. Mirificè hanc artem laudat, & paucis verbis ejus utilitates omnes enumerat Joan. Sarisberienſis in Prologo ad Policrat.

Ibid. *Memnonias ſileat ſtatuas*] Poſt, in Atticis. ADD. Item Philoſtrat. in vita Apollonii, Lucian. in Toxari, & Philopſeude, Scaliger. in Animadv. in Chron. Euſeb. ad Ann. cccc.

Pag. 3. *Signis viginti quattuor*] Poſt, Cic. Tuſc. quæſt. Lib. I. ADD. *Divinum miraculum certè, ut ex* XXIV. *notis, & interdum apud aliquas nationes paucioribus, infinita vocabula, mentes diverſæ, contrariæ, actus omnium hominum, & ipſa cogitationes poſſint efficaciùs & perfectiùs, quam ipſa pictura repreſentari: fiuntque ſcripturæ ad perpetuam rei memoriam; conſervat enim ſcriptura, quæ hominis memoria non poteſt complecti.* Pet. Greg. Tolosanus De Repub. Lib. XVI. cap. 2.

Pag. 5. *Ingenii majus ſpecimen*] ADD. *Sed quos limites ſolertia humani patitur ingenii? Poſtquam primùm ſive naturæ, ſive induſtriæ miraculum eviluit, loqui; tentavit quiſque etiam ſine voce loqui. Linguæ oriſque vices ad manum tranſlatæ ſunt, & ſermonis picturam vivcum papyri æquor excepit.* Eric. Putean. De Palæſtra bonæ mentis. Orat. III. ubi vide reliqua, lectu, meo quidem judicio, digniſſima.

Pag. 6. *At non Mercurius*] ADD. Triſmegiſtus dictus, quia, ut Suidas tradit, Περὶ Τειάδα ἐφθέγξατο, ἅπερ ἐν Τειά-

δι

δι μίαν ἢ) θεότητα. Fortè credebat Suidas quæ ſub ejus nomine nunc extant ſcripta, eſſe genuina. De hoc Mercurio vid. S. Auguſt. De C. D. Lib. XVIII. cap. 39. Caſaubon. Exercit. I. contra Baronium, & Dan. Heinſ. Epiſt. ad Balſacum.

Ibid. *Sed neque Phœnices*] ADD. Joſephus uſum literarum apud Græcos etiam Cadmo recentiorem eſſe contendit, ſed argumento parum firmo, ſcribens: Οἱ γὰρ ἀρχαιότατοι αὐτῆς τῆς χρῆσιν εἰδ) θέλουσες, πρὸ Φοινίκων καὶ Κάδμου σεμνύονται μαθεῖν. Οὐ μὴν ἀλλ' ἔστ' ἐκείνοις τῶν χρόνων δύναταί τις ἂν δεῖξαι σωζομένων ἀναγεγραμμένα ὅτ' ἐν ἱεροῖς, ὅτ' ἐν δημοσίοις ἀναθήμασι. Cont. Appion. Lib. I. Herodotus enim in Terpſichore Inſcriptiones ejuſmodi in Græcia extitiſſe ſua ætate, & ab ipſo viſas teſtatur: qualis illa fuit quæ Thebis in Iſmenii Apollinis templo literis Cadmeis in Tripode inciſa, his verbis:

Ἀμφίτρυων μ' ἀνέθηκεν ἐὼν ἀπὸ Τηλεβοάων.

Vide notas ad num. [20.]& Montfaucon. Palæograph. Lib. II. cap. 1.

Ibid. Poſt, λύμ. ADD. Et ſunt qui ipſius Cadmi nomen à קדמני (qua voce non nomen viri cujuſdam proprium, ſed gentem Orientalem ſignificari videtur) quorum Moſes meminit Gen. XV. 19. deduci poſſe credunt. Et hinc fortaſſe Thebani apud Homerum ἰλ. δ. Καδμείωνες vocantur.

Pag. 7. *Nili*] Qui in ſcriptura ſacra κατ' ἐξοχὴν יאור id eſt, *Fluvius* & נהר מעדים vocatur.

Ibid. *Puer*] Moſes, de quo Sibylla Lib. I.

Μωσῆν ὃν παρ' ἕλκος βασίλειος θυγάτηρ ἀνόμιζε,
Θερμουθὶς, δ' υἱὸν τ' ἐκαλέσατο.

Ibid. *Tempora Moſis*] Vide Catalogum.

Pag. 8. *Enoch*] Poſt, S. Auguſtini verba, ADD. *Cujus ſcripta ut apud Judæos & apud nos in authoritate non eſſent, nimia fecit antiquitas, propter quam videbantur habenda eſſe ſuſpecta, ne proferantur falſa pro veris*, Idem ibid. Lib. XVIII. cap. 28. Vid. Catalogum.

Ibid. *Credidit Aſſyrias*] Poſt, Ἑβραῖοι. ADD. Patriarcha Jacobus in ea Confeſſionis formula quam Moſes jubente Deo populo Iſraelitico tradidit, Syrus vocatur, Deut. XXVI. 5. niſi veterem Interpretem Latinum ſequi juvet, vertentem verba illa ארמי אובד אבי *Syrus perſequebatur patrem meum*, ac ſi de Labane Syro dicta eſſent.

Pag. 9. ADD. *Neſcio quæ geminis*) Quoniam hic Lectorem remiſimus tantum ad Joſephi Antiq. Lib. I. utile futurum duximus auctoris verba deſcribere, quibus Sethi filios duas columnas cum Inſcriptionibus erexiſſe ſcribit: ait enim, Σοφίαν τῶν περὶ τὰ οὐράνια, καὶ τὴν τούτων διακόσμησιν ἐπενόησαν, πρὸς τὸ μὴ διαφυγεῖν τοὺς ἀνθρώπους τὰ δόγματα, μὴ

ὴ πεὶν εἰς γνῶσιν ἐλθεῖν, φθαρῆναι, περιεργικότ@ ἀφανισμὸν Ἀδάμ. πῶς ὅλων ἔσεσθ, τὸν μὲν καθ' ἱχλυὼ πυρὸς, τὸν ἕτερον ἢ χθ βίαν καὶ πλῆθ@ ὕδατ@, σήλας δύο ποιησάμενοι, τὴν μὲν ἐκ πλίνθ, τὴν δ' ἑτέραν ἐκ λίθων, ἀμφοτέρας ἐνέγραψαν τὰ δηλούμενα, ἵνα καὶ τῆς πλινθίνης ἀφανισθείσης ὑπὸ τῆς ἐπομβρείας, ἡ λιθίνη μένασα διδάσκῃ μαθεῖν τοῖς ἀνθρώποις τὰ ἐγγεγραμμένα. δηλοῖ δὲ, καὶ πλινθίνην δ' ὑπ' αὐτῶν ἀνατεθῆναι. Μένει δ' ἔτι τὸ δεῦρο χθ τὴν Συριάδα. Sed in qua terrarum orbis parte terra hæc sit, quam Συριάδα vocat Josephus, vel doctissimi viri se nescire fatentur, nim. Joseph. Scaliger in notis ad Fragmenta Manethonis apud Eusebium, Pet. Dan. Huetius Dem. Evang. Propos. IV. cap. 2. num. 15. Et Stillingfleetus in Orig. sacr. Lib. I. cap. 2. Quamvis Is. Vossius invenisse sibi videtur libro de Ætate Mundi, quem vide. Manetho quidem apud Eusebium profitetur se historiam suam excepisse ἐκ τῆς ἐν τῇ Συριαδικῇ γῇ κειμένων στηλῶν, ἱερᾷ διαλέκτῳ, καὶ ἱερογλυφικοῖς γράμμασι κεχαραγμένων ὑπὸ Θωὺθ τὸ πρῶτ@ Ἑρμῆ, καὶ ἑρμηνευθεισῶν μετὰ τὸν κατακλυσμὸν ἐκ τῆς ἱερᾶς διαλέκτ@ εἰς τὴν Ἑλληνίδα φωνὴν γράμμασιν ἱερογλυφικοῖς, καὶ ἀποτεθεισῶν ἐν βίβλοις ὑπὸ τῶ Ἀγαθοδαίμον@, τῶ δευτέρ@ Ἑρμῆ, παῖδος ἢ τῶ Τὰτ, ἐν τοῖς ἀδύτοις τῆς ἱερᾶς Αἰγυπτίων. Hæ columnæ fuerintne eædem cum Sethianis necne, quis mihi expediet? Vel si ullæ extarent, ea quæ his inscripta essent ante diluvium, à quoquam mortali post diluvium, & confusionem linguarum intelligi potuisse, quis mihi persuadebit? Sed Manethonis figmenta (erat enim fabulator egregius) refellit Josephus Lib. I. cont. Appionem, Hoc certe constat ex Josephi verbis invaluisse apud Hebræos opinionem, quod Seth literarum fuerit inventor, unde Tzetzes Chiliad. V. Hist. 26.

Ἑρμῆς ὁ καὶ Τεισμέγιστ@ γονεῖς ταῖς Αἰγυπτίων
Λέγεται πρῶτον εὑρεῖν γραμμάτων τας σωτήσεις,
Κἀν Σηθ' Ἑβραῖοι λέγωσιν εὑρετὴν γραμμάτων.

Ibid. *Humani generis qui simul auctor*] Post, Ἀδάμ. ADD. Alibi (alium secutus auctorem, & sine judicio, quicquid in quovis auctore invenerat transcribens,) Abrahamo literarum inventionem tribuens, sic scribit: Ἀβραὰμ ὁ πρῶτ@ ἐν πατειάρχαις ὤρξεν

ἔφερεν ἱερὰ γράμματα. Non dicit simpliciter γράμματα, sed ἱερὰ γράμματα, quibus verbis significat Abrahamum primum omnium Syris vel Assyriis (quibus nominibus Hebræi vocari soliti) vocum elementa tradidisse, ἱερὰ ideo dicta, quod his Oracula Dei postea conscripta sint. Idem Suidas ex aliorum, uti credo, sententia, à Setho, & Adami liberis inventas esse literas docet, atque ob hanc causam Sethum ab hominibus ejus ætatis pro deo habitum fuisse: Θεὸν τὸν Σὴθ οἱ τότε ἄνθρωποι προσηγόρευον, διὰ τὸ ἐξευρηκέναι τά τε Ἑβραϊκὰ γράμματα, τάς τε ἀπ' ἀστέρων ὀνομασίας. Ibid. Post Wilkinsii verba, ADD. In eadem sententia sunt Annius Viterbiensis in notis ad Berosum, Pet. Greg. Tolosanus Reip. Lib. XV. & Theod. Bibliander Comment. de Literis.

Pag. 10. *Carmenta Latinis*] Post, Dionysius Hal. Lib. II. ADD. Testatur Tacitus dicto loco, eam olim fuisse formam *literis Latinis, quæ veterrimis Græcorum.* Nec ille tantum, sed Plinius etiam idem docet his verbis; *Veteres Græcas fuisse easdem pene, quæ nunc sunt Latinæ, indicio erit Delphica tabula antiqui æris, quæ est hodie in Palatio, dono Principum Minervæ dicata in bibliotheca, cum inscriptione tali:* Ναυσικράτης Τισαμένῳ Ἀθηναῖος κόρας καὶ Ἀθηνᾷ ἀνέθηκεν. H. N. Lib. VII. cap. 58. Verba ipsa his characteribus inscripta fuisse docet Jos. Scaliger NAVSIKRATES. TISAMENO. ATHENAIOS. In Animad. ad Eusebii Chronicon. MDCXVII. Vide Dissertationem Auctoris Anonymi apud doctiss. Montfaucon. de Palæograph. Græca, ad calcem operis.

Ibid. ADD. *Niliacis Isis*] *Neque enim quisquam dicere audebit, mirabilium disciplinarum eos* [Ægyptios] *peritissimos fuisse, antequam literas nossent, id est, antequam Isis eo venisset, easque ibi docuisset.* S. Augst. De. C. D. Lib. XVIII. cap. 39. *Ægyptii non multùm ante annorum duo millia literas magistra Iside didicerunt.* Idem ibid. cap. 40.

Ibid. *Phœnix Cadmusque Pelasgis*] Post, didicisse. ADD. Οἱ δὴ Φοίνικες ἔτοι οἱ σὺν Κάδμῳ ἀπικόμενοι ἐσήγαγον διδασκάλια ἐς τοὺς Ἕλληνας, καὶ δὴ καὶ γράμματα, οὐκ ἐόντα πρὶν Ἕλλησι, ὡς ἐμοὶ δοκέει. Et mox, Οἱ παραλαβόντες διδαχῇ, ἔφη, Φοινίκων τὰ γράμματα μεταρρυθμίσαντες σφέων ὀλίγα, ἐχρέωντο. Aitque proinde vocari Φοινικήια. Testatur & auctor anonymus, qui Thebaica scripsit, sic canens:

Ὧδε Παλαισίνης μὺν ὑπὸ χθονὸς ἦλθεν Ἀχαιοῖς
Ἰδμοσύνη, Φοῖνιξ ὃν μὲν Ἕλλασι Κάδμος ὀπάσσε
Θρεφθεὶς ἐν λογίοισι Παλαισίνης περάτεσσι.

Hinc Hesychio ἐκφοινίξαι idem est ac ἀναγνῶσαι.

Pag. 12. *Hebræi tantum habuere decem*] Poſt, *confiſiantur.* ADD. Sed Feuerdantium ridet, & in aſſignandis illis decem primævis literis falli illum indicat Voſſius Lib. I. de arte Gram. cap. 27.

Ibid. ADD. *Totidem numerare Latini*] *Sed nobis quoque paucæ primùm fuere: deinde additæ ſunt.* Tacit. Annal. Lib. XI. cap. 14.

Ibid. *Palamedis aves*] Poſt, fateor. ADD. Fuerunt & qui Palamedi non harum tantùm, ſed etiam reliquarum Literarum Græcarum inventionis gloriam tribuerent, ut patet ex Corn. Taciti verbis loco ſupra citato.

Ibid. ADD. *Tres Cæſar Claudius*] Teſtes ſunt C. Tacitus ubi ſuprà, & Suetonius in vita. Tres illæ literæ, quæ fuerint, à neutro auctore proditum eſt: ſed poſt Claudii mortem in uſu eſſe deſiiſſe uterque tradit. Unam fuiſſe Digamma Æolicum hac forma Ϝ, quo V conſonans exprimeretur, docet Quintilianus. Hinc in vetuſtis Inſcriptionibus legimus AMPLIAVIT: Alteram Antiſigma hac figura ↄc ad exprimendum pſ. loco Græcorum Ψ. teſtatur Priſcianus Lib. I. Tertia planè ignota eſt.

Pag. 13. ADD. *Invenere patres*] *Neceſſitatis inventa antiquiora ſunt, quam voluptatis.* Cic. de Oratore. *Priores partes agit quod utile eſt, quam quod delectat.* Varro de RR. Lib. I. cap. 4.

Pag. 14. *Eſra dedit*] Origenes in Fragmento quodam nondum edito de Tetragrammato יהוה verba faciens hæc habet: Καὶ ἐν τοῖς ἀκριβέσι τῶν ἀντιγράφων Ἑβραϊκαῖς ἀρχαίοις γράμμασι γέγραπται· ἀλλ' οὐχὶ τοῖς νῦν, φασὶ γὰρ τὸν Ἔσδραν ἑτέροις χρήσασθαι μετὰ τὴν αἰχμαλωσίαν. Quem ſecutus Hieronymus:

Ibid. Poſt S. Hieronymi verba, ADD. *Hic fuiſſe dicitur ſcriba legis peritiſſimus, quem Hieronymus tradit fuiſſe Joſedech, cujus filius fuit Jeſus Sacerdos magnus, quem ferunt incenſos à Chaldæis legis libros memoriter reſtituiſſe, non ſine numine, commutaſſeque literas Hebraicas, ne cum Samaritanis, qui ex gentibus in Judæam venerunt, miſcerentur, Auctor eſt Euſebius. Eis poſtea literis uſi ſunt Judæi figura tantum & apicibus à Samaritanis, quæ fuerunt priſcæ illæ, diſerepantes.* Lud. Vives in S. Auguſt. De C. D. Lib. XVIII. cap. 36. *Communis Patrum opinio eſt*, inquit Voſſius, *Scripturam ab Eſdra inſtauratam, cum ejus libri à Chaldæis aboliti eſſent. Quod fabuloſum eſt: id quidem probabile eſt, ſacros libros ab eo in Canonem digeſtos, & priſtino nitori reſtitutos.* Nugantur Talmudiſtæ (in Sanhed. §. 11.) characterum Hebraicorum quibus hodie Judæi utuntur, non Eſdram, ſed Angelum auctorem fuiſſe fingentes. Ajunt enim verba illa *Mene, Tekel, Phares*, Baltaſſare epulante muro inſcripta fuiſſe ab Angelo figuris hodiernis; has ſuis Danielem tradidiſſe; Eſdram deinde libros ſacros iiſdem deſcripſiſſe. Sed hæc mera ſunt Rabbinotum deliria, in Samaritanorum odium conficta. Cæterum Eſdram ſcripſiſſe librum Eſther S. Auguſtinus putat, De C. D. Lib. XXIII. cap. 36. Vid. Pet. Comeſtor. in Levit. cap. 1.

Ibid. *Samaritica ſigna*] Poſt Scaligeri verba, ADD. Verum pro antiquitate characterum qui Eſdræ dicuntur eſſe, & contra Samaritanorum

ritanorum antiquitatem pugnant Talmudici doctores, quorum nomina exhibet doctiſſ. Montfauconius in Palæographia Græca.

Ibid. *Phœnices Graiis*] Poſt, Bochart. Geograph. Part. III. Lib. 9. cap. 20. ADD. Porro literas eas, quas Cadmus ſecum in Græciam attulit, figura prorſus convenire cum Ionicis vetuſtis fatetur Herodotus in Terpſichore, illarumque exemplum in Columna quadam in via Appia repertum exhibet tibi idem Joſ. Scaliger in notis ad Euſebii Chronic. Ann. MDCXVII. Vide ejuſdem Epiſtolas binas, unam ad Thomſonem, alteram ad Stephanum Ubertum, in quibus vir magnus linguam Hebræam (qua perſcriptæ ſunt ſacræ literæ) eſſe Chanaanæorum Linguam, quam Abrahamus ipſe ab Chanaanitis didicerit, contendit. In eadem ſententia ſunt Voſſius de Arte Gram. Lib. I. cap. 9. & Huetius Demonſt. Evang. Prop. IV. cap. 13. num. 2.

Ibid. *Graios Romanis*] Poſt Plinii verba, ADD. Etruſcos vero à Corinthio Damarato literas didiciſſe tradit Tacitus Annal. Lib. XI. cap. 14. Nec literas tantùm, ſed etiam artes omnes liberales Romani à Græcis acceperunt: Hinc Horatius Lib. II. Epiſt. 1.

Græcia capta ferum victorem cepit, & artes
Intulit agreſti Latio.

Pag. 15. *En cladi infandæ*] Poſt Lud. Vivis verba, ADD. *Inter præcipua ſtudiorum & eruditionis impedimenta eſt illa diffuſa, & ad deſperationem uſque intricata linguarum diſcendarum ratio, adeo ut totam ætatem multi in ſolis Grammaticorum nugis diſcendis miſerabiliter conterant. Jacent interim neglectæ & ignoratæ res, quarum cauſa omnis ille ſuſcipitur labor.* Hornius in Præfat. ad Arcam Moſis.

Pag. 15. ADD. *Turrim Babylonis*] Vide Gen. X. Hanc turrim Nabrodis conſilio & hortatu ædificare aggreſſos fuiſſe homines tradit Joſephus Antiq. Lib. I. cap. 5. Idem citat Sibyllæ cujuſdam verba, Πάντων ὁμοφώνων ὄντων τῷ ἀνθρώπων, πύργον ὠκοδόμησαν τίνες ὑψηλότατον, ὡς ἐπὶ τὸν οὐρανὸν ἀναβησόμενοι δι' αὐτῶν· οἱ δὲ θεοὶ ἀνέμους ἐπιπέμψαντες, ἀνέτρεψαν τὸν πύργον, καὶ ἰδίαν ἑκάστῳ φωνὴν ἔδωκαν.

Ibid. ADD. *Scribere ſi unimodis*] Excogitari poſſe ſcripturam quæ toti orbi ſit comunis, & quam gentes, unam duntaxat linguam callentes, ſua quæque lingua legant & intelligant clariſſ. Voſſius non diffitetur. Certe ante illum id fieri poſſe exiſtimavit Hermannus Hugo libro *De Origine Scribendi* cap. IV. Apud Sinenſes tale quiddam extare tradit Nic. Trigaultius hiſtoriæ ſuæ Sinenſis Lib. I. cap. 5.

Ibid. *Quæ primus*] Poſt Kircheri verba, ADD. Audiamus quid Philo in eo libro qui Περὶ μετονομαζομένων inſcribitur, tradit: Πάλαι γάρ φησιν ὁ ἀνὴρ ἐκάλεσεν ὁ Ἀβραμὶ, τοῦτο ὄνομα τῇ κληθείσῃ ἦν. ἔδει δὲ ὅτε ἐπὶ τὰς ὁλοκλήρους θέσεις

θέσεις τῶν ὀνομάτων, ὁ Θεὸς ἠξίωσεν ἐπιφημίζειν, ἐπιτρέψας ἀνδρὶ σοφῷ τῷ γένους ἀνθρώπων ἀρχηγέτῃ τὸ ἔργον· ὑπονοεῖν ἄξιον, ὅτι μέρη τῶν ὀνομάτων, ἢ συλλαβάς, ἢ γράμματα, ἢ φωνήεντα μόνον, ἀλλὰ καὶ ἄφωνα, αὐτὸς περιετίθει καὶ μεθήρμοζε. καὶ ταῦτ' ἐπὶ περιφάσει δωρεᾶς καὶ ὑπερβαλλούσης ἀεργεσίας ἐκ ἔστιν εἰπεῖν. ἀλλὰ τὰ τοιαῦτα, χαρακτῆρες δωμάτων εἰσί, βραχεῖς μεγάλων, αἰσθητοὶ νοητῶν, φανεροὶ ἀδήλων.

Pag. 16. *Rebus numerandis*] ADD. Priſcianus de figuris numerorum, *Una*, inquit, *per I ſcribitur, antiquo more Atticorum, qui ſolebant principalem nominis numeri literam ponere, & ſignificare, numerum. Ergo* ἰὰ *pro* μία *dicentes I ſcribebant, &* Π πέντε, &Δ δέκα ..... & H ἑκατον &c. *Hos igitur Latini quoque in pleriſque imitati ſunt. Nam per I, unum notant, illos ſecuti.* Poſt, Lib. III. ſub initio. ADD. & Scaurus de Orthographia edit. Putſchianæ pag. 2258.

Pag. 17. *Eſſe hodierna Arabum*] Poſt, *Algoriſmos appellant.* ADD. Vide Selden. in Præfat. ad Eutych. & Monachium in Var. Sacr. Huetius has figuras non ab Arabibus, ut plerique docti crediderunt, ſed à Græcis literis à Librariis corruptis veniſſe docet Demonſt. Evang. Prop. IV. cap. 13. num. 9. rectène an ſecus judicent alii. Certe vulgares figuras in Codice quodam MS. Geometricorum Boethii, & in notis Senecæ ac Tyronis cum comperiſſet Iſ. Voſſius (ut ipſe in notis ad Pomp. Melam. teſtatur,) vetuſtiores eſſe putavit, quàm vulgò creduntur.

Ibid. *Nominibus numerum*] Poſt, reliqua ibidem. ADD. Vir doctiſſ. Edmundus Dickinſonus in Delph. Phœniciz. cap. 1. ab Hebræis derivandum putat inſigne illud verſus ἰσοψήφους (quorum meminit A. Gellius Noct. Atric. Lib. XIV. cap. 6.) componendi, atque nomina ἰσόψηφα perveſtigandi ſtudium: Additque. *Ea nomina*, inquit, *ſunt* ἰσόψηφα, *quorum literæ, ſi prout numeri aliquid notent, accipiantur, eundem conſtituunt numerum; atque adeo ejuſdem poteſtatis eſſe judicantur. Unde in Epigrammatis Græcis Demagoræ cujuſdam nomen* ἰσόψηφον *eſſe cum nomine* λοιμὸς *falsè à poetâ & acutè oſtenditur.* In utroque enim continetur numerus CDXL.

Pag. 18. *Scriptum nil licet*] Poſt Joſephi verba, ADD. Οὐδὲ Πυθαγόρας ἔγραψεν οὐδέν, οὐδὲ Σωκράτης, οὐδὲ Ἀρχεσίλαος, οὐδὲ Καρνεάδης οἱ δοκιμώτατοι τῶν φιλοσόφων. Plutarch. in libro De Fortuna Alexandri. De Socrate quidem teſtatur Cicero: *Literam ipſe nullam reliquit, ſed ejus ingenium variuſque ſermones immortalitati ſcriptis ſuis Plato tradidit.* De Oratore cap. 16. Vid. not. ad Lib. III. num. [22].

Ibid.

Ibid. *Anagrammata*] Poſt, Lib. IV. cap. 38. ADD. Scribentem, *Credibile eſſe* [Anagrammata] *à Judæorum capiſſe Doctoribus, qui nata ad hujuſmodi literarum obſervationes ingenia habuerunt: quæ deinde linguæ Hebraæ in his nominum inverſionibus fœcunda quam maximè felicitas, non mediocriter adjuvit.* Cui aſſentit Cl. Dinkinſonus ubi ſuprà: *Anagrammatiſmos*, inquit, *ab Hebræis olim promanâſſe vel illud Argumento eſt, quod Hebræi non modo nomina magna veneratione proſequi, ſed & eorum literas numerare, penſitare, nec non & magni facere ſolebant. Adhæc traditum eſt* (*teſte Blanco Albienſi, qui alicubi legiſſe aſſerit,*) *Lycophrona literas Hebraicas percalluiſſe, & inde anagrammata conficiendi modum didiciſſe.* Quo nomine & claruiſſe illum in Ægypto, Ptolemæoque charum fuiſſe ex Tzetze docet idem vir doctus loco jam citato.

Pag. 19. *Servi*] Poſt, σύμβολον. Lib. IV. ADD. Hinc ſervi teſte Polluce Lib. III. Onomaſt. Στιγῶνες, & σιγμαῖαι appellantur, quos Plautus *literatos* vocat. Erat ſervorum frontibus ſcriptum, quemadmodum refert Gellius, *Quid morbi vitiique cuique ſiet; Quis fugitivus, errove ſiet; noxave ſolutus non ſiet.* Inter Thraces vero, uti ſcribit Herodotus in Terpſichore, κὴ τὸ ὀϛίχθαι ἀγενὲς κέκριται· τὸ δ' ἄστικτον, ἀγενές.

Ibid. *Notas*] Poſt Ciceronis verba, ADD. Quæ uti Plutarchus in Catone ſcribit, ἐν μικροῖς κὴ βραχέσι τύποις πολλῶν γραμμάτων δυνάμιν haberent. Σημεῖα γραμμάτων πρὸς τάχος ἐξευρέθη. Hoc modo accipiuntur hæ notæ in leg. 33. Digeſt. Scilicet, ut S. Baſilius ingenioſe ſcribit, Οἱ λόγοι τὴν φύσιν ὑπόπτερον ἔχουσι· διὰ τοῦτο σημείων χρήσασιν, ἵνα ἱπταμένων αὐτῶν, λάβῃ τὸ τάχος ὁ γράφων. In Epiſt. 150. ad Notarium. Utebantur veteres etiam abbreviationibus in ſcribendo, quarum exempla exhibet Monfauconius Palæograph. Græc. Lib. V. cap. 1. De notis his ſcriptus eſt à Cicerone liber, cujus fragmentum extat ad finem operum, Editionis Wechelianæ Anni MDXC. Notæque aliquot apponuntur quales ℔ ſignific. *approbat*; ℳ *modeſtus*; ℳℐ *peiſtola*. Joan. Trithemius tradit hunc librum Ciceronis à D. Cypriano auctum fuiſſe, in modum Dictionarii; Additque, ſe vidiſſe totum Davidis Pſalterium notis hiſce exaratum. Adi, ſi placet, ipſum Trithemium in Polygraphia. Vide etiam Joſ. Scalig. Epiſt. 418. & Wower. Polymath. cap. 5.

Ibid. *Sic volitare manum*] Poſt, *peregit opus*. ADD. In judiciis publicis aderant (ut nunc adſunt) qui brevibus notis ex ore dicentium omnia exciperent: Ἄξιῶ δοθῆναι μοι τὸς ταχέως γράφοντας, κὴ σῆναι ἐγγὺς τὸ μέσον, ait Proæreſius apud Eunap. in vita, cum in judicio coram Proconſule ſtaret. Epiphanius tradit LXXII. Interpretibus Ptolemæum addidiſſe famulos μὴ ταχυγράφων. Lib. *De Ponderib. & Menſur.*. De Tito Cæſare Suetonius ſcribit, quod ſolitus eſſet *notis velociſſimè excipere.*

Ibid

Ibid. *Nuce*] Poſt Plinii verba ADD. De Myrmecidis Mileſii, & & Callicratidis Lacedæmonii in hac arte præſtantia, vid. Ælian. Var. Hiſt. Lib. I. cap. 17.

Pag. 20. ADD. *Criticaſque vocari*] De his videndus Diog. Laertius in vita Platonis, ubi quid Diple, Obelus, Ceraunium, Aſteriſcuſeſſent, & ad quos uſus à veteribus uſurparentur, docet. Diplæ figura illa erat ⩤, Obeli ⨪, Ceraunii ⨮. Reliqua vide apud Iſodor. de Origin. Lib. I. cap. 20. Sixt. Senenſ. Biblioth. Lib. III. & Joan. Baptiſt. Port. de Furt. liter. notis Lib. I. cap. 7.

Ibid. ADD. *Platonis*] Σημεῖά τινα τοῖς βιβλίοις αὐτῶν προτιθέναι. Diog. Laert. ubi ſupra. Videndus S. Epiphanius in libro περὶ μέτρων.

Ibid. *A dextra incipere*] Poſt Pomp. Melæ verba ADD. Quin & Græcos, Romanos,, & Etruſcos Hebræorum more olim à dextra ad ſiniſtram ſcripſiſſe exemplis adductis docet Cl. Dickinſonus in Delph. Phœniciz. cap. 10. Illud ſcribendi genus Τæpocon vocari ſolitum auctor eſt Sext. Pompeius Lib. XVIII. *Tæpocon*, inquit, *appellant Græci genus ſcribendi ſiniſtrorſum verſus, ut nunc dextrorſum verſus ſcribimus.* Vid. Lil. Greg. Gyrald. De Poet. Dialog. I.

Ibid. *Quo agricola bobus arant*] Poſt, ex eo Suidas. ADD. Hinc *verſus* (notante Iſidoro Orig. Lib. VI. cap. 13.) *ita vocati, quia ſic ſcribebant antiqui.* Forte ex hoc ſcribendi modo phraſis Latina *exarandi literas provenire* potuit. Βουστροφηδὸν etiam Hebræos ſcripſiſſe ante Eſdræ tempora tradit (ſed nullo auctore) Nauclerus Gen. LIV.

Ibid. ADD. *Acroſtica*] Talia ſunt Sibyllæ Ærythrææ quæ Græcè de venturo Chriſto circumferuntur carmina, quorum literæ initiales hæc verba conficiunt: ΙΗΣΟΥΣ ΧΡΙΣΤΟΣ ΘΕΟΥ ΥΙΟΣ ΣΩΤΗΡ. Horum meminit D. Auguſtinus in libris De C. D. & Latinè verſa exhibet, ſic incipientia:

Judicii ſignum, tellus ſudore madeſcet,
E cælo rex adveniet, per ſecla futurus
Scilicet in carne præſens, ut judicet orbem.

Idem ſanctus Pater hos verſiculos à Flacciano Clariſſimo viro Græcè ſcriptos ſe accepiſſe ſcribit.

Pag. 21. *In ſaxis*] Poſt, vocat. ADD. Exemplum Epiſtolæ à Themiſtocle in lapidibus exaratæ exhibet Herodotus Lib. VIII. cap. 22.

Ibid. *Hinc aſſueverunt in plumbo*] Poſt, *vel certè ſculpantur in ſilice?* ADD. Ubi pro *certè*, ut eſt in Vulgata, alii legunt *cælte*, quam lectionem tuetur Caſaubonus in Lib. VII. Athenæi cap. 20. Vide Voſſ. de arte Gram. Lib. II. cap. 35.

Ibid. Poſt, Valeſius. ADD. Librumque plumbeis foliis conſtantem reperiſſe ſe Romæ nuperrimè ſcribit vir Cl. Montfaucon. in Palæograph. Græc. Lib. II. cap. 8.

Pag.

Pag. 22. ADD. *Opiſtographus*] Ita dictus, quod ὄπιθεν, hoc eſt, à tergo eſſet ſcriptus, qualis erat Codri *Oreſtes*, teſte Juvenali Satyr. I. qualia & Plinii ſenioris ſcripta, de quibus Plinius nepos ſic ſcribit: *Electorum*, inquit, *commentarios centum ſexaginta mihi reliquit Opiſthographos quidem, & minutiſſimè ſcriptos.* Epiſt. Lib. III. ep. 5. Quæ ſic à Teſtatoribus data eſſent ſcripta, in judiciis valuiſſe ſcribit Ulpian. l. *Chartæ* ff. de bon. poſſ. *Proinde etſi in Opiſtographo quis teſtatus ſit, hinc peti poteſt bonorum poſſeſſio.*

Ibid. ADD. *Palimpſeſti*] Budæus in libro *De Aſſe Palimpſeſtum* interpretatur, *Chartam deletilem, qua calculatores utuntur.* Juriſconſulti *Deletitiam chartam* vocant. Hujus meminit Cicero in Epiſtola ad Trebatium Lib. VII.

Pag. 23. ADD. *Inde in pelliculis*] In his ſcribere ſolitos fuiſſe veteres Iones teſtatur Herodotus his verbis: Καὶ τὰς βίβλας διφθέρας καλέουσι ἀπὸ τοῦ παλαιοῦ Ἴωνες, ὅτι ἐν απάνεῳ βίβλων ἐχρέωντο διφθέρησι, αἰγέῃσί τε καὶ οἰέῃσι τε. Additque, ſua etiam ætate multas barbaras gentes in ejuſmodi pellibus ſcribere ſolitas, Lib. V. cap. 58.

Ibid. ADD. *Volvendo*] De modis, quibus veteres in volvendis libris uſi ſint, videndus Gorop. Becanus in *Hermathena*.

Ibid. ADD. *Cedro*] *Quæ unguntur cedrio, ut libri, à tineis & carie non læduntur.* Vitruv. Lib. II. cap. 9. Hinc Horatius de Arte:

Speramus carmina fingi
Poſſe linenda cedro.

Et Perſius,

Et Cedro digna locutus.

Sat. I. ver. 42. Cedrius eſt liquor ille qui ex cedro profluit, nec libris modo, ſed corporibus etiam humanis à putredine conſervandis utilis eſt.

Pag. 24. *Bibliotheca*] Poſt, in vita Moſis, ADD. Juſtin. Mart. in Apol. Clemens Alex. Strom. I. Epiphanius Lib. *De Ponderibus & menſuris.* Niceph. Hiſt. Eccleſ. Lib. IV. cap. 14. De Ptolemæo tradunt ſcriptores, quod cum Athenienſes frumenti inopia premerentur, non prius alimenta conceſſerit, quam ſibi tragœdiarum Sophoclis, Euripidis, & Æſchyli Autographa tradidiſſent: proque iis quindecim argenti puri talenta oppignoravit: quibus acceptis Apographa exquiſitè eleganterque exarata remiſit Athenas, civitatem ea ſumma XV. talentorum donavit, quam in pignus acceperat. Ibid. Poſt. Lib. VI. cap. ult. ADD. & notas inſita ad Lib. V. num. [54.] Celebriores per Europam Bibliothecas tam veteres quam recentiores recenſet Montfaucon. in Palæograph. Gr.

Pag. 24. ADD. *Arundo*] Seu calamus, quo veteres ſcribere ſoliti ſunt. De hoc extat in Anthologia epigramma non inveuſtum:

Ἥμιν

Ἥμιλω ἀρχῆον καλαμῶ φύτον· ἐκ γὸ ἐμεῦο
Οὐ σῦκ', ὀ μῆλον, φυέται ὀ σαφυλὴ·
Ἀλλὰ μ' ἀνὴρ ἐμύησ' Ἑλικωνίδα, λιπτὼ τρήσας
Χείλεα, κὴ σανὸν ῥᾶν ὀχετᾶσ' ἀμολγῶ.
Ἐνδὲ τῦ δ' τε πίοιμι μέλαν ποτὸν, ἔνθεῶ οἷα,
Πᾶν ἔπῶ ἀφθέγκλῳ τῷδε λέγω σόματι.

Pag. 26. ADD. *Sepia*] Piſcis, de quo Poeta:

Nigro diſtillans ſepia nodo.

Ibid. *Minio*] ADD. In ſubſcriptionibus ſolis Imperatoribus olim minio uti licebat, & quæ ſic ſcribebantur Nicetas Choniates Acominates in Annalibus ἐρυθρογλαυκῷ βασίλειον γράμμα vocat. Quinetiam olim Majuſculæ literæ, & ſententiæ inſigniores minio deſcribebantur: Hinc Ovidius,

Nec titulus minio, nec cedro charta notetur.

Ibid. ADD. *Mero*] Hinc idem Ovidius:

Verba ſupercilliis, ſine voce loquentia dicam:
Verba leges digitis, verba notata mero.

Et ſub perſona Helenæ ad Paridem:

Orbe quoque in menſa legi ſub nomine noſtro,
Quod deducta mero litera fecit, AMO:
Credere me tamen hoc oculo renuente negavi;
Hei mihi, jam didici ſic quoque poſſe loqui.

Pag. 27. ADD. *Sunt motis digitis*] De his agit Iſidorus Orig. Lib. I. cap. 25. *Sunt quædam*, inquit, *& digitorum notæ; ſunt & oculorum, quibus ſecum taciti proculque diſtantes colloquuntur &c.* Adducitque verba Salomonis de viro inutili, *Annuit oculo, terit pede, digito loquitur.* Prov. VII. 13. In hac arte eo uſque profeciſſe dicuntur Turcæ, ut qui ſint inter illos muti, quicquid alius quiſpiam lingua, id illi digitorum motu exprimere poſſint. At qui hoc tradunt, à me fidem non impetrant: Fieri enim non poteſt ut quis ſolo motu digitorum animi ſenſa perfectè exprimat, niſi tali motu literas omnes, atque adeo voces ſignificare poterit. Vide Joan. Bapt. Port. de Furtivis liter. notis Lib. I. cap. 7.

Ad

Ad LIB. II.

Pag. 28. ADD. *Vota*] *Quæ quiſque in vita agit, agendaque ſibi aliis negotiis præponit, vota appellantur.* Barth. in notis ad Claud. Præfat. in Conſul. Honorii.

Pag. 29. ADD. *His miſcent voces*] *Epiſtolarum uſus eſt, ut disjuncti locorum intervallis, affectu adhæreamus.* S. Ambroſ. ad Sabinum. Lib. II. Τὸ γὰρ ἐπιſολῆς πρᾶγμα, ὐκ ἐχέμυθον, ἀλλὰ φύσιν ἔχει τῷ ἀπειτυχόντι προσδιαλέγεσθαι. Syneſ. Epiſt. 37. Vid. D. Baſilii Epiſt. LV. quæ eſt ad Ambroſium, & Theodoret. Orat. IV. De Providentia.

Ibid. ADD. *Columba*] De his Plinius Lib. X. cap. 37. *Magnis in rebus fuere internunciæ &c. Quid vallum & vigil obſidio, atque etiam retia amni prætenta profuere Antonio, per cœlum eunte nuncia!* Vid. Lipſ. Epiſt. cent. ad Ital. ep. 59. & Joan. Bapt. Port. *De furtiv. lit. notis* Lib. II. cap. 21. Huc ſorte reſpiciens ſcripſit Juvenalis:

Tanquam è diverſis partibus orbis
Anxia præcipiti veniſſet epiſtola penna.

De epiſtolis ab hirundinibus perlatis Vid. Plin. Lib. X. cap. 24. De cornice etiam tabellarii munere fungente Vid. Ælian. hiſt. animal. Lib. VI. cap. 7.

Ibid. ADD. *His affari oculos*] Ἐγὼ ἐμοὶ ὧν ἀπολαύω τῆς ἱερᾶς τῆσδε τῆς Θεᾶς χάριτος, καὶ πρὸς ὃν ἔδει λαλεῖν, εἰ μὴ δυνάμαι, διὰ τοῦτο ποιῶ, καὶ κατὰ τὸ ἐνδεχόμενον σώζομαι, καὶ ἀπολαύω τῆς ἐμῆς παιδικῆς. Syneſ. Epiſt. 138.

Pag. 31. *Literulis mutatis*] Poſt., *commutet.* ADD. Idem tradit Dio Lib. XXXIX.

Ibid. *Sunt arcana ſuæ*] ADD. Exemplum hujus rei plane mirabile à Damarato quodam excogitatum exhibet Herodotus in fine Libri VI. cujus verba deſcribam: Ἐπεὶ τε γὰρ Ξέρξῃ ἔδοξε στρατηλατέειν ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα, ἐὼν ἐν Σούσοισι ὁ Δημάρητος, καὶ πυθόμενος ταῦτα, ἠθέλησε Λακεδαιμονίοισι ἐξαγγεῖλαι. Ἄλλως μὲν δὴ οὐκ εἶχε σημῆναι· (ἐπικίνδυνον γὰρ ἦν μὴ λαμφθέντι·) ὁ δὲ, μηχανᾶται τοιάδε. δελτίον δίπτυχον λαβὼν τὸν κηρὸν αὐτοῦ ἐξέκνησε, καὶ ἔπειτα ἐν τῷ ξύλῳ τοῦ δελτίου ἔγραψε τὴν βασιλέως γνώμην. ποιήσας δὲ ταῦτα, ὑπίσω ἐπέτηξε τὸν κηρὸν ὅπως τὰ γράμματα, ἵνα φερόμενον κενὸν τὸν δέλτιον, μηδὲν πρᾶγμα παρέχοι πρὸς τῶν ὁδοφυλάκων

κων. Ἐπεὶ ὃ ἀπίκετο ἐς τὸ Λακεδαίμονα, οὐκ εἶχον συμβαλέσθαι οἱ Λακεδαιμόνιοι, πείν γε δήσοι (ὡς ἐγὼ πυνθάνομαι) Κλεομβρότου μὲν θυγάτηρ, Λεωνίδεω δὲ γυνὴ, Γοργὼ, ἐπέσχετο, ὑποφρασθεῖσα αὐτὴ, τὸν κηρὸν κνᾶν κελεύσασα, καὶ δὴ ἐφάνη σφέας γράμματα ἐν τῷ ξύλῳ. πειθόμενοι, εὗρον, καὶ ἐπελέξαντο, ἔπειτα δὲ τοῖσι ἄλλοισι Ἕλλησι ἐπέστειλαν. Idem Libro V. narrat quemadmodum *Hestiæus defectionem à rege Persarum Aristagoræ suadere volens, quia alia ratione animum suum significare non posset, utpote itineribus custoditis, fidelissimo è servis caput eraſit, literasque impressit, & hominem retinens quoad capilli renascerentur, ubi illi renati sunt, raptissimè dimisit Miletum, nihil aliud mandans, nisi ut quum Miletum pervenisset, juberet Aristagoram eraso capite suo inspicere, ea autem stigmata significabant defectionem.* Vide A. Gellium Lib. XVII. cap. 9. & Poliæn. Stratag. Lib. I.

Pag. 32, ADD. *In leporum*] Hoc modo Harpagus epistolam Cyro misit. Vide Herodot. Lib. I. & Justin. Lib. I. cap. 5.

Ibid. ADD. *In Scytale*] Quam vero facilè sic scripta detegantur docet Joan. Bapt. Porta in Lib. I. De Furtiv. lit. notis cap. 14.

Ibid. ADD. *Obsessis miseris*] Cæsar, cum audiret Ciceronem à Gallis obsessum oppugnationem ferre diutius non posse, militem misit, qui noctu epistolam jaculo alligatam supra murum emitteret, quod cum is fecisset repertam epistolam cum sagitta ad Ciceronem custodes attulerunt, in ea hæc verba notabantur: CÆSAR CICERONI FIDUCIAM OPTAT. EXPECTA AUXILIUM. Sic repente Cæsar venit, & interciſa oppugnatione hostes repulit. Vide Port. De Furt. lit. not. Lib. II. cap. 21. Epistolæ in urbem quandam per sagittam transmissæ meminit etiam Herodotus Lib. VIII.

Ibid. ADD. *Quæ cupientes*] *Hac causa inventa res ipsa est* (de literis loquitur,) *ut certiores faceremus absentes, si quid esset, quod eos scire, aut nostra, aut ipsorum interesset.* Cic. in epist. ad Curionem. *Sola est res quæ homines absentes, præsentes facit.* Turpilius apud Hieron. epist. 44. *Nunquam epistolam tuam accipio, ut non protinus una simus.* Senec Epist. 40. Εἰ τοσοῦτόν ὄξι κέντρον πιθῆς ἐν τοῖς γράμμασιν, οἱ τοσοῦτον αἱ τῶν ἐθῶν εἰκόνες τὴ ζώσης χειρὸς σαι συμπαθείας καὶ χάειτ Θ θέλκτρον ἐνιᾶσι τοῖς ἀναγινώσκουσιν, ὅπερ πρᾶγμα ἄμαχον ἂν εἴη, τὸ αὐτοπροσώπως, αὐτῶν ἐπαφήσασθ. Synes. Epist. 139. Δυώανται γὰ ἐπιστολαὶ πολλὰ, καὶ οὐκ ἔλαττον τῆς πρὸς παρόντας λέξεως. Diog. Cynic. in epist. ad Hipparchum. Vide notas infrà ad Lib. III. num. [20].

Ibid. ADD. *Et quid agas*] *Fac sciam, quid agas, quod sine solicitudine summa nescire non possum.* Plin. Epist. Lib. I. ep. 11.

Pag. 33.

Pag. 33. ADD. *Quin & amicitiam*] Nota eſt, quæ inter Thomam Morum Angliæ Cancellarium, & Deſ. Eraſmum ſolo commercio literarum interceſſit amicitia, etiam antequam ſibi invicem à facie noti eſſent.

Ibid. ADD. *Quæ non ſuſtinuit*] *Quæ coram agere pudor deterret, in abſentia audaciùs exponuntur: epiſtola enim non erubeſcit.* Cic. Epiſt. fam. Lib. V. ep. 69.

Ibid. ADD. *Uſi ſunt ad amores*] Factum juvenis cujuſdam deteſtandum, qui virginem vehementer deperiret, refert S. Hieronymus in vita S. Hilarionis. cap. 16.

Ibid. ADD. *Incantamenta*) De his, aliiſque id genus ſceleribus Vid. Plin. H. N. Lib. XXVIII. cap. 2. Inter alia id memorat; *Marcus Servilius Nonianus*, inquit, *princeps civitatis non pridem in metu lippitudinis, priuſquam ipſe eam nominaret, aliuſve ei prædiceret, duabus literis Græcis* P *&* A *chartam inſcriptam circumligatam lino, ſubnectebat collo.* Hanc ſuperſtitionem irridet Lucianus in Dialogo de moribus philoſophorum: Antoninus vero Caracalla Imp. graviſſimis ſuppliciis compeſcere decrevit, uti refert Spartianus in vita. Vide Suidam in voce Θετ[illegible] γωνία.

Ibid. ADD. *Amuleta*] Hujus generis erant *Litera Epheſiæ* apud Græcos, quarum mentio fit apud Athenæum Lib. XII. De maleficiis hæreticorum Baſilidianorum artibus videndus Montfaucon. in Palæograph. Lib. II. cap. 8.

Pag. 35. *Conſcius Auguſti ſceleris*] Poſt, *tumina feci?* ADD. At Lib. III. De Ponto ſatis indicat exilii cauſam fuiſſe, quod libros *De arte Amandi* ſcripſerit; ſic enim Amorem alloquitur:

------- *Stultus quoque carmina feci,*
Artibus ut poſſes non rudis eſſe meis.
Pro quibus exilium durum mihi reddita merces,
Id quoque in extremis, & ſine pace, locis.

Pag. 36. ADD. *Fidiſſima teſtis*] Sanxit Imp. Conſtantinus, obſervante Herm. Hugone, *Quod eandem vim obtineant tam fides inſtrumentorum, quam depoſitiones teſtium.* Cod. Lib. IV. Tit. XXI. Lib. XV. Cod. Tit. 39. l. 14. *Melius quidem ſi per ſcripturam.*

Ibid. ADD, *Unde promas*] Ideo enim cogitationes tuas ſcribis, ἵνα τοῦ χρόνου ἀναγινώσκῃς αὐτὰ, καὶ δυνηθῇς φυλάξαι αὐτάς, ut loquitur Clemens Alex. in ipſo initio Stromatum; ubi deeſſe nonnulla doleo, quæ ad literarum laudes proculdubio faciebant.

Ibid. ADD. *Diaria*] Romæ in more poſitum fuiſſe, ut unuſquiſque Paterfam. tabulas domi haberet, in quibus quicquid per ſingulos dies aut acciperet aut expenderet, perſcribebat, ex Ciceronis Oratione pro Cluentio patet. De earum tabularum fide Cenſores quoque quinto anno cives ad jusjurandum adigebant, ut Dion. Halicarnaſſ. lib. IV. teſtatur. Hinc fidem in judiciis facere ſolebant, ut in Oratione pro Roſcio. Julius Cæſar, *inito honore primus omnium*

instituit, ut tam Senatus quam populi diurna acta conficerentur, ut de eo scribit Suetonius in vita. Sed & ante Jul. Cæsaris tempora, *Res omnes singulorum annorum Pontifex maximus referebat in Album*, teste Cicerone Lib. II. De Oratore.

Pag. 37. ADD. *Insidiis Amanis*] Josephus scriptor prudentissimus postquam rem totam verbis luculentissimis retulisset, statim subjungit, "Οθεν ἐπέρχεταί μοι τὸ θεῖον θαυμάζειν, καὶ τὴν σοφίαν αὐτοῦ, καὶ δικαιοσύνην καταμανθάνειν, μὴ μόνον τὴν Ἀμάνου κολάσεως πονηρίαν, ἀλλὰ καὶ τὴν καθ' ἁλλου μεμηχανημένην τιμωρίαν, ταύτην ἐκείνου ποιήσαντος εἰ). καὶ τοῖς ἄλλοις μαθεῖν ἔστιν γνῶναι παρεσκηκότος, ὡς ἃ καθ' ἑτέρου τις παρεσκεύασε, ταῦτα λανθάνει καθ' ἑαυτοῦ πρῶτον ἑτοιμαζόμενος. Antiq. Jud. Lib. XI. cap. 6.

Pag. 39. *Ut vox est mentis*] Post Senecæ verba, ADD. Plato sermonem scientis vocat ζῶντα καὶ ἔμψυχον· ἧς ὁ γεγραμμένος εἴδωλον ἂν τι λέγοιτο δικαίως. In Phædro. Ibid. Post Isocratis verba, ADD. Οἱ ἀνδριάντες καὶ τὰ ἀγάλματα τῶν σωμάτων ὑπομνήματα· τὰ δὲ βιβλία τῶν λόγων. Aristid. Orat. V. *Commendo igitur varios judicio tuo nostri pectoris motus, minimè ignarus, quod ita mens pateat in libro, veluti vultus in speculo.* Sidon. Apoll. Epist. Lib. VII. ep. 18. Vide Sen. epist. 40.

Pag. 41. ADD. *Caratacus*] Fecit amor patriæ; ut quam coram Claudio Imp. S. P Q. R. habuit orationem Caratacus (cum pulchra admodum sit) eam hic ex C. Tacito describerem; sic enim historicus: "At non Caratacus, *inquit*, vultu demisso, aut verbis misericor-"diam requirens, ubi tribunali astitit, in hunc modum locutus est. *Si quanta nobilitas & fortuna mihi fuit, tanta rerum prosperarum moderatio fuisset, amicus potius in hanc urbem, quam captus venissem: neque dedignatus esses claris majoribus ortum, pluribus gentibus imperantem fœdere pacis accipere. Præsens fors mea, ut mihi infirmis, sic tibi magnifica est. Habui equos, viros, arma, opes; quid mirum, si hæc invitus amisi? Num si vos omnibus imperitare vultis, sequitur ut omnes servitutem accipiant? Si statim deditus traderer, neque mea fortuna, neque tua gloria inclarusset: & supplicium mei oblivio sequeretur. At si incolumem servaveris, æternum exemplar clementiæ ero.*

Ibid. ADD. *Silures*] Σίλυρες, pop. Britanniæ inter Dimetas ad Occ. & Atrebatios in Ort. Hi ab Iberis, ut putat Tacitus in vita Agricolæ, originem trahentes, Britannorum fortissimi habiti, Romanis maxime omnium restiterunt, & sæpe in fugam verterunt; denique (ut Carataci verbis apud Tacitum utar,) *Dictatorem Cæsarem pepulerunt*: cum Iceni & reliqui fere omnes Britanni sic in Romanorum potestatem venissent, ut etiam ipsorum socii essent. Horum urbs primaria *Venta Silurum* (eo nomine à *Venta Belgarum* Winchester *discriminanda*) nunc viculus *Caer-went* dicta.

Pag.

Pag. 43. ADD. *Sic potuit Philomela* (Vide Ovid. Metam. Lib. VI.) De qua eleganter Achilles Tatius De Clit. & Leu. amoribus Lib. V. Ἡ Φιλομήλα σιωπῶσαν ἐυρηκε φωνην· ὑφαίνει γὰρ πέπλον, καὶ τὸ δρᾶμα πλέκει ταῖς κρόκαις, καὶ μιμεῖται τὴν γλῶτταν ἡ χειρ, καὶ Πρόκνη τοῖς ὀφθαλμοῖς τὰ ὑφ' ὧτων μανθάνει, καὶ πρὸς αὐτὴν ἃ πέπονθε τῇ κερκίδι λαλεῖ. Ἡ Πρόκνη τὴν βιαν ἀκέεται φαρμακὸν τὸ πέπλος.

Ibid. ADD. *In Concha*] De modo ſuffragia ferendi apud Græcos per teſtulas in urnam conjectas, quod ὀστρακισμὸν appellabant, videndus Fr. Junius in Animadverſ. Lib. II. cap. 5.

Pag. 44. *Animæ pars meliorque meæ.*] Poſt, amplexus eſt, ADD. Is erat Pocokius, *De quo merito dubites* (ut Clar. Dickinſoni verbis utar) *utrum majorem à doctrina, an à modeſtia laudem mereretur.* In Delph. Phœn. cap. 10.

Ibid. ADD. *Bibliotheca animata*] Βιβλιοθήκη ἔμψυχος, καὶ πειθανὸν μάσημα, ut de Proæreſio, ſi memini, loquitur Eunapius.

Pag. 45. *Dicendo prorſus ineptus erat*] Poſt Quintiliani verba, ADD. Hunc *viginti talentis unam orationem vendidiſſe*, auctor eſt Plinius H. N. Lib. VII. cap. 30.

Pag. 46. ADD. *Multa utetur, præcepti memor*] Nempe Horatiani, in libro *De Arte poetica*:

Vir bonus & prudens verſus reprehendet inertes:
Culpabit duros, incomptis allinet atrum
Tranſverſum calamo ſignum: ambitioſa recidet
Ornamenta: parum claris lucem dare coget:
Arguet ambiguè dictum: mutanda notabit.

Ibid. ADD. *Judicium fidi*] Qualis erat Quintilius Varius, referente Horatio:

Quintilio ſi quid recitares, Corrige, ſodes
Hoc, aiebat, & hoc; Melius te poſſe negares?
Bis terque expertum fruſtra, delere jubebat,
Et malè tornatos incudi reddere verſus:
Si defendere delictum quam vertere malles,
Nullum ultra verbum, aut operam ſumebat inanem;
Quin ſine rivali teque & tua ſolus amares.

Plinius Tacito: *Librum tuum legi, & quam diligentiſſimè potui annotavi, quæ commutanda, quæ eximenda arbitrarer. Nam & ego verum dicere aſſuevi, & tu libenter audire: neque enim ulli patientiùs reprehenduntur, quam qui maximè laudari merentur. Nunc à te librum meum cum annotationibus tuis expecto.* Epiſt. Lib. VII. ep. 20. Horatium mores imitemur.

Pag. 48. ADD. *Æternam dici*] Sic eam appellat Ammianus Marcell. Lib. XIV. cum multis aliis. Quinetiam in numis antiquis Roma ſcuto inſidens, Victoriam dextra, Scipionem ſiniſtra tenens pingitur, cum hac Inſcriptione, ROMÆ ÆTERNÆ.

Ibid. ADD. *Roma caput mundi*] Sic habita eſt olim, poetis, (præſertim Propertio, Horatio, Ovidio, aliiſque hoc nomine celebratur; quamvis Romani vix tertiam orbis partem ſub jugum miſerant,) & hiſtoricis, Ἡ δὲ Ῥωμαίων πόλις ἀπάσης μὲν ἀρχὴ γῆς, ὅση μὴ ἀνέμβατός ἐστιν, ἀλλ' ὑπ' ἀνθρώπων κατοικεῖται. Dion. Halicar. Lib. I. Διὰ γῆς καὶ θαλάττης ἄρχει τῶν τὰ κύτμια πεφύτων. Philo de imperio Auguſti in Legat. Sed hæc aut jactabundi, aut adblandientes ſcripſerunt. Vide notas ad Lib. IV. num. [28.]

Ibid. *Non poterant Romæ*] Poſt Laur. Vallæ verba. ADD. *Data eſt opera, ut civitas imperioſa, non ſolum jugum, verum etiam linguam ſuam domitis gentibus per ſpeciem ſocietatis imponeret.* S. Auguſt. De C. D. Lib. XIX. cap. 7.

Pag. 54. Poſt duas lineas priores, ADDATUR carmini:

Quis Smyrnam noſſet, ſi non peperiſſet Homerum?
Virgilii cauſa Mantua nomen habet.
Forſitan æternum potuiſſet Sulmo latere,
Si tibi non eſſet, Naſo, benigna parens.

Ibid. *Multos doctus Homerus alit*] Poſt, vixerit. ADD. De Zoilo vide Ælian. Hiſt. Var. Lib. XI. cap. 10. Hadrianus Imp. uti ſcribit Xiphilinus, Homeri carmina abolere conatus eſt.

Pag. 55. ADD. *Anglis æterno*] Reginæ noſtræ potentiſſimæ, invictiſſimæ, applicari poſſunt Claudiani verba:

Hujus pacificis debemus moribus omnes,
Quod veluti patriis regionibus utitur hoſpes
Quod ſedem mutare licet: quod cernere Thulen,
Quod CUNCTI GENS UNA SUMUS.

Ad LIB. III.

Pag. 56. ADD. *Scribenda deinceps Ipſe facit.*] *Equidem beatos puto, quibus deorum munere datum eſt, aut facere ſcribenda, aut ſcribere legenda: beatiſſimos vero quibus utrumque.* Plin. Epiſt. Lib. VI. ep. 16.

Ibid. 56. ADD. *Chirographum vincit*] *Non figura literarum, ſed ratione quam exprimunt, obligamur; quatenus placuit, non minus valere, quod ſcriptura, quam quod vocibus lingua figuratis ſignificaretur.* Paulus I. C. Lib. XXXVIII. De Obligat. & action. Seneca libro de Beneficiis III. optat, *ut nulla ſtipulatio emptorem venditori obligaret,*

ſed

sed fides potius pacta servaret, & æquum colens animus. Vide, si placet, ipsum Auctorem.

Ibid. *Artibus*] ADD. Γεφμμάλα πεὸς χφημαλισμὸν, καὶ πεὸς ὀικονομίαν, καὶ πεὸς μάθησιν, καὶ πεὸς πολιτικὰς πφάξεις πολλάς. Aristot. Polit. Lib. VIII. cap. 3. Ibid. Post Quintiliani verba. ADD. Plinius item, *Hujus unius rei usu scimus maximè constare humanitatem vitæ, memoriam ac hominum immortalitatem.* H. N. Lib. XIII. cap. 11.

Pag. 57. ADD. *Literulis nihil esse bonis &c.*] Quantum philosophia in Rep. administranda profit, & quam multi ex philosophis respublicas optimè gubernarint, docebit te Ælianus Hist. Var. Lib. III. cap. 17. & VII. cap. 14.

Ibid. ADD. *Tunc est Græcorum*] Unius enim fermè seculi spatio floruerunt in Græcia homines & belli & pacis artibus insignes, clarissima ingenii lumina, & virtutis bellicæ exempla. Philosophi, Socrates, Plato, Xenophon, Democritus; Poetæ, Sophocles, Euripides, Aristophanes; Oratores, Demosthenes, Æschines, Isocrates; Historici, Herodotus, Thucydides, cum medico Hippocrate. Duces, Alcibiades, Themistocles, Epaminondas, Conon. Viri, quales nec ante, nec postea Græcia unquam vidit. Extat Commentarius Plutarchi de eo, Πότεφον Αθηναῖοι καὶ πόλεμον, ἢ καὶ σοφίαν ἐνδοξότεφοι. Floruerunt itidem Romæ fere uno eodemque seculo M. Tullius Cicero, M. Ter. Varro, Cato Uticensis, Pompeius Magnus, Jul. Cæsar, non magis armis, quam eloquentia potens; Poetæ Lucretius, Virgilius, Horatius, Ovidius, cum Sallustio, & T. Livio historicis, quorum gloriam nemo eorum, quos recentiora tulerunt tempora, adæquavit.

Ibid. ADD. *Veram dissimulare solent.*] Polybius imperitorum hominum esse ait, cum belli causas inquirere vellent, non discernere, ἀφχὴ τί διαφέφει, καὶ πότον διεσπκεν αἰτίας καὶ πφοφάσεως. Hist. Lib. III.

Pag. 60. *Æri incisæ*] Post, antiquitùs. ADD. Tacitus de tribus literis à Claudio Cæsare inventis agens: *Aspiciuntur*, inquit, *etiam nunc in ære publicandis plebiscitis per fora ac templa fixo.* Annal. Lib. XI. cap. 14.

Ibid. ADDATUR Carmini post sex priores lineas:

Haud sapiunt certè qui multis legibus uti
Optent, & stultè ferre subinde novas:
Sint leges paucæ; sic fiet ut has sciat omnis
Civis, & officii quid sit, in urbe sui.
Ediscant pueri leges & jura, vetustas
Condere quæ solita est carmine cuncta brevi.
Credebant teneris quod quisque ediscat ab annis
Utilius patriæ legibus esse nihil.

Multis legibus] *Corruptissima Respublica, plurimæ leges.* Tacit. Annal. Lib. III. *Etenim Gallia*, inquit Bodinus, *quæ cæteras regiones*

legum multitudine vincit, omnes Europæ populos litium abundantia jam pridem ſuperavit. De Republ. Lib. ult. Utinam id de Britannia noſtra non verius dici poſſet!

Ferre ſubinde novas] Plato hos omnium maximè ridiculos eſſe putat, Οἱ νομοθετοῦντές τε, καὶ ἐπανορθοῦντες ἀεί. De legibus Lib. IV. pag. mihi 636.

Ibid. ADD. *Quæ daret in clypeo*] De hac re ſanxita lex eſt à Conſtantino M. Leg. *Milites*, XV. *De teſtament. militar.* Lib. VI. C. Tit. XXI.

Pag. 61. *Mirandi Aphoriſmata Coi*] ADD. *Medicina*, inquit Plinius, *poſt Æſculapium, in denſiſſima nocte latuit, uſque ad Peloponneſiacum bellum: tunc eam revocavit in lucem Hippocrates, genitus in inſula Co. in primis clara ac valida, & Æſculapio dicata.* H. N. Lib. XXIX. cap. I.

Ibid. ADD. *Quas urbes alii*] Eleganter Maximus Tyrius Diſſert. XII. Εἰ ὁ καὶ Ὀδυσσεὺς σοφὸς, ὅτι πολύτροπος ἦν, καὶ

Πολλῶν ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα, καὶ νόον ἔγνω,
Ἀρνύμενος ἦν τε ψυχὴν, καὶ νόστον ἑταίρων.

πολύ τι σοφώτερος, ὁ τῆς μὲν κινδύνων ἔξω ἀμείνων, τῆς δὲ ἰσοτίας ἐμπιπλάμενος. Χάρυβδιν ὄφεται, ἀλλ' οὐκ ἐν ναυαγίῳ σιρήνων ἀκούσεται, ὁ δεδεμένος. Κύκλωπι ἐντεύξεται, ἀλλ' ἡρωικῷ. &c. Vide reliqua, in his, quæ infra in laudibus hiſtoriæ dicentur.

Ibid. ADD. *His mores hominum*] *Omnium ferè civitatum, non Græciæ ſolùm, ſed etiam barbariæ ab Ariſtotele, mores, inſtituta, diſciplinas, à Theophraſto: leges etiam cognovimus.* Cic. De Finib. Lib. V.

Pag. 63. ADD. *Leges quoque poſtea latæ*] Vide Horat. Sat. Lib. I. III. v. 106. qui ſic veriſſime canit:

Jura inventa metu injuſti fateare neceſſe eſt,
Tempora ſi faſtoſque velis evolvere mundi.

Ibid. ADD. *Fecerit ut primi*] Vide Claudian. in ſecund. Conſul. Stilich. ver. 163. Sulpit. Sever. Hiſtor. ſacr. Lib. II. cap. 4. Ubi de imagine Aſſyriorum regi in ſomnio oblata agit: Qua imagine quatuor ſumma imperia ſignificari docet Daniel propheta.

Ibid. ADD. *Munierintque*] Ut mœnia ſunt urbium, ſic leges ſunt reipublicæ maxima munimenta: jure igitur dixit Heraclitus, referente Diog. Laertio in vita: Μαχέσθαι χρὴ τὸν δῆμον ὑπὲρ τοῦ νόμου, ὅκωσ ὑπὲρ τείχεος.

Pag. 64. ADD. *Neſcire hæc turpe eſt*] Ἀφιλόκαλον, *illiteratum, iners, ac pene etiam turpe eſt, non putare tanti cognitionem, qua nulla*

eſt

est jucundior, nulla pulchrior, nulla denique humanior. Plin. Epist. Lib. II. ep. 3.

Pag. 65. ADD. *Qua super articulos*] Ælianus de Pythagora scribit, quod diceret, Ὅτι πάντων σοφάτατός ἐστιν ὁ ἀριθμὸς εὑρών· δεύτερος, ὁ τοῖς πράγμασι τὰ ὀνόματα θέμενος. Lib. IV. cap. 17. Vide notas ad Lib. I. num. [29.]

Pag. 66. *In qua terram imam*] Post Aristotelis verba ADD. Et Plato, referente Laertio in vita docuit, Γῆν ὑπὸ πρεσβυτάτου μὲν εἶναι τὴν ἐν τῷ μεσαίῳ θεῶν· γενέσεως δὲ δημιούργημα, ἀρχὴν καὶ ἡμέραν ποιεῖν· ἔσαν δ' ἐπὶ τὸ μέσον, κινεῖσθαι ἀεὶ τὸ μέσον.

Pag. 67. *Musica divinum munus*] Post Musæi verba ADD. Nec diis minus placet Musica, quam hominibus, ut ait Theocritus:

Τερπέων ὑπὸ θεοῖς κάλλιον ἀοιδή.

Idyll. XXII. Max. Tyrius Musicam vocat Πρεσβυτάτου πάθους τῆς ψυχῆς ὑπόδημάτων. Dissert. XXI. quem adi, & quæ fuerit veterum Musica, & quam ab illa, qua nunc utimur, diversa te docebit. Non quæ tibiis aut cantiunculis, aut pedum motibus, aut sola vocis inflexione sine verbis, animum penetrat, nec aliud quam aurium voluptatem habet, cur celebretur, (hanc enim amplexa esse videtur animi humani corruptio, dum jucunditatis sequitur speciem;) sed quæ τῷ Ὁμήρῳ φίλη, καὶ Ἡσιόδῳ δ' ἀσκαλος, καὶ Ὀρφέως μήτηρ erat, ut Maximus loquitur. Ego cum eodem philosopho dicam: Ἀγαπῶ μὲν γὰρ ἔγωγε τὴν τῶν μελῶν ἡδονὴν πρεσβεύσαν ταῖς ἀκοαῖς, ἢ δι' αὐλῶν ἐμπνεομένην, ἢ διὰ λύρας κρουομένης, ἢ δι' ἄλλου τοῦ μουσικοῦ ὀργάνου δυναμένου χορηγεῖν καὶ ὀπτέμενον ἡμῖν πρόσφορος μέλος· δέδια δὲ μὴ ταύτῃ τὰ μέλη ἡδονήν τινα ἔχῃ κεκραμένην ἀπὸ τῆς τέχνης κακῆς, ἄσημα ὄντα καὶ ἄλογα καὶ ἄσωτα μηδὲν μέγα τῇ ψυχῇ εἰς εὐφροσύνην σωτηρίαν. Dissert. XII.

Ibid. ADD. *Corda domat*] Musica quid aliud est, quam, (ut Maximi iterum verbis utar,) παιδαγώγημα τῆς τῆς ψυχῆς παθημάτων, τὸ μὲν ἐξάπλουν αὐτῆς καὶ φερόμενον κατεπάδουσα, τὸ δὲ παρεμπίπτον καὶ ἐκλελυμένον ἐμπαλιν ἐπαίρουσα καὶ παροξύνουσα; Δεινὴ μὲν γὰρ ἐπελαφρῦναι οἴκτου, δεινὴ δὲ ἀμβλῦναι ὀργῆς, δεινὴ δὲ ἐπισχεῖν θυμόν, ἀγαθῶν ἐπιθυμίαν σωφρονίσαι, καὶ λύπῃ ἰάσασθαι, καὶ ἔρωτα καταμυθήσασθαι, καὶ συμφορὰν κωφίσαι. De Clinia & Achille, qui Musica iram reprimere solerent, videndus Ælianus

in Var. Hiſt. Lib. XIV. cap. 23. Item Plutarch. Conviv. VII. Sapient. & Iſidor. Peluſ. Lib. II. epiſt. 176.

Ibid. ADD. *Et ineſt ſimul orbibus*] Ἐι ὴ Πυθαγόρα πειθόμεθα, ἄπερ ἄξιον, ἡ μελῳδεῖ ὁ ἀρμονὸς, ἁ κρεκόμενος ὥπερ λύρα, ἁδὲ ἐμπνεόμενος ὥσπερ αὐλὸς, ἀλλ' ἡ περιφορὰ τῶν ἐν αὐτῷ δαιμόνων ἡ μουσικῶν σωμάτων, σύμμετρός τε ὖσα ἡ ἀντίρροπος ἦχόν τινα ἀποτελεῖ δαιμόνιον. Τῆς ὠδῆς ταύτης τὸ κάλλος θεοῖς μὴ γνώριμον, ἡμῖν ὴ ἀναιδὲς δι' ὑπερβολὴν μὴ αὐτῶν, ἔνδειαν ὴ ἡμετέραν. Max. Tyr. Diſſert. XXI.

Ibid. *Quis tandem medium*] Poſt, pleriſque videtur. ADD. De Philolao ſic Laertius in vita: Τὴν γὴν κινεῖσθαι κύκλον πρῶτον ὑπῶν: deinde ſubjungit. Οἱ ὴ Ἱκέταν Συρακόσιον φασίν. Cicero in Lucullo *Nicetam* vocat.

Pag. 70. ADD. *Monumenta virorum*] In primis Plinii H. N. Lib. VII. ep. 56. & ſeqq. Polydor. Virgil. De rerum invent. & Pancirol. de rebus deperditis, cum annot. Hen. Salmuth.

Ibid. *Syracuſius*] Poſt Jul. Firmici verba, ADD. *Archimedes unus obſidionem Syracuſarum in longius traxit.* Quintil. Inſtit. Lib. I. cap. 10. Hic in obſidione urbis a milite ejus inſcio occiditur.

Ibid. *Suſpenderet aëre naves*] Poſt Plutarchi verba, ADD. Illud etiam memorabile eſt, quod Archimedi rex Hiero tribuit Extructo vaſtæ molis navigio quod Hiero Ægyptiorum regi Ptolemæo mitteret, cum univerſa Syracuſanorum multitudo collectis ſimul viribus navem trahere non poſſet; effeciſſetque Archimedes, ut ſolus Hiero illam ſubduceret, admiratus viri ſcientiam rex, Ἀπὸ ταύτης, ἔφη, τῆς ἡμέρας, ϖεὶ παντὸς Ἀρχιμήδει λέγοντι, πιςτέον. Hieronis hujus laudes & ſummam erga doctos homines benevolentiam liberalitatemque habes apud Ælian. Var. Hiſt. Lib. IX. cap. 1. Sil. Ital. Lib. XIV. & Juſtin. Lib. XXIII.

Pag. 71. *Litera nulla*] Poſt Quintiliani verba, ADD. Platonis ſententia nempe ea fuit, nullam artem ſic mandari poſſe literis, ut ex his ars illa recte ediſci poſſet; ejus verba ſunt in Phædro: Οὐκοῦν ὁ τέχνην ὀιόμενος γράμμασι καταλιπεῖν, ἡ αὖ ὁ παραδεχόμενος, ὡς τι σαφὲς ἡ βέβαιον ἐκ γραμμάτων ἐσόμενον, πολλῆς ἂν εὐηθείας γέμοι. In quo, niſi de Mechanicis quibuſdam artibus intelligas illum loqui, Platonem omnino falli puto.

Ibid. *Lux temporum*] Poſt Ciceronis verba, ADD. Nihil mirum ergo ſi idem ſic ſcribat Attico ſuo: *Ardeo ſtudio hiſtoriæ.* Epiſt. Lib. XVI. ep. 13. Ibid. Poſt, Polybium Lib. I. ADD. *Si verum eſt, vir clariſſime, quod omnes ſemper exiſtimavere docti, & ſani judicii homines, nihil eſſe quod hominem ingenuum ac liberaliter educatum*

tum, maximèque eum, qui ad Rempublicam cogitet accedere, vel erudire vel ornare magis possit, quam historiarum cognitionem, &c. Is. Casaubon. in Epist. Dedicat. ad Jacob. Lectium Strabonis Geographiæ præfixa.

Pag. 72. ADD. *Incipit illa coli*] Τὸ φθόνε ὲ πολὺ χεῖνον ἐπιζῶνΘ, ενίων ὃ κὴ πεθαποθνήσκονΘ. Plutarch. in Numa.

Pag. 73. ADD. *Hac viguere boni*] *Præcipuum munus Annalium reor, Ne virtutes sileantur, utque pravis dictis factisque ex posteritate & infamia metus sit. Cæterùm socordiam eorum irridere libet, qui præsenti potentia credunt extingui posse etiam sequentis ævi memoriam. Nam contrà, punitis ingeniis glisscit authoritas; neque aliud externi reges, aut qui eadem sævitia usi sunt, nisi dedecus sibi, atque illis gloriam pepercre.* Corn. Tacit. Annal. Lib. III. Διὰ τῦτο ὁ Λεωνίδης ἀδεται ὐχ ὑπὸ Λακεδαιμονίων μόνον ἢν τότε, κὴ ὁ Θεμιστοκλῆς ἐπαινεῖται, ὐχ ὑπ' Ἀθηναίων ἐκείνων· μᾶλλει ὃ κὴ ἡ Περικλέυς σρατηγία κὴ νῦν ἔτι, κὴ ἡ Αεισείδε δικαιοσύνη· δίδωσι Κειτίας κὴ νῦν δίκλω, φεύγει κὴ νῦν Ἀλκιβιάδης. Max. Tyr. Dissert. XII.

Ibid. Post lineas quatuor priores ADDATUR carmini:

Vivere dans omni tibi, magne Themistocles, ævo,
Quamvis jussus eras exul obire miser.
Evertant Graii statuas Demetrii, at ejus
Everti virtus inclyta non potuit.

Demetrii] Phalerei: Hic cum audivisset Athenienses imagines ejus evertisse, dixit: Ἀλλ' ὲ τὴν ἀρετὴν καθέσρεψαν, δι' ἣν ἐκείνας ἀνέσησαν, uti refert Diog. Laertius in vita. De eo plura dicturi sumus ad Lib. V. num. [4.]

Ibid. ADD. CLARENDONUS] D. EDVARDUS HYDE CLARENEONIÆ Comes, Magnus Angliæ Cancellarius, vir nobilissimus, utriusque fortunæ victor: Φιλαλήθης siquis alter, Rerum Britannicarum Historiam XX. annorum reliquit omnibus numeris absolutam. Ille Regi Carolo I. charus, Carolo II. in exilio comes individuus, Restituti Consiliarius fidelissimus, prudentissimusque, de rebus scripsit, de quibus dicere potuit, *Quarum pars magna fui.* Et quod de Xenophonte dixit Plutarchus, id de CLARENDONO dici potest, Αὐτὸς ἑαυτῷ γέγονεν ἰσοεία.

Pag. 75. ADD. *Multa cavere mala*] Τί γὰ σεμνὸν ἢ μνήμη ἢν πάλαι κακῶν, τῷ μήπω μαθόνλι ὅπως ταῦτα φυλακλέον; Max. Tyr. Dissert. XII.

Pag. 77. ADD. *Samiumque senem*] Pythagoram, de quo vide Lib. VI. num. [37.]

Ibid.

Ibid. ADD. *Ariſtotelem*] Cum Plato fortè ſcholam intraſſet, nec Ariſtotelem invenîſſet, dixit, Ὁ νῦς ἐκ ἦλθεν. *Quis omnium doctior, quis auctior, quis in rebus vel inveniendis vel judicandis acrior Ariſtotele fuit.* Cic. in Oratore. *Abundantia quadam ingenii præfabat.* Idem Acad. Quæſt. Lib. I. *Quem, excepto Platone, haud ſcio an rectè dixerim Principem philoſophorum.* Idem de Finib. Lib. V. *Quo nihil acutius, nihil politius.* Idem Acad. Quæſt. Lib. IV. *Vir ſummo ingenio, ſcientiæ copia, cum motus eſſet Iſocratis Rhetoris gloria, dicere etiam cæpit, adoleſcentes docere, & prudentiam cum eloquentia jungere.* Idem Tuſc. Quæſt. Lib. I. (Laertius non Iſocratis, ſed Xenocratis cauſa id Ariſtotelem feciſſe tradit.) *Quem dubito ſcientia rerum, an ſcriptorum copia, an eloquendi ſuavitate, an inventionum acumine, an varietate operum clariorem putem.* Quintil. Lib. X. cap. 1. Hunc *Finem humani intellectûs* appellat D. Hieronymus adv. Jovian. Lib. I. Quem tamen ab ipſis philoſophis Ciceronis tempore, præter admodum paucos, ignorari fatetur ipſe Cicero.

Pag. 78. *Senecæ*] Poſt, Plin. H. N. Lib. XIV. cap. 4. ADD. Notum eſt illud Eraſmi de Seneca judicium: *Si legas illum ut Paganum, ſcripſit Chriſtianè: ſi ut Chriſtianum, ſcripſit paganicè.* Epiſtolæ quas ad D. Paulum ſcripſiſſe dicitur Seneca, (utut Tertullianus ſæpe *noſtrum*, & S. Auguſtinus, *Apoſtolis familiarem* illum nominent) ſuppoſititiæ ſunt.

Ibid. *Marce diſerte*] Poſt Quintiliani verba, ADD. (Vide Ælian. Var. Hiſt. Lib. XIV. cap. 47.) *Quæ volumina ejus* (loquitur de Ciceronis Libris *De Republica*, *De Conſolatione*, *De Officiis*) *ediſcenda, non modo in manibus quotidie habenda, nôſti.* Plin. in Præfat. ad H. N.

Ibid. *Platonis*] Poſt Ciceronis verba, ADD. Eodemque libro Platonem in rebus à civilibus controverſiis remotiſſimis divinitùs eſſe locutum dicit. *Longè omnium, quicunque ſcripſerunt, aut locuti ſunt, & copia dicendi, & gravitate princeps Plato.* Idem in Oratore. *Non linguæ ſolum, ſed etiam animi ac virtutis magiſter.* Idem ibid. Lib. III. *Deus ille noſter Plato.* Idem ad Attic. Lib. IV. ep. 15. Quanto in honore Platonem habuerint Arcades & Thebani docebit te Ælianus Var. Hiſt. Lib. II. cap. 42. Platonem plurimùm laudat D. Auguſtinus Lib. De C. D. VIII. cap. 4.

Pag. 81. ADD. *Alloquimur nondum natos*] *Literis tanquam rei immortalitati proximæ hoc debemus, quod conſulere aliis poſſumus, cæteriſque tam prudentiæ, quam ſapientiæ muneribus uti, & poſteritati proſpicere.* Gul. Poſtell. in Præfat. ad Librum de Literis Phœnic. Proinde Eraſmus eam quam in corporibus hominum à putredine conſervandis quidam impendunt curam, *multo utiliùs in excellentium virorum libros transferendam* credidit: *in quibus orbi ſuperſunt etiam defuncti; & ita ſuperſunt, ut & efficaciùs loquantur mortui, quam vivi. Confabulantur, docent, adhortantur, deterrent, conſulunt, erigunt, conſolantur, ſic ut nulli nec fideliùs nec paratiùs.* In Epiſt. Nuncupat. ad Gul. Warrhamum Archiep. Cant. Operibus D. Hieronymi præfixa.

Ibid.

Ibid. *Posteritati omni inserimur*] Post Ciceronis verba, ADD. *Literæ posteritatis causa repertæ sunt, quæ subsidio oblivioni esse possint.* Idem Orat. pro Sylla.

Ibid. ADD. *Consilia in scriptis*] Zeno Citieus, referente Diog. Laertio in vita, cum Oraculum consuluisset, *Quo pacto vivere optimè posset*, responsum accepit, Εἰ συγχρωτίζοιτο τοῖς νεκροῖς. Quo sibi veterum libros legendos intellexit; vel ut Suidas ait, Συγχρωτίζεσθαι τοῖς νεκροῖς, ὅπερ ἦν τοῖς ἀρχαίοις διὰ τῆς βιβλίων.

Ibid. ADD. *Serior hos ætas visa adamare*] Sic est, *Pascitur in vivis livor, post fata quiescit.* Demetrii sunt pulcherrimi versus apud Laertium Lib. V.

Ζωὸν ἀτιμήσαντες, ἀποφθίμενον ποθέουσι·
Καὶ ποθ' Ὅμηρον τύμβοιο, καὶ ἀπνόου εἰδώλοιο,
Ἄσεα νεικεῦντι, ἕειν δ' ἐσήσατο λαός.

Homerum & septem urbes de eo contendentes respicere videtur.

Pag. 82. ADD. *Hostis quæ servit*] Nim. Pontifex Rom. qui ab initio Reformatæ Ecclesiæ, illam quibus potuit artibus, seu dolo, seu armis, oppugnare, & labefactare non destitit. Nunc aperto bello excitando in plebem innocuam Principes Christianos; nunc fraude Sectas inter Protestantes comminiscendo, refovendo, mittendoque qui Schismaticorum quorumcunque personas induentes, & inter illos concionantes à communione Ecclesiæ Anglicanæ quam plurimos seducerent. Hæc res notior est, quam ut testibus indigeat: nihilominus duos libros hominibus nostris commendaverim, alter est viri optimi Roberti Waræi (D. Jacobi Waræi Eq. Aur. filii) mihi dum viveret amicissimi, liber, cui titulus *Foxes and Firebrands*: alter est Petri Molinæi Canonici Cantuar. viri clariss. *Responsio ad Librum à Papista quodam conscriptum, cui titulum iste fecerat, PHILANAX ANGLICUS.* Quibus adjicias velim Epistolam Jac. Bramhalli, Episcopi tunc Derensis, ad Reverendissimum USSERIUM Armachanum, Anglico sermone conscriptam, (inter Epistolas Usserii CCXCIII.) in qua detestandas Pontificiorum in seminandis inter Protestantes dissensionibus artes detegit. Nec mirum hæc ab illis fieri, qui nihil ex quo Ecclesia Rom. aliquid emolumenti capiat, non licere putant. Operæ pretium erit audire, quid Tho. Campanella Jesuita Hispanus in libro suo *De Monarchia Hispanica* (in quo Hispanum regem docet, quibus artibus *Monarcha Universalis* evadat,) scribit: *Jam vero ad enervandos Anglos*, inquit, *nihil tam conducit, quam dissensio, & discordia inter illos excitata, perpetuóque nutrita, quod cito occasiones meliores suppeditabit.* pag. 204. Et mox, *Mulieres corrumpantur.* Ibid. pag. 232. Editionis Lugdun. Batav. apud Elzevir. Ann. 1630.

Pag. 84. *Molimina regum*] Poſt Lucani verba, ADD. In condendis his Pyramidibus Pharaone jubente occupatos fuiſſe Hebræos tradit Joſephus Lib. II. cap. 5. Πυραμίδας ἃς οἰκοδομοῦνλας ἠξέτρυχον ἡμῶν τὸ γένος. Sed unde id habuit, neſcio.

Ibid. ADD. *Ingenii proles*] Nam, ut Clemens Alexand. verè ſcribit: Οἱ μὲν γε παῖδες, σωμάτων· Ψυχῆς δὲ ἔγγονοι, οἱ λόγοι. Strom. Lib. I.

Ibid. ADD. *Delapſamque artem cœlo*] Vide ad Lib. IV. num. [5] A. N.

Ibid. *Virgilius*] ADD. Euſebio Ἐξοχώτατος ἦν κατὰ τὴν Ἰταλίαν ποιητής audit.

Ibid. *Homerus*] ADD. Ὁμήρῳ θεῷ ποιητῇ. Socrates apud Platonem in Phædone. Διὰ τὸ ἀπιστεῖσθαι ὅλως εἶναι θνητὸν, τοῦ μεγέθους τῆς φύσεως. Suidas in voce. Ibid. Poſt Caſauboni verba, ADD. Hujus carmine *nullum felicius extitiſſe* credidit Plinius, *ſive operis fortuna* [lege, forma,] *ſive materia æſtimetur*. H. N. Lib. VII. cap. 29. Ejuſque ſcripta vocat *pretioſiſſimum humani animi opus*. Ibid. cap. 30. Vide Ælian. Var. Hiſt. Lib. XII. cap. 48. & Lib. IX. cap. 15. Homerum ex Corinnæ poetæ Epici (qui primus Iliadem ſcripſit tempore belli Trojani) libris multa ſumpſiſſe tradit Suidas: Sibyllinos vero verſus quamplurimos ſuo operi inſeruiſſe Solinus ex Boethio refert. Denique multa ex Orpheo ſumpſiſſe docet Clemens Alex. Strom. Lib. VI.

Pag. 85. *Aſcræi vatis*] Poſt, Quintil. Lib. X. cap. 1. ADD. Ælian. Var. Hiſt. Lib. XIII. cap. 19. & Plutarch. in Conſol. ad Apoll. *Heſiodus, qui princeps omnium de Agricultura præcepit*. Plin. H. N. Lib. XIII. cap. 24. Conſentit Columella De Re Ruſtica. Lib. I. cap. 1.

Ibid. *Non uſque pudicis*] Poſt Ovidii verba, ADD. Vide Horat. Epod. Od. 14. Ælian. Var. Hiſt. Lib. IX. cap. 4. Max. Tyr. Diſſert. VIII. prope finem. Athen. Lib. X. cap. 7. Periit ſtrangulatus acino uvæ paſſæ, uti tradit Plin. H. N. Lib. VII. cap. 7.

Pag. 86. ADD. *Archilochus*] *Primus inter eos, qui Jambos ſcripſere; ſumma in eo vis, elegantes ſanè vibranteſque ſententiæ, plurimum ſanguinis & nervorum, &c.* Quintilian.

Ibid. ADD. *Alcæique Camana*] *Alcæus in parte operis aureo plectro meritò donatur, qua tyrannos inſectatur: multum etiam moribus confert. in eloquendo quoque brevis & magnificus, & diligens plerunque. Homero ſimilis, ſed in luſus & amores deſcendit: majoribus tamen aptior.* Idem Lib. X. Vide Athen. Lib. XIV. cap. 5. & Horat. Lib. IV. Od. 9.

Ibid. *Cei*] Poſt, Simonidis; ADD. *Præcipua hujus laus*, uti refert Quintilianus Lib. X. *in commovenda miſeratione virtus fuit*. Ibid. Poſt, Lib. VII. cap. 36. ADD. Primus artem memoriæ invenit.

Ibid.

Ibid. ADD. *Sappho*] Scamandronymi filia, Alcæi æqualis, poetica facultate insignis fœmina, de qua Ælianus Lib. XII. cap. 19. Τὴν ποιήτειαν Σαπφὼ, τὴν Σκαμανδρωνύμε θυγατέρα, ταύτην καὶ Πλάτων ὁ Αείσιος καὶ σοφὴν ἀναγράφει. Πυνθάνομαι δὲ, ὅτι καὶ ἑτέρα ἐν τῇ Λέσβῳ ἐγένετο Σαπφὼ, ἑταίρα. καὶ ποιήτεια. Si hoc verum sit, errant, qui poetriam Lesbiam fuisse tradunt. Pulchra dicta fuit Sappho, non à corporis forma, sed à carminum venustate. Vide Max. Tyr. Dissert. VIII.

Ibid. *Herûs qui cecinit*] Post, recentior. ADD. Scilicet Grammaticus, qui circa tempora Ptolemæi primi vixit. Vide Diog. Laert. in Procœmio ad vitas philosophorum, ubi de Musæo Athenienſi, Eumolpi filio, agit, & in eum Is. Casauboni notas.

Ibid. *Pleiades*] Post, dicti sunt. ADD. Alii Philici loco ponunt Callimachum: Rectiùs meo judicio.

Pag. 87. ADD. *Nicander*] Colophonius, poeta & medicus; Hujus extant *Theriaca*, & *Alexipharmaca*. Reliquit etiam *Georgica*. *De rebus rusticis homo ab agro remotissimus, poetica quadam facultate, non rustica, scripsit præclarè*, ait Cicero libro de Oratore.

Ibid. ADD. *Serenus*] Q. Serenus Sammonicus, poeta insignis: Extant ejus de Medicina præcepta saluberrima carmine conscripta. Charus fuit Severo Imp. à Caracalla tamen occisus.

Ibid. *Sophoclis*] Post Quintiliani verba, ADD. Hunc laudat Virgilius, dum sic de eo canit, Eclog. VIII. ver, 10.

Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno.

Ibid. ADD. *Euripidi*] At hunc Aristoteles Τραγικώτατον vocat: Ciceronis de eo judicium habes Epist. Fam. Lib. XVI. ad Tyronem: *Euripidis, cui quantum tu credis, nescio: ego certè singulos ejus versus, singula testimonia puto.* Quintilianus vero Lib. X. cap. 1. *In effectibus cum omnibus mirus, tum in iis qui miseratione constant, facilè præcipuus.* In quo Fabio cum Crantore convenit, de quo sic scribit Laertius in vita: Ἐθαύμαζε δὲ ὁ Κράντωρ πάντων δὴ μᾶλλον Ὁμηρον καὶ Εὐριπίδην, λέγων ἐργῶδες ἐν τῷ κυείῳ Τραγικὰς ἅμα, καὶ συμπαθῶς γράφαι. Fuit Euripides sapientissimo illi Socrati charus, sic enim scribit Ælianus: Ὁ δὲ Σωκράτης ἀπάνιον μὴν ἐπεφοίτα τοῖς θεάτροις, εἰπότε δὴ Εὐριπίδης ὁ τῆς Τραγωδίας ποιητὴς ἠγωνίζετο καινοῖς Τραγῳδοῖς, τότε γε ἐφοίτα. Καὶ Περαιοῖ δὲ ἀγωνιζομένε τὸ Εὐριπίδε, καὶ ἐπεὶ καλήθη, ἔχαιρε, διὰ τὸν ἀνδρὸς δηλονότι διά τε σοφίαν αὐτὸν, καὶ τὴν ἐν τοῖς μέτροις ἀρετήν. Var. Hist. Lib. II. cap. 13.

Pag.

Pag. 88. *Doctus Ariſtophanes*] Poſt Quintiliani verba, ADD. Vide Vell. Patercul. Lib. I. & notas ad Lib. V. num. [2]. Ibid. Poſt, auſus ſit. ADD. Vide Ælian. Var. Hiſt. Lib. II. cap. 13. & Socratis conſtantiam mirare: Ariſtophanis vero nequitiam & impudentiam execrare.

Ibid. *Ennius*] Poſt Ovidii verba, ADD. Et Quintilianus, *Ennium ſicut ſacros vetuſtate lucos adoremus, in quibus grandia & antiqua robora, jam non tantam habent ſpeciem, quantum religionem.* Lib. X. cap. 1.

Pag. 89. *Lucretî*] Poſt A. Gellii verba, ADD. *Lucretii poemata, ut ſcribis; non ita ſunt multis luminibus ingenii, multæ tamen artis.* Cic. ad Q. Fratrem Lib. II. ep. 11. Sic Editiones Manutii & Lambini: niſi quod in margine ejus quæ Lambini eſt, adnotatum ſit, (ex nullo tamen Codice MS.) *L. Lucretii poemata, ut ſcribis, ita ſunt: multis luminibus ingenii illuſtrata: multæ tamen etiam artis.* Quæ lectio probanda magis eſt, cum Lucretii poema tanti à Cicerone factum fuiſſe conſtet, ut illud poſteà ipſe Cicero emendaverit, teſte Euſebio in Chronico ad Olym. CLXXI. 2. Ovidius etiam Lucretii meminit, ut *ſublimis poetæ*; Statius denique, Quintilianus, & Corn. Nepos laudant. Sed tamen planè impius erat, & finem impietate ſua dignum ſortitus eſt, nam in furorem verſus propria manu ſemet interfecit, ut Euſebius loco ſupra citato refert. Vide Catalog.

Pag. 90. *Columella*] Poſt Cardinalis Bonæ verba, ADD. Librum decimum, qui eſt de Cultu hortorum, carmine ſcripſit, & ſic orditur:

Hortorum quoque te cultus, Silvine, docebo.

ſupplere volens Virgilii Georgica, ait enim:

Siderei vatis referens præcepta Maronis.

Pag. 91. *Silius*] Poſt Plinii verba, ADD. Hunc tamen Martialis vocat *Caſtalidum decus ſororum.* Lib. IV. epigram. 14.

Ibid. ADD. *Ledere poſſe negans*] Ἐμὲ μὲν Ἄνυτος καὶ Μέλητος ἀποκτεῖναι μὲν δύναιντ' ἄν, βλάψαι δ' οὔ. Socrat. apud Platon. in Apol. *Hujus morti illachrymari ſolitus eſt Cicero, Platonem legens,* uti de ſe ipſe teſtatur Lib. III. De nat. deor.

Pag. 92. *Teſtis & ipſe Dei.*] Poſt, Atheiſmi, ADD. (vel, ut ipſe apud Platonem in Euthyphrone loquitur, Φησὶ γὰρ [Μέλητος] ποιητὴν εἶναί με θεῶν, ὡς καινοὺς ποιοῦντα θεοὺς, τοὺς δ' ἀρχαίους οὐ νομίζοντα.) Ibid. Poſt, aſſerebat. ADD. *Illud ejus philoſophi magnificum ac pene divinum: quod cum impiis ſententiis damnatus eſſet, æquiſſimo animo ſe dixit mori.* Cic. De Divinat. Lib. I. Et, *quamvis Lyſias,* referente Quintiliano, *qui tum in dicendo præſtantiſſimus habebatur, defenſionem illi ſcriptam attuliſſet, uti ea noluit: cum bonam quidem, ſed parùm ſibi convenientem judicaſſet.*

Vide

Vide Ælian. Var. Hiſt. Lib. I. cap. 16. XIV. cap. 15. & notas ad Lib. VI. num. [35.] Ibid. Poſt, αὐτοῖς. ADD. Hunc Quintilianus *Philoſophorum fontem* vocat. Inſtit. Lib. I. cap. 10.

Ibid. *Qui facit ille miſer*] Poſt Q. Metelli Numidici verba, ADD. Veriſſimè dixit poeta Comicus apud Ælianum in Var. Hiſt. Lib. VIII. cap. 9. Τεύχων ὡς ετέρῳ, τις ἐῶ κακὸν ἦμαʃι τεύχει. Nota eſt Ariſtotelis vox: Ἀδωματὸν καλῶς πεφάτʃειν, τοῖς μὴ καλὰ πεφάτʃωσι.

Pag. 93. *Æſchini*] ADD. De quo Cicero: *Nihil illo oratore arbitror cogitari poſſe divinius.* In Oratore. Ibid. Poſt Quintiliani verba, ADD. Vide Dionyſ. Halicarn. in Demoſthene. Plin. H. N. Lib. VII. cap. 30. & Philoſtrat. in vitis Sophiſtarum Lib. I. Ibid. Poſt. Cod. 61. ADD. Tradit. Diog. Laertius ex Idomeneo, *Sermones eos quos Plato Critonem facit in carcere loquentem, cum Socrati ſuaderet fugam, Æſchinis fuiſſe, ſed Critoni à Platone Æſchinis odio fuiſſe attributos:* deinde addit, Αὐτὸ ὃ Πλάτων ἀδʃαμόδε ἠῶ ἑαυτὸ συγʃεμμάτων μνήμιων πεποίηʃαι, ὅτι μὴ ἐν τοῦ θεὶ ψυχῆς, ἀ ἀπλογίε. In vita Platonis.

Ibid. *Iſæo*] Poſt Juvenalis verba, ADD. Alter erat ejuſdem nominis qui ſub Trajano vixit, & quem Plinius junior impenſè laudat Epiſt. Lib. II. ep. 3.

Pag. 94. *Demoſthenes*] ADD. Τὸ τῆς Ελλαδʃ κεφάλαιον: ſic audit Iſid. Peluſiotæ lib. III. ep. 81. *Demoſthenes, cujus commemorato nomine maximæ eloquentiæ conſummatio audientis animo oboritur.* Val. Max. lib. VIII. cap. 7. *Perfectum* [Oratorem,] *& cui nihil admodum deſit, Demoſthenem faci'è dixeris.* Cic. in Bruto.

Ibid. ADD. *Regnantem foro*] *Itaque cum eſſem biennium verſatus in cauſis, & jam in foro celebratum meum nomen eſſet.* Cicero de ſeipſo in Bruto. Vide notas ſupra ad num. [19.] pag. 78.

Ibid. *Marce triumphabis*] Poſt Plinii verba, ADD. *Marcus Tullius extra omnem ingenii aleam poſitus.* Idem de illo in Præfat. ad H. N. *Nihil egiſti, M. Antoni, rapuiſti tu M. Ciceroni lucem ſollicitam, & ætatem ſenilem, &c. Vivit, vivetque per omnem ſeculorum memoriam; omnis poſteritas illius in te ſcripta mirabitur; citiùſque in mundo genus hominum, quàm hujus nomen cadet.* Val. Patercul. Antoninus Imp. prohibuit, ne Ciceronis libri De Divinatione & Natura deorum legerentur, quod contra Gentilium deos ſtatuere viderentur, ut patet ex Apologia S. Juſtini Martyris, & Arnobii libris contra gentes. De eo identidem vaticinatus videtur Silius pulcherrimis his verſibus lib. VIII:

Ille ſuper Gangem, ſuper exauditus & Indos
Implebit terras voce, & furialia bella
Fulmine compeſcet linguæ, nec deinde relinquet
Par decus eloquio cuiquam ſperare nepotum.

Extant

Extant & eximiæ Ciceronis laudes apud Senecam Suaſoriarum lib. I. cum Corn. Severi poetæ celeberrimi carmine, in quo Ciceronis mortem deflet, quod ſic incipit:

Oraque magnanimûm ſpirantia pæne virorum
In roſtris jacuere ſuis &c.

Pag. 95. *Horum munere*] Poſt Ciceronis verba, ADD. *Certum eſt, quod Salluſtius Criſpus, quodque M. Cato, & Gellius hiſtorici ſententiæ modo in literas retulerunt: Omnium virtutes tantas eſſe, quantas videri eas voluerint eorum ingenia, qui uniuscujuſque facta deſcripſerint. Inde eſſe, quod Alexander magnus Macedo, cum ad Achillis ſepulchrum veniſſet &c.* Vopiſc. in Probo.

Ibid. *Mæonides*] Poſt Antip. verba, ADD. Hujus ſepulchro, teſte Herodoto, Ienſes (in Io enim ſepultus eſt) hoc epigramma inciderunt:

Ἐνθάδε τὸν ἱερὸν κεφαλὸν χθὶ γαῖα καλύπτει,
Ἀνδρῶν Ἡρώων κοσμήτορα θεῖον Ὁμηρον,

Pag. 96. ADD. *Convivas regum*] Ἀνέκειντο τοῖς Πέρσαις, inquit Max. Tyrius Diſſert. XII. αἱ βύλαι εἰς τὰς εὐωχίας, ὥσπερ τοῖς Ἀθηναίοις εἰς τὰς ἐκκλησίας Ατλικὰς· ἐκεῖ μὲν γὰρ νόμῳ κολάζων τὸν μέθυν ἐπήγαγεν τὴν τὰς ἀρετὰς τῇ εὐωχίᾳ, A quibus conviviis doctos homines, legumque peritos abfuiſſe non eſt credibile. Solebant etiam Principes Chriſtiani olim ſapientia & virtute illuſtres viros menſis ſuis adhibere, ut hiſtoriæ monſtrant.

Ibid. ADD. *Et charos ſummis*] Plinius H. N. lib. VIII. cap. 29. ſcribit, quod Alexander M. *Pindari vatis familiæ penatibuſque juſſit parci, cum Thebas caperet; & quod Ariſtotelis philoſophi patriam condidit, tantæque rerum claritati tam benignum teſtimonium miſcuit.* Vide Ælian. Var. Hiſt. lib. IV. cap. 19. & Plutarch. in Alexandro. De Pompeio M. & quo honore Poſſidonium philoſophum proſecutus fuerit, ſic ſcribit idem Plinius: *Cn. Pompeius conjecto Mithridatico bello intraturus Poſſidonii ſapientiæ profeſſione clari domum, fores percuti de more à Lictore vetuit, & faſces Lictorios januæ ſubmiſit is, cui Oriens Occidenſque ſubmiſerat.* H. N. lib. VII. cap. 30. Salmaſius legit, *Et faſces literarum januæ ſubmiſit is, cui Or. & Occid. ſe ſubmiſerat.* Meminerunt Ælian. Var. Hiſt. lib. VII. cap. 21. VIII. cap. 2. & Strabo lib. II. Denique quanta reverentia Platonem exceperit Dionyſius tyrannus docet Ælianus Var. Hiſt. lib. IV. cap. 18.

Ibid. *Herodotus Thucydideſque*] Poſt Quintiliani verba, ADD. *Thucydidem Imperatorem Athenienſes in exilium egere, rerum conditorem revocavere, eloquentiam mirati, cujus virtutem damnaverant.*

Plin.

Plin. H. N. lib. VII. cap. 30. Herodotum *Hiſtoriæ parentem* vocat Cicero; alii *Fabularum parentem*. Eloquens eſt, ipſo Dionyſio, concive ſuo teſte: ſed multa, (deceptus forſan a Sacerdotibus Ægyptiis quibuſcum verſatus eſt,) incredibilia narrat: poſterioribus tamen libris verum agit hiſtoricum. Ex Hecatæo Mileſio (ut refert ex Porphyrio Euſebius Præp. Evang. lib. X.) non pauca excerpſit.

Pag. 97. *Tyrtæi numeris*] ADD. Σπαρτιάτας ἤγειρε τὰ Τυρταίου ἔπη. Max. Tyr. Diſſert. XXI. Ibid. Poſt, Juſtin. lib. III. ADD. De eo Horatius in Arte Poetica:

Tyrtæuſque mares animos in Martia bella
Verſibus exacuit.

Phrynichum poetam ab Athenienſibus propter carmina in ducem belli electum fuiſſe refert Ælianus Var. Hiſt. lib. III. cap. 8. Credebant enim Athenienſes, ut Auctoris verbis utar, Ὅτι τὴν πολεμικῶν ἔργων ἡγήσεται καλῶς, καὶ ὡς δέον, ὅπως μὴ ἀπάδοιμα τοῖς ἐνοπλίοις ἀνδράσιν ἐργάσατο τὰ ἐν τοῖς δράμασι μέλη τε καὶ ποιήματα. Idem lib. XII. cap. 23. ſcribit, Ἀνθρώπων ἐγὼ ἀκούω φιλοκινδυνωτάτους εἶναι τοὺς Κελτούς· τὴν ἀσμάτων ἕνεκα ὑποθέσεις ποιεῖσθαι τοὺς ἀνθρώπους τοὺς ὑποθανουμένους τῷ πολέμῳ καλῶς.

Ibid. ADD. *Indormitaret Homero*] Ἦν ὃ καὶ φύσει φιλόλογος καὶ φιλομαθὴς, καὶ φιλαναγνώστης, καὶ τὴν μὲν Ἰλιάδα τῆς πολεμικῆς ἀρετῆς ἐφόδιον καὶ νομίζων καὶ ὀνομάζων, ἔλαβε μέν, Ἀεισοπέλους διορθώσαντος, ἣν ἐκ τοῦ νάρθηκος καλοῦσιν. Εἶχεν ὃ ἀεὶ μὴ τοῦ ἐγχειριδίου κειμένου ὑπὸ τὸ προσκεφάλαιον ὡς Ὀνησικρίτης ἱστόρησεν. Plutarch. in vitt.

Pag. 98. *Cæſar*] Poſt Suetonii verba, ADD. Quam addictus fuerit Cæſar bonis ſtudiis prodit Lucanus, dum ipſum ſic de ſe loquentem inducit lib. X.

Media inter prælia ſemper
Stellarum cœlique plagis, ſuperiſque vacavi.

Quantum etiam promovendis Literis incubuerit, ea quæ de viro illo ſummo Suetonius conſcripſit, indicio eſſe poſſunt; nempe quod in animo habuerit, *Bibliothecas Græcas & Latinas, quas maximas poſſet publicare, data M. Varroni cura comparandarum ac digerendarum.*

Pag. 99. ADD. *ſcribere*] *Quendam ex Aulicis vidi, hominem ſtupendæ inſcitiæ, & ſtolidè ferocem, pœnem mox adjeci, qui Julio Cæſari, at cui viro? pædagogicum fuiſſe ingenium, quia Latinè ſcripſerat, in Circulis decantabat. Sed ineptiſſimi, inſulſiſſimi, imperitiſſimi*

hominum non intelligunt Marti & Muſis optimè convenire, & manſuetiores illas deas non ducum animis mollitiem afferre, ſed eorum mores aſperos emollire. Ægid. Menagius in Epiſt. Præfat. ad Ducem Montauſerium.

Ibid. ADD. *Æternùm voluit quo ſupereſſe*] *Memoriæ conſulendum. quæ magnis viris æternitatem promitteret. Omnia potius ſubeunda, quam monumenta ingenii ſui ipſum exurere.* Ceſtius apud Senec. Suaſor. ult. qua deliberat Cicero an ſcripta ſua comburat, promittente Antonio incolumitatem, ſi faceretm.

Ad LIB. IV.

Pag. 101. *Digito verbaque ſcripta Dei.*] Poſt. Ibid. XXXII. 16. ADD. De quibus Sibylla Lib. I.

Τὸν νόμον ἐρανόθεν πρὸ
Δῶκε Θεὸς γράψας πλαξὶν δυσὶ πάντα δίκαια.

Pag. 104. *Nec cælo potius delapſam*] ADD. Ταῦτα ἂν ἀνυμνῆν τὸν ἑυρεῖλω τῦ γραμμάτων· ἡ ἀνθρώπε μὴ ἀδενὸς ἄξιε, θεᾶ ὃ ἐς ἀνθρώπες εἰ τὶω δόσιν, ut loquitur quidam apud Syneſium, Epiſt. 138.

Pag. 107. *Monſtrum, ſceleratus*] Poſt, *monſtra fuiſſe.* ADD. *Atque etiamſi Epiſcopus ipſe, aut Papa ſceleratus ſit homo, &c.* Tho. Campanella De Monarch. Hiſpan. pag. mihi 140.

Pag. 109. ADD. *Non illa inſervire ſolent affectibus*] Ὁ ὃ δι' ὠμυμμάτων λαλῶν, πρὸς τὸν Θεὸν ἀφοσιῦται. Ταῦτα κενάγως ἐγγράφως· μὴ κέρδος ἕνεκα, μὴ κενοδοξίας χάριν, μὴ πεσπαθειά νικᾶν, μὴ φόβῳ δουλᾶν, μὴ ἡδονῇ ἐπαίρειν· μόνον ὃ τῆς τῦ τυγχανόντ[illegible]ν ἀπολαῦσαι σωτηρίας. ἧς ἀδὲ χ[illegible] τὸ παρὸν μ[illegible]αλαμβάνει· ἀλλὰ ἐλπίδι ἀπεκδεχόμενο τὶω ἀποδησομένω πάντως ἀμοιβὴ φέρε τὸν μισθὸν τοῖς ἔργασιν καθ' ἀξίαν ἀποδῶσαν ὑπεσχημένε. Clem. Alex. Strom. Lib. I.

Pag. 110. *Cabala*] Poſt Criniti verba, ADD. *Kabaliſtica hæc doctrina abyſſus eſt inperſcrutabilis, labyrinthus inextricabilis, nec introitum oſtendens, nec exitum: fructus ejus nullus.* Buxtorf. in notis ad Coſri. De Cabala Judæorum vide Melch. Leidecker. de Rep. Judæorum Lib. XI. cap. I.

Pag. 111. ADD. *Qui nummis hæc meruere*] Quam immenſos theſauros ex *Indulgentiarum* nundinatione Pontifices & monachi accumulent ſatis ſuperque notum eſt. Biturigibus in templo Cathedrali D. Stephani ad altare Cardinalis Lapidi antiquo inſcripti extant hi verſiculi Leonini:

Hic

Hic si largè des, in cœlo sit tua sedes.
Qui serit hic parcè, parcè comprendet in arce.
Cur tardas? tantùm nummi mihi dos aliquantum:
Pro solo nummo gaudebis in æthere summo.

Pag. 112. ADD. *Quisquis decipi amat*] Thuanus Hist. lib. XV. narrat, quemadmodum Cardinalis Carafa Pontificis Legatus (qui summus Religionis derisor erat) cum Lutetiam ingrederetur, & plebs flexis genibus benedictionem imploraret, loco benedictionis, submurmurabat: *Quandoquidem populus iste vult decipi, decipiatur.*

Pag. 113. ADD. *Rex atque propheta*] Inclytus ille David, נְעִים זְמִירוֹת יִשְׂרָאֵל *Egregius Psaltes Israel.* II. Sam. XXIII. 1. &, ut S. Hieronymus ait, *Simonides noster, Pindarus, & Alcæus, Flaccus quoque, Catullus, atque Serenus Christum lyra personat, & in decachordo psalterio ab inferis excitat resurgentem.* In Epistola ad Paulinum.

Ibid. ADD. *Lumina quod pedibus*] Psalm. CXIX. 105. *Lucerna pedibus meis verbum tuum: & lumen semitis meis.*

Pag. 115. *Lugduni Antistes*] Post Epiphanii verba, ADD. Verba Irenæi, quæ respicimus, extant lib. III. adv. Hæres. cap. 1.

Ibid. ADD. *Servatur scriptis Lex*] *Literas necessarias confitebor, & commercii rebus, & nostris erga Deum studiis.* Tettullian. lib. De Corona militis.

Ibid. ADD. *Scripturarum fæda ignorantia causa sola mali*] Κτᾶσθε βιβλία, φάρμακα τῆς ψυχῆς· τοῦτο πάντων αἴτιον τῶν κακῶν, τὸ μὴ εἰδέναι τὰς γραφάς· S. Chrysostom.

Pag. 116. ADD. *Fortia facta ducum*] *Bardi fortium virorum illustria facta heroicis composita versibus, cum dulcibus lyræ modulis cantitarunt.* Ammian. Marcell. lib. XV. Vide Athen. lib VI. Malos vero vituperabant, teste Diodoro: Οὗτοι δὲ μετ' ὀργάνων ταῖς λύραις ὁμοίων ᾄδουσες, ὃς μὲν ὑμνοῦσιν, οὓς δὲ βλασφημοῦσιν. Ubi suprà.

Pag. 118. *In marmore jussit.*] Post Deut. XXVII. 8. ADD. Moses etiam jubet Israelitas Deut. VI. 9. ut Præcepta Decalogi liminibus domorum, & januis inscriberent.

Pag. 119. *Numerando cuncta elementa*] Post, factum est. ADD. Quod vero tam diligenter libros sacros conservarint Judæi id non sine singulari Dei providentia factum esse affirmat S. Justin. Martyr. in Oratione contra Gentes, ne Christiani eos proferentes, quasi suppositicii aut corrupti essent, παρφασιν ῥᾳδιουργίας maledicis præberent. Hinc Judæi *Christianorum bajuli*, sive *scriniarii* B. Augustino audiunt.

Pag. 120. *Sexaginta sex supra sexcentos*] Post, Apocal. XIII. 18. ADD. Mos ille designandi nomina per numeros, vetus est, & ab Hebræis promanâsse videtur. Hos כך pro יה quod est nomen Dei uti solitos testatur Bibliander, nam utraque literarum colligatio notat quindecim. Vide notas supra ad lib. I. num. [33.]

Ibid. ΛΑΤΕΙΝΟΣ] Poſt S. Irenæi verba, ADD. Alia huic ἰσόψηφα nomina Antichriſti adducit vir ſanctiſſimus, ſed hoc unum, ut vides, *valde veriſimile*, ejus nomen eſſe putat. Nos rebus ipſis edocti hoc verum Antichriſti nomen eſſe ſcimus. Qui non ΛΑΤΕΙΝΟΣ, ſed ΛΑΤΙΝΟΣ ſcribendum eſſe dicunt, nihil agunt; his reſponderi poteſt, veteres *i* longum per *ei* ſcripſiſſe: & hoc docent cum alia innumera, tum hæc Ennii verba:

Quam preimùm Caſcei populei tenuere Lateinei.

Item:

Si fas endo plagas cœleſtum ſcandere quoiquam,
Mi ſolei cœlei maxuma porta patet.

Et Quintiliani illa lib. I. cap. 7. *Ut puerei plures fiant.* Vide Voſſ. De Arte Gram. lib. I. cap. 13. & De Analog. lib. II. cap. 6.

Pag. 123. *Nutu quo vellet*] Poſt Aventini verba, ADD. Prædeceſſoris veſtigiis inſiſtens Paulus IV. ad Oratores Cæſaris referente P. Sarpio, dicere non dubitavit, *Se regibus cunctis eſſe ſuperiorem; nolle ſe cum quovis eorum familiaritatem; ſibi conceſſam regnorum immutandorum poteſtatem; ſe eorum, qui Reges, Imperatoreſque è ſoliis deturbârint, eſſe Succeſſorem.* Et ad Legatos Reginæ Angliæ, terram pede pulſans, vociferavit: *Nonne*, inquit, *Regina veſtra novit, illam noſtrum eſſe mancipium?* Hiſt. Concil. Trident. lib. V.

Pag. 126. ADD. *Et jubet eſſe deos.*] Atque id quidem ſeriò: non ut Lacedæmonii olim, de quibus lepidam hiſtoriam narrat Ælianus, nempe cum Alexander ſuperato Dario deus haberi vellet, Græciæque civitatibus, ea de re ſcripſiſſet, aliis quid agerent haud ſtatuentibus; Lacedæmonii Decretum ejuſmodi fecerunt: Ἐπειδὴ Ἀλέξανδρος βάλεται θεὸς εἶναι, ἔστω θεός. Var. Hiſt. lib. II. cap. 19.

Ibid. ADD. *Quæ ex ſeptem collibus*] Hinc ſepticollis dicta erat Roma, & hinc Cicero Epiſt. ad Attic. lib. VI. ep. 5. ſcribit, Ἐξ ἀστεως ἐπαλόφη. Denique Horatius:

Dii quibus ſeptem placuere colles.

Vide Virgil. Georg. lib. II. Propert. lib. III. & Martial. lib. IV.

Pag. 128. ADD. *Videre arcana figuris Judæi*] Cabaliſtæ, qui neſcio quæ myſteria ineſſe literis putant, dicuntque iis contineri XXXII. ſemitas quibus Deus creavit mundum. Vide Rab. Abraham lib. De Creatione, Pet. Toloſan. Artis mirabil. lib. XV. cap. 10. Corn. Agrip. De occul. Philoſ. cap. 3. & Galatin. contra Judæos cap. 9. Quæ vero fuerint hæreticorum quorundam veterum deliria circa Alphabetum Græcum docent S. Irenæus lib. I. & Tertullian. in Proſcriptione. Vide notis add. ſupra ad lib. I. [36.]

Ibid.

Ibid. *Quæ pictis animi*] Poſt Hermotimi verba, ADD. Et Lucanus lib. III. ver. 222.

Nondum flumineas Memphis contexere biblos
Noverat, in ſaxis tantùm volucreſque feræque,
Sculptaque ſervabant magicas animalia linguas.

Ibid. Poſt videat. ADD. Inter eos libros quos Democritus Abderites ſcripſiſſe dicitur, unus, referente Diog. Laertio in vita, erat Περὶ τῶν ἐν Βαβυλῶνι ἱερῶν γραμμάτων: alter Περὶ τῶν ἐν Μερόῃ ἱερῶν γραμμάτων.

Ibid. Poſt, uſum fuiſſe conſtabit. ADD. In his Hieroglyphicis Ægyptii ſe octo annorum mille res geſtas habere jactabant.

Pag. 129. *Tau.*] Poſt, ἀνδρῶν. ADD. Vide Voſſ. De Arte Gram. lib. I. cap. 32. & Montfaucon. Palæograph. Græc. lib. II. cap. 3.

Pag. 131. ADD. *Te pereunte*] Et quidem tua ipſius manu, teſte Euſebio in Chron. ad ann. MMLVI. ex Verſione Hieronymi: *Pontius Pilatus*, inquit, *incidens in multas calamitates propria ſe manu interfecit. Scribunt Romanorum hiſtorici.* In Græcis paulo pleniùs. Πόντιος Πιλάτος, ὁ ἐπὶ τοῦ Σωτῆρος, ποικίλαις περιπεσὼν συμφοραῖς αὐτόχειρ ἑαυτὸν γίνεται. Hunc ſequitur Cedrenus, addens id factum fuiſſe ἐπὶ Γαΐου Καίσαρος, intellige Caligulam.

Pag. 133. *Qui jam poſt cineres*] Poſt Tertulliani verba, ADD. De Apoſtolis itidem ſic ſcribit Theodoretus: Ἡνίκα μὲν γὰρ μὴ τῶν σωμάτων, ἐπολιτεύοντο, νῦν μὲν ὧδε τούτους, νῦν παρ' ἐκείνους ἐφοίτων, καὶ ἄλλοτε μὲν Ρωμαίοις, ἄλλοτε δὲ Ἰσαύροις ἢ Κελτοῖς διελέγοντο· ἐπειδὴ δὲ ἐτελεύτησαν, ὑφ' ὧν μετεπέμφθησαν, ἅπαντες αὐτῶν ἐνδελεχῶς ἀπολαύουσιν· οὐ μόνον Ρωμαῖοι, καὶ ὅσοι γε τῶν τούτων ἀγαπῶσι ζυγὸν, καὶ οὐδὲ τούτων ἰδιώταις, ἀλλὰ καὶ Πέρσαι, καὶ Σκύθαι, καὶ Μασσαγέται, καὶ Σαυρομάται, καὶ Ἰνδοὶ καὶ Αἰθίοπες, καὶ συλλήβδην εἰπεῖν, ἅπαντα τῆς οἰκουμένης τὰ τέρματα. De cur. Græc. affect. Serm. VIII.

Pag. 136. ADD. *Ingenium referens*] De Romanis Mithridates apud Juſtinum lib. XXXVI. *Non temerè*, inquit, *ſe lupi uberibus alitos jactare, omnes enim habere luporum animos inexplebiles, ſanguinis, imperii, divitiarum avidos eſſe & jejunos.* Et Tacitus: *Raptores orbis, poſtquam cuncta vaſtantibus defuere terræ, & mare ſcrutantur. Si locuples eſt, avari; ſi pauper, ambitioſi; quos non Oriens, non Occidens ſatiaverit.* In vita Agricolæ. *Avaritiæ inhumanitas proprium Romanorum malum.* Salvian. lib. VII.

Ibid. *Par monachorum*] Poſt, Occhamus & Scotus; ADD. Collegii Mertonenſis quod eſt Oxoniæ, alumni:

Pag. 140. ADD. *Picturas eſſe libellos*] Id ipſum dixiſſe gentes pro ſimulachris ipſarum, quod Romani nunc dicunt pro ſuis, te-

ſtatur S. Athanaſius libro contra Gentes, nempe quod eſſent ὡς γράμματα τῆς ἐπὶ θεὸν δείας.

Pag. 146. *A conjuratis*] Quid enim aliud erant, qui Tridenti convenerunt, quam ut Dudithii verbis utar, *Epiſcopi larvæ; non homines, ſed ſimulachra, quæ nervis moverentur alienis, & Dædali ſtatuæ eſſent?* Epiſt ad Maximilian.

Improbe Foxe] Hic ſutor cum eſſet Sectam Quakerianam condidit circa Annum D. 1650.

Pag. 149. ADD. *Cromwellum*] Illum *rebellem*, Regicidam, & Tyrannorum, omnium quotquot unquam vixerunt, crudeliſſimum.

Pag. 150. *Urim & Thummim*] Poſt Tractatum. ADD. Carpzovium ad Schickardum in Diſſertatione Spenceri oppoſita; Buxtorfium, qui omnia ad hanc rem ſpectantia congeſſit; denique Maimonidem Tractatu תמיד.

Pag. 151. ADD. *Vita integroſque*] De Summo apud Ægyptios Sacerdote vide quæ tradit Ælianus Var. Hiſt. lib. XIV. cap. 34.

Ibid. ADD *Summa jam luditur arte*] Vide lib. III. num. [20]. pag. 82. & lib. V. num. [47]. pag. 198. 199. 200. cum notis.

Ibid. ADD. *Nempe per Antiphraſin*] *Novo, atque ut pleriſque viſum, ſuperbo nomine appellati ſunt.* Thuan. Hiſt. Tom. I. lib. 15.

Ibid. *Terra extat*] Poſt, patria. ADD. *O fortunata, & nunc omnibus beatior terris Britannia, quæ Conſtantinum Cæſarem prima vidit!* Panegyriſtes apud Cambdenum.

Ad LIB. V.

Pag. 153. ADD. *Scribis*] De quibus conqueri poſſemus, ut de imperitis & indiligentibus ſui temporis Cicero queritur, quod ii eſſent, qui libros peſſimè transſcriberent: *De Latinis*, inquit, *quo me vertam, neſcio; ita mendosè & ſcribuntur & veneunt.* Epiſt. ad Quint. Frat. lib. III. ep. 21. Quid dixiſſet, ſi, quæ monachi indocti poſtea transſcripſerunt, vidiſſet!

Pag. 154. *Hi mala dant arti*] Poſt Plinii verba ADD. Optimè Iſocrates: Οὐ καλῶς ἐγκωμιάζεσθαι τούτων τῶν πραγμάτων ὄζιν, δι' ὧν ἄν τις μετ' ἀρετῆς πλεονεκτήσειεν, ἀλλὰ τῶν ἀνθρώπων τῶν περὶ τὰς πράξεις ἁμαρτανόντων. Ἀλλὰ χρὴ δίκαιον, ὃν ἔστινες ἀπάντων τύπτοιεν, τῆς ῥώμης κατηγορεῖν. ὅτε διὰ τὸν ἀποκτείνοντας, τὴν ἀνδρείαν· ὃν ὅλως τὴν τῶν ἀνθρώπων πονηρίαν ἐπὶ τὰ πράγματα μεταφέρειν· ἀλλ' αὐτὸς ἐκείνους ψέγειν, ὅσοι τοῖς ἀγαθοῖς κακῶς χρῶνται. Ad Nicocl. Orat. III. Nihil verius illa voce Ovidii:

Non prodeſt, quod non lædere poſſit idem.

Quod Tibullus de enſis inventore dixit, id nos de Typographiæ inventore dicere poſſimus:

Ah nihil ille miſer meruit: nos ad mala noſtra
Vertimus, in ſævas quod dedit ille feras.

Vide notas infrà ad num. [71].

Ibid. *Multa agnoſcuntur cecidiſſe*] Poſt, ſeptingenti, ADD. Plinio ſeniore, (qui Hiſt. Nat. libros *ex lectione voluminum circiter duum millium* ſe compoſuiſſe ſcribit, in Præfatione). Ibid. Poſt interciderunt. ADD. Si vero philoſophorum quorum vitas Diogenes Laertius ſcripſit, libros recenſere quis velit, millium aliquot numerum excedere inveniet. Sed ingeniosè, meo quidem judicio, Xylander: *Hodie ita fere ſunt ingenia*, inquit, *ut de Livianis* CXLII. *libris amiſſos* CVII. *plures deſiderent, quam ſuperſtites* XXXV. *legant*, In vita Plutarchi ab ipſo Xylandro conſcripta.

Ibid. ADD. *Manca*] Quapropter ſic conqueritur Eraſmus: *Quæſo te, quam pauci ſuperſunt, caſu ſervati, magis quam noſtro beneficio: atque hi rurſum ipſi, quam fœdè mutili, quam contaminati, quam prodigioſis mendis undique ſcatentes, ut non magni referat ſic ſupereſſe.* In Epiſt. nuncup. ad Gul. Warrhamum Archiep. Cant. D. Hieronymi operibus præfixa. Et ante illum Politianus in Præfatione ad Quintiliani Inſtitutiones: *Quid nunc attinet ſuperiorum calamitatem temporum memoriæ repetere? quod ſine ſummo dolore facere vix piè poſſumus, quibus inſignes illi, atque immortalitate digniſſimi ſcriptores, partim à Barbaris cæſi, fœdeque laniati ſunt, partim ab his ipſis ad noſtrorum uſque parentum memoriam velut in carcerem conjecti, atque in compedibus habiti, vix tandem aliquando, ſicut erant ſemilaceri, atque truncati, multùmque à ſeipſis immutati, ſuam hanc in patriam reverterunt.*

Pag. 155. ADD. *Menandri*] Vide notas ad lib. III. num. [21].

Ibid. ADD. *Dulcis Ariſtophanis*] Hic per excellentiam à Xerxe Perſarum rege Ὁ Κωμῳδίας ποιητὴς dictus eſt. Sunt etiam qui D. Chryſoſtomum hunc poetam tanti feciſſe ſcribant, ut ſub pulvinare ſuo, cum dormitum iret ponere ſolitus eſſet. Extat Platonis in Ariſtophanem ejuſmodi epigramma:

Αἱ Χάριτες τέμενός τι λαβεῖν, ὅπερ οὐχὶ πεσεῖται
Ζητῶσαι, ψυχὼ εὗρον Ἀριστοφάνυς.

Quod Joſ. Scaliger ſic Latine reddidit:

Ut templum Charites, quod non labatur, haberent,
Invenere tuum pectus, Ariſtophanes.

Ibid. Ante duas lineas posteriores ADDATUR Carmini:

Omnia quæ scripsit Demetrius ille Phalereus
Extarent, (auctor nobilis ille fuit,
Junctus amicitia, sic fert vaga fama, Menandro,
Charus & in primis, Rex Ptolemæe, tibi.)

Demetrius ille Phalereus] Ob eloquentiam laudatus Ciceroni & Quintiliano. Hic Athenienſium civitati præfectus à Caſſandro conſtitutus, rempublicam per decem annos magna cum laude adminiſtravit, nim. ab Olym. CXV. 4. uſque ad CXVIII. 2. quapropter ſtatuis honorari meruit 360. (De quibus Plinius lib. XXXIV. cap. 6. Vide Add. lib. III. pag. 73.) Hunc ſæpius laudat Cicero, cui lib. I. De Officiis audit, *Diſputator ſubtilis, orator parum vehemens, dulcis tamen, ut Theophraſti diſcipulum poſſis agnoſcere.* In II. de LL. *Vir, non ſolum eruditiſſimus, ſed etiam civis è Republica maximè, tuendæque civitatis peritiſſimus.* Et in III. de LL. de eodem ſcribens. *Nam & mediocriter doctos*, inquit, *magnos in Republica viros, & doctiſſimos homines non nimis in Republica verſatos multos commemorare poſſumus; qui vero utraque re excelleret, ut & doctrinæ ſtudiis, & regenda civitate princeps eſſet, quis facilè, præter hunc invenire poteſt?* Hic autem injuria, (ut cum Cicerone teſtatur Diog. Laertius) Athenis pulſus, ad Ptolemæum Ægypti regem ſe contulit, à quo honorificè acceptus eſt. Sunt qui Bibliothecæ Alexandrinæ (cujus exſtruendæ ille regi Ptolemæo auctor fuerat) præfuiſſe illum ſcribunt: (Vide lib. I. num. [43]. in not. ibi. item infrà ad num. 54. & 55.) Sed viri docti Joſephus Scaliger in Animadv. ad Eutebii Chronicon, Wowerius de Interpretatione Bibliorum lib. III. aliique, hoc, & quod regi vertendi Ebræorum libros in Linguam Græcam auctor fuerit, prorſus negant. Addit de Demetrio Laertius, πλήθει ὃ βιβλίων, καὶ ἀεὶ θαυμῶ σίχων χεδὸν ἅπαντας παρελήλακε τοὺς κατ' αὐτὸν Περιπατητικούς, εὐπαίδευτος ὢν καὶ πολύπειρος παρ' ὀντινοῦν. Meminerunt hujus præter dictos auctores Strabo lib. IX. Diodorus Sicul. lib. XX. Plutarchus in vita, & Ælianus Var. Hiſt. lib. III. cap. 17. Poſtremò, Aſpide ad corpus ultro admota vita exiit. Non hujus, ſed alterius Demetrii eſſe ſcriptum illud ſatis elegans, quod extat, περὶ ἑρμηνείας probat Voſſius Inſtit. Orat. lib. VI. cap. 2.

Ibid. ADD. *Junctus amicitia*] De hac ejus cum Menandro amicitia videndus Diog. Laertius in vita Demetrii.

Pag. 156. *Varro*] *Humanæ vitæ exemplum, ætatiſque ſpatium nominandus: non annis, quibus ſeculi tempus æquavit, quam ſtylo vivacior fuit. In eodem enim lectulo, & ſpiritus ejus, & egregiorum operum curſus extinctus eſt.* Val. Max. lib. VIII, cap. 7.

Ibid. ADD. *Huic Græcos nomen*] *In Theophraſto tam eſt eloquendi nitor ille divinus, ut ex eo nomen quoque traxiſſe dicatur.* Quintil. lib. X. cap. ex Cicerone. Vide Catalog. Idem tradit Plinius in Præf. ad Libb. Hiſt. Nat. *Suavitate homo inſigni, linguæ pariter*

atque

atque vitæ. A. Gellius lib. XIII. cap. 5. Hunc *delicias ſuas* appellare ſolitus eſt Cicero, referente Plutarcho.

Ibid. ADD. *Hic eſt humanæ &c.*] *Theophraſtus autem moriens accuſaſſe naturam dicitur, quod cervis & cornicibus vitam diuturnam: (quorum id nihil intereſſet:) hominibus, quorum maximè interfuiſſet, tam exiguam vitam dediſſet: quorum ſi ætas potuiſſet eſſe longinquior, futurum fuiſſe, ut omnibus perfectis artibus, omni doctrina hominum vita erudiretur. Querebatur igitur ſe tum, cum illa videre cæpiſſet, extingui.* Cic. Tuſc. Quæſt. lib. III. S. Hieronymus epiſt. ad Nepotianum hæc de Themiſtocle refert, ſcribens Themiſtoclem, *cum expletis centum & ſeptem annis ſe mori cerneret, dixiſſe, dolere ſe, quod tum egrederetur è vita, quando ſapere cæpiſſet.* Sed ibi Themiſtoclis nomen memoriæ lapſu, pro Theophraſti nomine poni manifeſtum eſt; idque obſervavit olim Caſaubonus in notis ad Theophraſti characteres.

Ibid. ADD. *Empedoclis*] Poeta Agrigentinus, qui floruit Olym. 86. Scripſit de natura rerum. Hujus carmina aliquot citat Ariſtoteles Metaph. lib. III. cap. 4. Extollit illum Lucretius his verbis:

Nil tamen hoc habuiſſe viro præclarius in ſe
Nec ſanctum magis, & mirum, clarumque videtur.
Carmina quinetiam divini pectoris ejus
Vociferantur, & exponunt præclara reperta,
Ut vix humana videatur ſorte creatus.

De ejus obitu variant ſcriptores: ut deus haberetur Ætnam inſiliiſſe plerique tradunt. Vide Diog. Laert. in vita. De eo extant hæc D. Gregorii Nazianzeni carmina:

Ἐμπεδοκλῆς, σὲ μὲν αὐτίκ' ἐτώσια φυσιόωντα,
Καὶ βροτὸν Αἰτναίοιο πυρὸς κρητῆρες ἔδειξαν,
Σάνδαλ' ὑποβρήσαντες ἐλαφρηνίοιο θείου
Χάλκεα, καὶ σὲ βροτοῖσιν ἐπαίχεα πᾶσιν ἔθηκαν
Κύδεϊ ἰμείρονται δι' ἄλματος αἰνομόροιο.

Empedoclis carmina omnia extitiſſe videntur tempore Quintiliani, ut patet ex Inſtit. lib. I. cap. 4.

Ibid. ADD. *Livius*] *Nunquamne legiſti Gaditanum quendam Titi Livii nomine gloriaque commotum ad viſendum eum ab ultimo terrarum orbe veniſſe, ſtatimque, ut viderat, abiiſſe?* Plin. Epiſt. lib. II. ep. 3. quæ eſt ad Nepotem.

Pag. 157. ADD. *Porphyrius*] Natione Tyrius, antea Malchus dictus, Chriſtiani nominis hoſtis infenſiſſimus. E ſacris tamen literis, quæ voluit, ſurripuiſſe illum teſtatur Theodoretus Serm. VII. Hujus vitam ſcripſit Eunapius.

Ibid. ADD. *Chryſippum*] Hic Stoicus philoſophus fuit, diſcipulus Cleanthis, obiitque Olym. 143. Ἀνὴρ εὐφυὴς, καὶ ὀξύτατος

τῷ ἐν παύλῃ μέρει, audit Laertio. De eo vide Cic. de Nat. deor. lib. II. & Sen. de Benef. lib. I. cap. 3.

Ibid. ADD. *Crantoraque*] Qui Academicus fuit philosophus, Platonis auditor. Hujus librum Περὶ πένθους laudat Cicero his verbis: *Et ille quidem non magnus, sed verè aureolus, & ad verbum ediscendus, libellus.* Et in Consolatione, *Crantorem*, inquit, *sequor.* Vide ejusdem De Finibus lib. V. Utrumque, & Chrysippum & Crantorem laudat Horatius Epist. lib. I. ep. 2. dum de Homero sic scribit:

Qui quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non,
Plenius ac melius Chrysippo & Crantore dicit.

ADD. *Scripta reperta feruntur*] Quæ omnia ad nos minime pervenerunt. Extitisse autem Aristotelis libros aliquot temporibus Ciceronis, quæ nunc non extant, locus ille insignis (in II. lib. de nat. deor.) qui sic incipit: *Si essent, qui sub terra habitavissent &c.* ex Aristotele desumptus, argumento esse possit.

Ibid. ADD. *Quin Fabium*] Hujus Institutionum Oratoriarum libri eximii plane sunt, & omni laude digni: *In his Quintiliano propositum est* (ut recte judicat Politianus,) *eum Oratorem instituere, qualem fuisse neminem memoriæ sit proditum: qui & moribus perfectus, & omni scientia, omnique dicendi facultate sit absolutus.*

Pag. 158. ADD. *Josiæ*] Vide Reg. lib. II. 22. Epiphanius scribit libro *De mensuris*, temporibus Caracallæ Imp. Bibliorum Græcam versionem prope Hierechuntem in dolio inventam fuisse.

Ibid. ADD. *Hic fortunam literularum*] *Commigrationes gentium variæ commemorantur commigrationes literarum commemorari possent non minores.* Fontanen. de Perfect. rerum. lib. I. cap. 4.

Pag. 159. *Barbaricas alias vocitabat*] ADD. Βαρβαικὸν τὸ ἀχ Ἑλληνικόν, ait Ammonius: Sic quicquid uspiam erat gentium vocabant Græci, ne Romanis quidem exceptis. *Nos quoque dictant Barbaros; & spurciùs nos, quam alios, opicos appellatione fædant.* Cato Censor. apud Plin. H. N. lib. XXIX. cap. 1. Vide Plautum in Prologis Asinariæ. & Trinummi, ubi *Barbarè* pro *Latinè* usurpat. Et in Pœnulo cum Italas urbes nominasset, *Quid tu*, inquit, *per barbaricas urbes juras?* Vide etiam Thucydid. lib. I. Hunc morem secutus Apostolus Rom. I. 14. gentes omnes in Ἕλληνας & βαρβάρους dispescit. Ibid. Post Diog. Laertii, verba ADD. Ad quem locum vir doctissimus Is. Casaubonus hæc habet: *Et Græcorum*, inquit, *optimus quisque, maximèque ingenuus ita semper sensit & veteres illi nostræ religionis defensores adversus gentes veritatem hac in parte ita defenderunt, itaque fastum & arrogantiam contrà sentientium retulerunt, ut de eo dubitare nemo queat.* Solonem, qui Athenienſium legislator, Ægyptum navigasse, & inde leges sumpsisse, quas postea civibus suis dedit, testantur Plutarchus, Diog. Laertius, & Plato. Quæ leges cum aliis à Romanis postmodum in XII. Tabulas relatæ.

Vide

Vide Liv. lib. III. Ibid. Poſt. Clem. Alexand. Strom. lib. I. ADD. (Reſpicere videtur verba Platonis in Cratylo: Παρὰ βαρβάρων τινῶν αὐτὰ παρειλήφαμεν, ὡσὶ ὃ ἡμῖν ἀρχαιότεροι βάρβαροι.) Ibid. Poſt, ἐσπούδασε. ADD. Et de Platone ſic ſcribit Macrobius: *Plato Ægyptios, omnium philoſophiæ diſciplinarum parentes, ſecutus eſt.* In Somn. Scipion. lib. I. cap. 19. Vide notas ad lib. V. num. [34.] Ibid. Poſt, Saturn. lib. I. cap. 26. ADD. *Quod genus hominum* (de Ægyptiis loquitur,) *conſtat & artibus reperiendis ſoleries extitiſſe, & in cognitione rerum indaganda ſagaces.* A. Gell. lib. XI. cap. 18. Ibid. Poſt Macrobii verba, ADD. Quæ à Strabone hauſiſſe videtur, ille enim Geog. lib. XVII. ſic ſcribit; Οὗτοι δὴ (ſcil. Ægyptii) τὰ ἐπιτρέχοντα τῆς ἡμέρας καὶ τῆς νυκτὸς μέρια τῶν τριακοσίων ἑξήκοντα πέντε ἡμέραις εἰς τὸν ἐνιαυτὸν ἀπλήρωτον τὸν ἐνιαυτὸν χρόνῳ παρέδοσαν· ἀλλ' ἠγνοεῖτο τέως ὁ ἐνιαυτὸς καὶ παρὰ τοῖς Ἕλλησιν. ὡς καὶ ἄλλα πλείω, ἕως οἱ νεώτεροι ἀστρολόγοι παρέλαβον παρὰ τῶν μεθερμηνευσάντων εἰς τὸ Ἑλληνικὸν τὰ τῶν ἱερέων ὑπομνήματα· καὶ ἔτι νῦν παραλαμβάνουσι τὰ ἀπ' ἐκείνων, ὁμοίως καὶ τὰ τῶν Χαλδαίων.

Pag. 161. ADD. *Tellus diviſa Britanna*] D. Hieronymus ſcribit, Scotos (qui tunc Hiberniam incolebant) ſuo tempore moribus adeo feris fuiſſe, ut carnibus humanis veſcerentur, & ſtuprum pro nullo crimine haberent: Ejus verba ſunt hæc: *Quid loquar de cæteris nationibus, cum ipſe adoleſcentulus in Gallia viderim Scottos, gentem Britannicam, humanis veſci carnibus, & cum per Sylvas porcorum greges & armentorum pecudumque reperiunt, paſtorum nates, & feminarum papillas ſolere abſcindere, & has ſolas ciborum delicias arbitrari. Scottorum natio uxores proprias non habet, & quaſi Platonis politiam legerit, & Catonis ſectetur exemplum, nulla apud eos conjux propria eſt: ſed ut cuique libitum fuerit, pecudum more, laſciviant,* Adverſ. Jovinian lib. II. De Hiberniæ ejuſque incolis ſic ſcribit Strabo lib. IV. Περὶ μὲν δὴ τῆς νήσου ταύτης ἔχομεν λέγειν σαφῶς, πλὴν ὅτι ἀγριώτεροι τῶν Βρεττανῶν ὑπάρχουσιν οἱ κατοικοῦντες αὐτὴν, ἀνθρωποφάγοι, τούς τε πατέρας τελευτήσαντας καλεῖσθαι ἐν καλῷ τιθέμενοι, καὶ φανερῶς μίγνυσθαι ταῖς τε ἄλλαις γυναιξὶ, καὶ μητράσι καὶ ἀδελφαῖς. Καὶ ταῦτα δ' οὕτω λέγομεν, ὡς οὐκ ἔχοντες ἀξιοπίστους μάρτυρας. Sed Deo gratias; Chriſti Evangelii luce micante, tantæ non in Scotia modo, ſed in toto pæne orbe tenebræ diſcuſſæ, & tam feri mores emolliti, imo ad ſummam culturam perducti ſunt.

Pag. 162. *Cambdenos*] Poſt Ciceronis verba, ADD. Nimirum erat, (ut Plinii verbis utar, in Præfatione ad Libb. Hiſt. Nat.) *Res arduas vetuſtis novitatem dare, novis auctoritatem, obſoletis nitorem, obſcuris lucem, faſtiditis gratiam, dubiis fidem, omnibus vero naturam,*

& naturæ ſuæ omnia. Quam rem præſtitit, ſi quis alius, in BRITANNIA ſua Cambdenus.

Pag. 164. ADD. *Facundia labris.*] Utrique viro conveniunt ea quæ ab Eupolide Comico de Pericle dicta ſunt, referente Plinio Epiſt. lib. I. ep. 20.

Πρὸς ὃ γ' ἀῦ τέτῳ τάχ' ἦ
Πειθώ τις ἐπεκάθητο τοῖσι χείλεσιν
Οὕτως ἐκήλει, κἠ μόνῳ τῷδ' ῥητόρων
Τὸ κέντρον ἐξαλέλειπτο τοῖς ἀκροωμένοις.

Pag. 174. *Platina*] Poſt Volaterrani verba ADD. Hoc ſi verum (& quidem veriſſimum eſt) certè quæ de Pontificibus Rom. ſcripſit Platina, eo majorem fidem merentur.

Pag, 175. Poſt duas lineas priores, ADDATUR Carmini:

Multùm opibus. Warrhame, tuis adjutus; ut ipſe
Teſtatur, laudes percelebratque tuas.

Warrhame] Fuit ille Archiepiſcopus Cantuarienſis ſub Hen. VIII. Vir bonus, in pauperes munificus, doctorum Patronus, Eraſmi in primis, qui ejus munificentiam ſæpius expertus, libris ipſi dedicatis, gratus agnoſcit, ut aliàs, ſic præſertim in Adagiorum libris, his verbis: (explicans Proverbium, *Ne bos quidem pereat:*) *Meo bono*, inquit, *captus ſum, hoc uno nomine felix, quod hic Mæcenas obtigit; ſed longe feliciſſimus futurus, ſi maturiùs contigiſſet. An illum hujus alumni pœniteat, neſcio: certè mutuis in illum officiis meo animo nondum ſatisfeci, nec videor unquam ſatisfacturus. Proinde mihi rogandi ſunt omnes, qui bonarum literarum, qui religionis amore ducuntur, ut ſi quid fructûs non pœnitendi cæperunt ex meis lucubrationibus, huic ſanctiſſimo Præſuli pro me gratias agant, atque adeo, ſi poſſint, referant. Referent autem, ſi non patientur illius memoriam apud poſteros intermori, cujus benignitati debent, quicquid ex libris meis hauſerunt, ſi quid omnino frugiferum hauſerunt.*

Pag. 179. *Trapezuntius*] Poſt, Scultet. ADD. Euſebius de Meſſala Corvino Oratore ſic ſcribit: *Meſſala Corvinus Orator ante biennium quàm moreretur, ita memoriam ac ſenſum amiſit, ut vix pauca verba conjungeret.* In Chron. ad Olym. CXCVII. 3. Tale quid de Hermogene Rhetore tradunt Scriptores.

Pag. 183. *Ab Alexandro*] Poſt, intendit. ADD. Fuit Alexander Philelphi auditor, ut ipſe de ſe teſtatur. Lib. I. cap. 23.

Ibid. *Annius*] Poſt Voſſii verba, ADD. Sed quem ipſe vocat, *hominem quidem doctum, ſed totum pænè ex mendaciis & fraudibus conſutum.* De Arte Gram. lib. I. cap. 9.

Pag.

Pag. 188. Poſt duas lineas priores, ADDATUR Carmini:

Nec meruere minus Sirmondus, & ille diſertus
Cauſſinus, tetricus Petaviuſque ſenex,
Hoſtis Scaligeri, ſed qui, me judice, libros
Scaligeri haud dignus, qui modo ferret, erat.

Pag. 192. *Non Philadelphiacis*] Poſt, Chaldaicam vocat. ADD. Nempe quia *Philo arbitrabatur linguam Hebræorum ipſam eſſe Chaldaïcam, quia Abraham de Chaldæis fuerit*, ut ſcribit D. Hieronymus in Dan. cap. 1.

Ibid. *Ex ipſo fonte*] Poſt Pocockii verba, ADD. Παρ' ἡμῖν γὰρ ἐκ ἐκείνης ἀποδέχονται τὰς πολλῶν ἐθνῶν διαλεκτον ἐκμαθόντας, διὰ τὸ κοινὸν εἶ νομίζειν τὸ ἐπιτήδευμα, τοῦτο μόνον, ἐκ ἐλευθέρως τοῖς τυχοῦσιν, ἀλλὰ κὴ τῶν οἰκετῶν θέλουσιν· μόνοις ὃ σοφίαν μαρτυροῦσι, τοῖς τὰ νόμιμα σαφῶς ἐπισαμένοις, κὴ τὴν ἱερῶν γραμμάτων δύναμιν ἑρμηνεῦσαι δυναμένοις. Joſeph. Antiq. Judaic. Lib. XX. ſub finem. Attamen fuerunt ante Joſephi tempora Judæi non modo Hebraicarum, ſed etiam Græcarum literarum peritiſſimi: quin & ſua ætate doctrinæ nomine florebat Philo, Platonicæ philoſophiæ cognitione adeo excellens, ut vulgo diceretur, Ἡ Πλάτων Φιλωνίζει, ἢ Φίλων Πλατωνίζει. Ergo de Barbaris quibuſdam linguis, quæ ad intelligentiam S. Scripturarum artiumque bonarum nihil facerent, non de Græca aut Latina, loquitur Joſephus.

Pag. 193. ADD. *Ex Arabum*] *Academia Pariſienſis circa hæc tempora florebat maximè in omnibus facultatibus, & deferebantur ex Arabica lingua eò Metaphyſica Ariſtotelis in Latinam tranſlata; ea judicio Epiſcoporum prohibentur, & flammis abolentur.* Calviſius ad annum 1209. ex Richord.

Ibid. *Sapiùs in rebus divinis*] Poſt, videbit. ADD. *Inter philoſophos meritò principem obtinet locum Ariſtoteles, ſive tractandi ordinem, ſive diſtinguendi acumen, ſive rationum pondera conſideres. Utinam tantùm principatus ille ab aliquot hinc ſeculis non in tyrannidem abiiſſet, ita ut veritas, cui Ariſtoteles fidelem navavit operam, nulla jam re magis opprimatur, quam Ariſtotelis nomine.* H. Grotius in Præfat. ad Libb. de Jure Belli & Pacis.

Pag. 194. ADD. *Barbara turba*] Audiamus Eraſmum ſeculorum aliquot, quæ Reformationem Eccleſiæ præceſſerunt, barbariem depingentem: *Poſteaquam principum mores*, inquit, *planè jam in barbaricam quandam tyrannidem degenerâſſent, tum Epiſcopi prophanam ditionem magis cæpiſſent amplecti, quàm ab Apoſtolis traditum docendi munus: mox univerſa docendi provincia in iſtos quoſdam eſt relegata, qui charitatis & religionis cognomen hodie ceu peculiare ſibi vindicant. Jam negligi cæptæ bonæ literæ, faſtidita Græcani ſermonis peritia, multoque magis Hebraici: ſpretum eloquentiæ ſtudium; quin & ipſa lin-*

gua

gua Latina ſic conſpurcata eſt ſubinde nova barbarie, ut jam nihil minus eſſet, quam Latina: nec hiſtoriæ, nec geographiæ, nec antiquitatis ulla cura. Tantum ad Sophiſticas quaſdam argutias contracta res literaria: & eruditionis ſumma penes Summularios quoſdam collectores ac acceptores eſſe cœpit: hoc nimirum impudentiores, quo minus habebant eruditionis. Proinde veteres illos ſcriptores facilè vel antiquari, paſſi ſunt, vel, quod vero propius eſt, ipſi abolendos curarunt, ut quos jam fruſtra legerent, nimirum his rebus deſtituti, ſine quibus illi non queant intelligi. Et ex illis utcunque decerpta quædam, ſuis commentariis admiſcuerunt: qua gratia magis in rem iſtorum erat, illos interire; ne quando vel plagii convincerentur, vel inſcitiæ. Scilicet tanti erat antiquari Clementem, Irenæum, Polycarpum, Origenem, Arnobium: ut horum vice Occam, Durandum, Capreolum, Lyranum, Burgenſem, & his etiam indoctiores legeret orbis. Sub horum igitur diutina tyrannide, tanta fuit bonarum literarum, ac bonorum auctorum παλιλεθεία, *ut è doctorum orbe pelleretur, qui vel paulum literaturæ melioris attigiſſet. His rebus factum eſt, ut tot orbis lumina, quorum titulos duntaxat, nec id ſine lachrymis, legimus, funditus interierint. Et ſi quos contigit ſuis ſupereſſe fatis, hi ſic modis omnibus depravati ſunt, adeo truncati, contaminatique, ut felices videri poſſint, qui perierunt.* In Epiſt. Nuncupat. ad Gul. Warrhamum Archiep. Cant. Operibus D. Hieronymi præfixa.

Pag. 196. *Se fidei articulos*] Poſt, *conſtituere.* ADD. Turrecremata; *Novum Symbolum condere, ſolum ad Papam ſpectare* aſſerit, *quia eſt caput fidei Chriſtianæ* (quæ hæc blaſphemia!) *cujus auctoritate omnia quæ ad fidem ſpectant, firmantur & roborantur.* Quæſt. LIX. Art. 1. 2. Pergit idem; *ſicut poteſt novum Symbolum condere, ita poteſt novos articulos ſupra alios multiplicare.* Ibid. *Papa poteſt*, inquit Petrus de Ancorano, *facere novos Articulos fidei, id eſt, quod modo credi oporteat, cum ſic prius non oporteret. Papa poteſt*, ait Abbas Panormitanus, *Inducere novum Articulum fidei.* Equidem quod ſe facere poſſe putabat, id demum fecit Papa Pius IV. ſcil. novos, & priſcæ Eccleſiæ planè inauditos fidei Articulos, numero XII. condidit, quibus omnes ſacris Ordinibus initiandi ſubſcribere, & juramento interpoſito aſſenſum teſtari coguntur: faciens contra id quod à Concilio Epheſino Can. VII. conſtitutum eſt; Ὥρισεν ἡ ἁγία Σύνοδος, ἑτέραν πίστιν μηδενὶ ἐξεῖναι προφέρειν, ἢ γράφειν συγγράφειν, ἢ συντιθέναι, παρὰ τὴν ὁρισθεῖσαν παρὰ τῶν ἁγίων πατέρων τῶν ἐν τῇ Νικαέων συναχθέντων πόλει σὺν ἁγίῳ πνεύματι.

Pag. 197. ADD. *Teſtamentum hominis.*] Ἐπιδιατίων διαθῆκαί εἰσι βέβαιαι, καὶ ἀμετακίνητοι. Oecumen. in Epiſt. I. ad Cor. cap. 4.

Ibid. *Violare ſepulchra*] Poſt, Ludovici Vivis verba, ADD. Alexander M. uti refert Plutarchus in vita, interfici juſſit juvenem quendam nomine Polymachum, quod Cyri ſepulchrum temerè aperire auſus eſſet. Quæ vero Cyri tumulo inſcripta fuerint, quoniam

niam tauto rege digna ſunt, alioſque ſuæ fragilitatis admoneant, hic deſcribere non pigebit, uti extant apud Strabon. Lib. XV. Ω ΑΝΘΡΩΠΕ, ΕΓΩ ΚΥΡΟΣ ΕΙΜΙ Ο ΤΗΝ ΑΡΧΗΝ ΤΟΙΣ ΠΕΡΣΑΙΣ ΚΤΗΣΑΜΕΝΟΣ, ΚΑΙ ΤΗΣ ΑΣΙΑΣ ΒΑΣΙΛΕΥΣ· ΜΗ ΟΥΝ ΦΘΟΝΗΣΗΣ ΜΟΙ ΤΟΥ ΜΝΗΜΑΤΟΣ. Vel ut Plutarchus paulò pleniùs inſcripta refert: ΑΝΘΡΩΠΕ, ΟΣΤΙΣ ΕΙ, ΚΑΙ ΠΟΘΕΝ ΗΚΕΙΣ (ΟΤΙ ΜΕΝ ΓΑΡ ΗΞΕΙΣ, ΟΙΔΑ,) ΕΓΩ ΚΥΡΟΣ ΕΙΜΙ Ο ΠΕΡΣΑΙΣ ΚΤΗΣΑΜΕΜΟΣ ΤΗΝ ΑΡΧΗΝ. ΜΗ ΟΥΝ ΤΗΣ ΟΛΙΓΗΣ ΤΑΥΤΗΣ ΓΗΣ ΦΘΟΝΗΣΗΣ, Η ΤΟΥΜΟΝ ΣΩΜΑ ΠΕΡΙΚΑΛΥΠΤΕΙ.

Pag. 198. *Ex libris hæ reſecate Patrum*] Add. *In Catholicis veteribus plurimos feramus errores, & extenuemus, excuſemus, excogitato commento perſæpe negemus, & commodum eis ſenſum affingamus, dum opponuntur in diſputationibus.* Index Expurg. Belg. En hominum improbitatem! Ibid. Poſt, cum vo!et, rejicit. Add. Maldonatus Jeſuita in exponendis S. Scripturis ſæpe judicium ſuum Patrum judicio præferre non dubitat: Verbi cauſa, in Comment. in Evangel. D. Matth. XIX. 11. poſtquam Origenis, Gregorii Nazianzeni, & Ambroſii interpretationem loci adduxiſſet, ſtatim ſubjungit: *Quam interpretationem adduci non poſſum, ut ſequar.* Et alibi, *Sic fere omnes Patres*, inquit, *exponunt, quibus equidem non aſſentior.* Vide illum in Matth. XVI. 18. *Tu es Petrus; & ſuper hanc petram &c.* ubi Patribus fere omnibus ſe fortiter opponit.

Pag. 199. Add. *Nam Machabæorum*] *Machabæorum nomen inde fluxit, quod Matthathiæ filius Judas militibus ſuis belli teſſeram dediſſet Moſis hanc ſententiam* Exod. XV. מִי כָמֹכָה בָּאֵלִם יְהוָה h. e. *Quis ſicut tu in diis, vel fortibus Domine? Nam cum eam ſingulis ordinum vexillis, tanquam certæ victoriæ omen per quatuor has literas* מכבי *inſcribi juſſiſſet, populo brevitatis cauſa legente Machabai, paulatim obtinuit, ut hujus Teſſaræ auctor Judas, fratres, & eorum poſteri, Machabæi dicerentur.* Genebrard. Chron. Lib. II. ex R. Iſaac. Ben. Schola.

Ibid. Add. *Hunc quia mendacem*] *Machabæorum Hebræa hiſtoriæ hinc* (nempe ab Olym. CXVII. 1.) *Græcorum ſupputat regnum: verum hi libri inter divinas ſcripturas non recipiuntur.* S. Hieron. in Chronico Euſeb.

Ibid. *Nam ſpuria obtrudit*] Add. Hujus criminis conſortes fuerunt olim falſarii quidam & hæretici, qui ſub nominibus Apoſtolorum Acta confinxerunt, Evangelia item, & Apocrypha ſcripta ſine numero.

Pag. 200. Add. *At Loiolitæ*] *Anno* M D LXXIII. *Jan.* 8. *Facta eſt Jeſuitis à P. Gregorio* XIII. *poteſtas, ut terras mariaque peragrantes,*

grantes, & Bibliothecas omnes perluſtrantes, Patrum & Hiſtoricorum cum veterum tum recentiorum, imo Scholaſticorum quoque libros, qui cum iis, eorumque doctrina per omnia non conſentiant, interpolare, voces, ſententias, quinetiam integras paginas addere, aſſuere, detrahere, mutilare, nefariéque pro arbitratu & libidine ſua corrumpere audeant: quod ipſi honeſto (ſi diis placet) titulo ſeu nomine, libros repurgare vocant. Rex Hiſpaniæ Philippus II. *cum licentiam Inquiſitoribus purgandi omnes Authores Catholicos concederet, fecit id quidem cavens, ut ii ipſi privatim, nulliſque conſciis apud ſe Indicem Expurgatorium haberent, quem eundem neque aliis communicarent, neque ejus exemplum ulli darent.* Hæc atteſtatur Pa. Florentius Jeſuita in Colloquio cum Chriſtiano Franco Viennæ Anno D. 1578. Qui plura volet, legat Franciſci Junii Præfationem ad Lectorem Indici Expurgatorio Hiſpanico præfixam. Lugduni apud Joan. Mareſchallum. A. 1586.

Pag. 201. ADD. *Sic fundunt animis*] Ὡς ἡ μὲν ὄρασις ἀπὸ τοῦ περιέχοντος ἀέρος λαμβάνει τὸ φῶς, ἡ δὲ ψυχὴ ἀπὸ τῶν μαθημάτων. Ariſtoteles apud Diog. Laert. in vita.

Ibid. *Bibliothecas*] Poſt, Suetonius in Auguſto. ADD. Ariſtotelis Bibliothecam, ejuſque fortunam deſcribit Strabo Lib. XIII. De ſtudio Gordiani junioris Imp. in comparanda bibliotheca videndus Jul. Capitolinus in vita.

Pag. 202. *Me his abdo libenter*] Poſt Plinii junioris verba, ADD. Denique Cicero: *Poſtquam vero quàm Tyrannio mihi libros diſpoſuit, mens addita videtur meis ædibus.* Epiſt. ad Attic. Lib. IV. ep. 8.

Ibid. ADD. *Regibus illa dabunt.*] Demetrius Phalereus, referente Plutarcho, Ptolomæum regem (qui Soter dictus eſt,) admonere ſolebat, ut libros *De regno & imperio* compararet, & volveret, Ἃ χρὴ, inquit, οἱ φίλοι, τοῖς βασιλεῦσιν ὑ παῤῥᾶσι παραινεῖν, ταῦτα ἐν τοῖς βιβλίοις γέγραπται. In Apophthegm.

Pag. 203. *Cernere dupliciter*] Poſt Polybii verba, ADD. *Animus accipit quæ videmus: animo autem multis modis variiſque delectari licet, etiamſi non adhibeatur aſpectus.* Et mox; *Pueris nobis Cn. Auſidius prætorius,* [cum cæcus eſſet] *& in Senatu dicebat, nec amicis deliberantibus deerat, & Græcam ſcribebat hiſtoriam, & videbat in literis.* Cic. Tuſc. Quæſt. Lib. I.

Ibid. *Cæcus Homerus*] Poſt, ἀοιδαί ADD. Certè cæcum fuiſſe agnoſcere videtur Plato in Phædro, ubi de Steſichoro & Homero ſic ſcribit: Ἔστι γὰρ τοῖς ἁμαρτάνουσι περὶ μυθολογίαν καθαρμὸς ἀρχαῖος· ὃν Ὅμηρος μὲν οὐκ ἤσθετο, Στησίχορος δέ. τῶν γὰρ ὀμμάτων στερηθεὶς διὰ τὴν Ἑλλένης κακηγορίαν, οὐκ ἠγνόησεν, ὥσπερ Ὅμηρος, ἀλλ' ἅτε μουσικὸς ὢν ἔγνω τὴν αἰτίαν.

Ibid,

Ibid. ADD. *Perſpexit pluſquam Græcia tota*] *Traditum eſt etiam, Homerum cæcum fuiſſe: at ejus picturam, non poeſin videmus. Quæ regio, quæ ora, qui locus Græciæ, quæ ſpecies formæ, quæ pugna, quæ acies, quod remigium, qui motus hominum, qui ferarum, non ita expictus eſt, ut quæ ipſe non viderit, nos ut videremus effecerit? quid ergo aut Homero ad delectationem animi, ac voluptatem, aut cuiquam docto defuiſſe unquam arbitramur?* Cic. ibid. Si cæcus erat Homerus, certe quæ ille de Demodoco dixit, ea ſibi ipſi jure applicari poſſunt:

Τὸν μὲν Μοῦσ' ἐφίλησε, δίδου δ' ἀγαθόν τε κακόν τε,
Ὀφθαλμῶν μὲν ἀμερσε, δίδου δ' ἡδεῖαν ἀοιδήν.

Ibid. *Vivere ſi dicatur*] Poſt Diog. Laert. Lib. V. ADD. Hinc Seneca, ſed ad alia reſpiciens, *Otium*, inquit, *ſine literis mors eſt, & hominis vivi ſepultura.*

Pag. 205. ADD. *Similes dat ſimul eſſe Deo*] Sapiens Quintiliano eſt, *mortalis quidam deus.* Inſtit. Lib. I. cap. 10.

Pag. 206. *Et reprehendit Ariſtotelem*] Poſt, Ἐρώσης. ADD. Meminit harum Epiſtolarum Plutarchus in Alexandro.

Pag. 207. ADD. *Mæonidis*, dixit] Facti illius meminerunt Plinius H. N. Lib. VII. cap. 29. Strabo Lib. XIII. & Plutarchus in vita Alexandri capp. 13. & 44. Idem in libro *De Fortuna Alexandri*, ſcribit, illum aliquando dixiſſe, *ſe Iliadem & Ulyſſeam habuiſſe ſecum Expeditionis ſuæ* (in Perſas) *viaticum.* vel ut loquitur in vita, Πολεμικῆς ἀρετῆς ἐφόδιον. Hinc illud exemplar, quod ab Alexandro Scrinio incluſum eſt, cum Ariſtotelis cura emendatum demum evulgaretur Ἐκ τοῦ νάρθηκος vocari cœpit. De amore Alexandri in Homerum vide Cic. pro Archia cap. 10. Dion. Chryſoſtom. Orat. I. & Vopiſc. in Probo. & Lib. III. num. [28.]

Pag. 211. *Tunc minimè ſoli*] Poſt Ciceronis verba, ADD. E contrà, indoctus quiſque, & cui libri nulli ſunt uſui, ſi huic contingat ſolum eſſe, & congerrone deſtitui, quam infelix eſt, quàm tarde, & ærumnose illi labuntur horæ! De Perſarum rege iter faciente ſic ſcribit Ælianus Var. Hiſt. Lib. XIV. cap. 12. Ὅτι ὁ Περσῶν βασιλεὺς ὁδοιπορῶν, ἵνα μὴ ἀλύῃ, φιλύρεον ἔσχε, καὶ μαχαίριον, ἵνα ξέῃ τοῦτο, καὶ τοῦτο ἐργάζοντο αἱ βασιλέως χεῖρες. Πάντως γὰρ ἐκ τοῦ ἔχον ἐ βιβλίον, ἐ διάνοιαν, ἵνα ἢ παιδαῖόν τι, καὶ σεμνὸν ἀναγινώσκειν, ἢ γενναῖόν τι, καὶ λόγου ἄξιον βουλεύηται.

Ibid. Poſt Lineam decimam quartam ADDATUR Carmini:

Certè quod vivo, quod non ſuccumbo dolori,
Quod ſolis non ſit lux odioſa mihi:
Gratia, Chriſte, tibi; nam tu ſolatia præbes,
Tu ſimul ærumnis es medicina meis.
Tu dux & comes es blandus, tu memet ab illo,
Cui mens permultis hæreat, orbe trahis:

Et ſine nube mihi das veri cernere fontem,
Tu mihi das cœlis inſeruiſſe caput:
Hic vidiſſe parata piis, quorum inclyta virtus,
Atque invicta malis emicuere fides.

Pag. 212. ADD. *Multi luminibus*] *Diodorus Stoicus cæcus multos annos noſtræ domi vixit. Is vero, quod credibile vix eſſet, cum in philoſophia multò jam magis aſſiduè, quam antea verſaretur, ei libri noctes & dies legerentur, quibus in ſtudiis oculis non indigebat: tamen quod ſine oculis fieri poſſe vix videtur, geometriæ munus tuebatur, verbis præcipiens diſcentibus, unde, quo, quamque lineam ſcriberent. Aſclepiadem ferunt non ignobilem Eretricum philoſophum, cum quidam quæreret, quid ei cæcitas attuliſſet, reſpondiſſe: Ut puero uno eſſet comitatior.* Cic. Tuſc. Quæſt. Lib. I.

Ibid. *Et Ferdinandus*] Poſt, Cent. I. cap. 51. ADD. De his qui in Morbo Muſicam & alia didicerunt, atque doctorum hominum conſuetudine ſanitatem recuperaverunt, videndus Ælianus Var. Hiſt. Lib. IV. cap. 15.

Pag. 213. ADD. *Animo comprendere mundum*] Τί ἂν οἰκουμένης μέρος, ἢ τῆς γῆς ἀπάτης ἕτερον ἑτέρου μακρόν ἐστιν, ἣν ὑποδεικνύουσιν οἱ μαθηματικοὶ σημεῖα λόγον ἔχουσαν ἀδιαστάτου πρὸς τὸν οὐρανόν; Quomodo Socrates Alcibiadis faſtum oſtenſa tabula Geographica retuderit, docet Ælianus Var. Hiſt. Lib. III. cap. 28.

Ibid. ADD. *Volvite libros*] Plinius Secundus, Auctor Hiſtoriæ Naturalis, *perire omne tempus arbitrabatur, quod ſtudiis non impertiretur*, teſte Plinio juniore Epiſt. Lib III. ep. 5. in qua mirandam Avunculi ſui in ſtudiis ſedulitatem narrat.

Pag. 214. ADD. *Tollatur abuſus*] Sapienter dictum eſt à Dion. Halicarn. Καλὰ ἅπαντα καὶ συμφέροντα φαίνεσθαι τοῖς χρωμένοις, ὅταν τὶς αὐτοῖς χρήσεσθαι καλῶς. αἰσχρὰ δὲ καὶ ἀσύμφορα, ὅταν πονηροὺς λάβῃ προσάτας. Antiq. Rom. Lib. V. Adoleſcenti apud Platonem interroganti, quonam modo divitias acquirere malum ſit & bonum, reſpondetur: Τοῖς μὲν καλοῖς, καὶ ἀγαθοῖς τῷ ἀνθρώπων ἀγαθόν· καὶ τοῖς ἐπαμφοτέροις ὅπου δεῖ χρῆσθαι τοῖς χρήμασι, τούτοις μὲν ἀγαθόν· τοῖς δὲ μοχθηροῖς, καὶ ἀνεπιστήμοσι, κακόν. ὁποῖοι γὰρ αὐτοί εἰσιν οἱ χρώμενοι, τοιαῦτα καὶ τὰ πράγματα αὐτοῖς ἀνάγκη εἶναι). In Eryxia. *Non eſt æquum id haberi malum quo bene uti licet.* Quintilian. Inſtit. Lib. II. cap. 16.

Ibid. ADD. *Tradantur flammis*] Archilochi libros propter inverecundiam & obſcænitatem Lacedæmonii ex urbe tolli juſſerunt, auctoremque in exilium miſerunt. Ejuſmodi poetas Plato etiam ex ſua civitate ejecit. Vide notas ad Lib. VI. num. [55.] Protagoræ libros igni tradiderunt Athenienſes, referente Suida, quod aliquando

aliquando ſic orationem exorſus fuiſſet: Περὶ θεῶν, ὃκ ἔχω εἰδέναι, εἴθ' ὡς εἰσὶν, εἴθ' ὡς ὃκ εἰσί. Idem tradit Diog. Laert. in vita. Vide Min. Felic. in Octavio. & Lactant. De ira Dei. cap. 9. *Libros Numæ Pompilii Græcos*, uti refert Val. Maxim. Lib. I. cap. 1. num. 12. *quia aliqua ex parte ad ſolvendam religionem pertinere exiſtimabantur, L. Petillius, Prætor Urban. ex auctoritate Senatus per victimarios igne facto in conſpectu populi cremavit.* Vide Plin. H. N. Lib. XIII. cap. 13. & Liv. Lib. XL. cap. 29. Si Gentiles hoc facere potuerunt, quanto magis Chriſtianos decet, libros qui indies prodeunt impietate pleni, peſtes generis humani flammis tradere, ne contagio latiùs ſerpat. Certè Chriſtiani Principes olim ejuſmodi libros comburi juſſerunt. Extat Impp. Theodoſii & Valentiniani tale Decretum: *Sancimus, ut omnia quæcunque Porphyrius ſua pulſus inſania, aut quivis alius contra religioſum Chriſtianorum cultum conſcripſit, apud quemcunque inventa fuerint, igni mancipentur. Omnia enim provocantia Deum ad iracundiam ſcripta, & pias mentes offendentia, ne ad aures quidem hominum venire volumus.*

Pag. 215. ADD. *Qui te meliorem*] *Stude, non ut plus aliquid ſcias ſed ut meliùs.* Sen. Epiſt. LXXXIX.

Pag. 216. ADD. *Si tibi ſancta lex es*] Ariſtoteles rogatus, *Quid ex philoſophia lucratus fuiſſet*, Reſpondit: Τὸ ἀνεπιτάκτως ποιεῖν, ἃ τινες διὰ τὸν ἀπὸ τῶν νόμων φόβον ποιοῦσιν. Diog. Laert. in vita.

Ibid. *Animum ſi reverere tuum.*] Poſt, Præceptum Pythagoræ. ADD. Unde Demetrius Phalereus dixit: Τὰς νέας δεῖν ἐπὶ μὲν τῆς οἰκίας τὰς γονεῖς αἰδεῖσθαι, ἐν ᾗ ταῖς ὁδοῖς τὰς ἀπαντῶσας, ἐν ᾗ ταῖς ἐρημίαις ἑαυτάς.

Ibid. Poſt lineam ſecundam ADDATUR Carmini:

Inter tot libros, quos certè aut tempora priſca,
Aut fœcunda malis noſtra tuliſſe vides,
Vix unum invenias, ex quo nihil utile prorſus,
Ex quo nil frugis percipiaſve bonæ.
Blandæ ut nectar apes educunt floribus illis
Ex quibus, (ut fama eſt,) virus Arachna trahit:
Sic quoque vir ſapiens ex illis ſæpe libellis
Qui noceant aliis, commoda multa feret.

Vix tamen invenias] Plinius ſenior dicere ſolebat: *Nullum eſſe librum tam malum, qui non aliqua parte prodeſſet.* Ut de eo ſcribit nepos ejus Epiſt. Lib. III. ep. 5.

Ibid. *Docta tulit Septem Sapientes Græcia*] ADD. Sapientes illi erant, Thales, Solon, Periander, Cleobulus, Chilon, Bias, & Pittacus, uti recenſentur à Diog. Laertio in Proœmio ad vitas philoſophorum. *Septem autem illi, non ſuo, ſed populorum omnium ſuffragio nominati ſunt*, inquit Cicero de Finibus Lib. II.

Pag. 218. *Matronas doctas*] Poſt, Comnena, ADD. (de qua videndus Zonaras Annal. Lib. XVIII.) Ibid. Poſt, Græcè. ADD. De Soſipatra fœmina doctiſſima vide Eunapium in vita Ædeſii; de aliis Ælian. Var. Hiſt. Lib. XIV. cap. 45. Eruditionis & amoris conjugalis nomine clara fuit Elpis Boethii uxor, quæ virum in exilium comitata eſt. Hujus Epitaphium exhibet Lil. Gyrald. de Poetis Dial. V.

Elpis dicta fui, Sicu'æ regionis alumna,
Quam procul à patria conjugis egit amor. &c.

Ibid. *Qui vitas Sapientum*] Poſt, dedicat. ADD. Vide Platonis vitam ab eodem Laertio conſcriptam, ibi Φιλοπλάτωνι δέ σοι δικαίως ὑπαρχόσῃ, &c. Quin S. Hieronymus Paulæ & Euſtochio ſanctiſſimis pariter & doctiſſimis fœminis ſuas S. Scripturarum verſiones conſecrat.

Ibid. Poſt lineam duodecimam ADDATUR Carmini

Cui non Zenobiæ virtus, doctrinaque nota,
Quæ Palmyrenis jura verenda dedit?

Zenobiæ] De qua vide Trebellium Poll. in XXX. Tyrannis, & Euſebium in Chron. ad Olym. 262. 4. Hanc reginam clariſſimam doctiſſimamque à Menagio prætermiſſam eſſe, equidem miror.

Pag. 219. ADD. *Cicero*] Cum eſſet adhuc, uti creditur, admodum juvenis.

Ibid. ADD. *Germanicus*] de quo, non ſine ironia, ut ego quidem judico, Quintilianus: *Germanicum Auguſtum ab inſtitutis ſtudiis deflexit cura terrarum, parumque diis viſum eſt, eſſe eum maximum poetarum*, &c.

Pag. 220. Poſt lineam quartam ADDATUR:

Priſcorum vatum vix noſtro imitanda venuſtas
Sermone, in numeris ſtat prope tota ſuis;
Quos ſermo noſter nequaquam admiſerit, in quo
Quævis rite crepans clauſula, verſus erit.

Ibid. Poſt lineam decimam octavam ADDATUR Carmini.

Dii prohibete boni, ne tanta inſcitia linguæ
Græcæ & Romanæ regnet in orbe diu,
Quanta per hos annos centum regnavit in illis,
Qui jactant miſeri ſtemmata ſæpe ſua.
Et prope ubique ſuos, populo ridente, recenſent
Claros, quos ipſi non imitentur, avos:
Dum non plus ſapiunt, plus hiſtoriæve vetuſtæ,
Linguarumve ſciunt, quam ſciat opilio!
Qui pro vatibus ipſis, Virgiliumve *Drydeni*,
Mæonidemve legunt, peſſime *Ogylbe*, tuum.

Quorum

Quorum ſcripta legens quoties puer ipſe viderem
Quam malè ab his vates eſſet uterque habitus,
Sæpe, *Maro*, dixi, *quantùm mutatus ab illo es,*
Romani quondam qui ſtupor orbis eras.
Si te ſic tantùm voluiſſet vivere Cæſar,
Quam ſatius flammis te periiſſe foret.
Tu quoque, Mæonides, cujus dedit inclyta muſa
Antiquis ducibus non potuiſſe mori,
Si ſic ſcripſiſſes, potuiſſes fortè videri
Non tam luminibus, quam ratione carens.
Te nec Alexander tanto cumulaſſet honore;
Sed te juſſiſſet rex bonus, ire foras.

Pag. 222. *Hoc inde eſt*] Poſt, θύετε ADD. Ariſtoteles dicere ſolitus eſt, ut de eo refert Diog. Laertius in vita: Τῶν γονέων τὺς παιδεύσαντας ἐντιμοτέρους εἶναι φησὶ μόνον γεννησάντων· τὺς μὲν γὰρ τὸ ζῆν· τὺς δὲ, τὸ καλῶς ζῆν φησὶ διδάξαντας.

Ad LIB. VI.

Pag. 224. ADD. *Germanam*] Nempe Cantabrigiam; quæ urbs *Altera Angliæ Academia; alter oculus, & ἕρεισμα alterum, clariſſimaque bonarum literarum & pietatis officina* audit Cambdeno.

Ibid. ADD. *Thameſis*] Sic dicitur Jul. Cæſari de Bello Gall. Lib. V. Dioni Lib. XL. Ταμέσας, Tacito Annal. XIV. *Tameſa*, Ptolemæo Ἰάμισα, legendum fortè Τάμισα.

Ibid. ADD. *Græcia*] *Quæ fama, quæ gloria, quæ doctrina, quæ pluribus artibus, quæ etiam imperio, & bellica laude floruit, parvum quendam locum, ut ſcitis, Europæ tenet, ſemperque tenuit.* Cic. pro Flacco. Vide Lib. III. num. [1.]

Pag. 226. *Marmora Seldeni*] Poſt, Alumnus. ADD. De his marmoribus audi quid ſcribat doctiſſimus Huetius Demonſtrat. Evang. Propoſit. IV. cap. 1. num. XV. *At nihil*, inquit, *hoc in genere Marmora Oxonienſia æquiparare queat; quibus inſigniores priſcorum Græcorum Epochæ, Fœdus Smyrnæorum, & Magnetum, aliaque egregia vetuſtatis monumenta inſcripta ſunt.*

Pag. 227. ADD. *Hic arte inſignes*, &c.] Quod de Scholaſticis ſui temporis dixit Plinius (Epiſt. Lib. II. ep. 3.) id nos verius de noſtris utriuſque Academiæ Scholaſticis dicere poſſumus, nimirum eos eſſe, *quo hominum genere nihil aut ſimplicius, aut ſincerius aut melius.*

Ibid. ADD. *Sextus*] Nimirum ab Egberto occidentalium Saxonum rege, qui abolita Heptarchia, unum regnum conſtituit, & regionem *Angliam* vocari juſſit, circa ann. Dom. DCCC. Quam

Alfredus demum in *Comitatus*, hoſque in *Centurias*, & *Decurias* primus diviſit.

Pag. 231. *Uſſerius*] Poſt, Hiſtor. Dogmat. ADD. *Sed de tanto Præſule ſilere præſtat, quam pauca dicere; cum talis ſit, (quod olim de Antonino philoſopho dixit Hiſtoricus,) Quem mirari facilùs quis, quam laudare poſſit. Pietatem ejus inſignem, perpetuam in legendo, ſcribendo, concionando induſtriam, eruditionem in re antiquaria, Theologia, & omni humanioris literaturæ genere ſummam, cum æquali modeſtia conjunctam, fuſiùs laudare nec opus, nec mihi animus.* Barlovius in Præfatione ad Chronologiam ſacram Uſſerianam.

Pag. 234. ADD. *Cornavia*] Τούτων ὑ ἀνατολικώτερόι ΚΟΡΝΑΥΙΟΙ, ἐν οἷς πόλις, Δηοώα (lege Δηούα,) ἢ ΛΕΓΙΩΝ ΝΙΚΗΦΟΡΙΟΣ. Ptol. Geog. Lib. II. cap. 3.

Ibid. ADD. *Parens olim Nobilitatis*] *Eximia vero Nobilitatis altrix, nec enim alia eſt in Anglia provincia, quæ plures nobiles in aciem eduxerit, & plures Equeſtres familias numerârit.* Cambdenus.

Ibid. ADD. *Ceſtria*] Quam Ptolemæus ille *Deunanam*, (imo *Deënam* modo mendum non ſubſit,) Antoninus. *Devam à flumine* vocat, uti teſtatur Cambdenus. *Legionem*, ait idem, XX. *quam Britannicam, Valeriam, & Victricem dicunt, hac in urbe egiſſe Ptolemæus, Antoninus, & Septimii Getæ nummus antiquus comprobent, è quo hanc etiam Coloniam fuiſſe conſtat: inſcribitur enim in parte averſa* COL. DIVANA. LEG. XX. VICTRIX. Id ipſum ex Laterculis nuper in eadem urbe effoſſis, cum ejuſmodi inſcriptionibus, probari poteſt.

Ibid. ADD *Tempe*] *Sunt propriè loca Theſſaliæ amœna, abuſivè vero cujuſvis loci amœnitas.* Servius ad Virgilii verba Georg. Lib. II. *aut frigida Tempe.* Hujus regionis deſcriptionem habes pulcherrimam apud Ælian. Var. Hiſt. Lib. III. cap. 1.

Ibid. ADD. *Fonte*] De quo vide Læi Hiſtoriam Natur. Lib. I. pagg. 34. & 49.

Pag. 235. *Senectam Illa meam oblectent.*] Poſt Ariſtotelis verba, ADD. Τὺς μὲν ἐν γράμμασι κήπους παιδείας χάριν σπείρῶ τε ἢ γράφῶ· ὅταν ὑ γράφῃ, ἑαυτῷ τε ὑπομνήματα ὑπαυρίζόμενος, ἐς τὸ λήθης γῆρας ἐὰν ἵκηται. Plato in Phædro.

Pag. 237. Poſt lineam decimam quartam ADDATUR Carmini:

Quamvis vita mihi jam tranſiit aut malè agendo,
Aut aliud, (certè plena labore fuit,)
Et quamvis numero capitis peccata capillos
Exſuperent, (tibi ſunt omnia nota, Deus:)
Attamen in Chriſto, ceu rupe immobili, & alta,
Æternaque, animæ eſt Anchora fixa meæ.

Pag. 239. ADD. *Miracula*] De quibus videndi Cambdenus in deſcriptione Comitatus Derbiæ, Hobbeſius in carmine, *De mirabilibus*

libus Pecci, Cottonus de iisdem carmine Anglicè conscripto, & Læus in Historia Naturali hujus regionis.

Ibid. ADD. *Buxtonæ*] De quo fonte sic scribit Cambdenus: *Sanè ad* Wie *scaturiginem non procul hinc novem fontes calidis aquis ebulliunt*, Buxton-well *hodie indigitant, quas cum stomacho, nervis, & universo corpori salubres esse jam usus docuerit, Honoratissimus Comes Salopiensis ædificiis nuper illustravit, & denuo nobilissimorum virorum concursu celebrari cæperunt. Quo tempore quædam magni ingenii, sed multo majoris prosapiæ* (Mariam Scotorum Reginam intelligit) *Buxtonæ Cæsaris de Feltria versiculos imitata, hoc Distichо valedixit:*

Buxtona quæ calidæ celebrare nomine lymphæ,
Fortè mihi posthac non adeunda, Vale.

Ibid. ADD. *Quod nisi forte domi sit*] Id testatur alicubi Cicero: & inter Demetrii Phalerei Apophthegmata, à Laertio recensetur: Ὅσον ἐν πολέμῳ δωίαδζ σίδηρον, τοσοῦτον ἐν πολιτείαις ῥητὸν λόγον.

Ibid. *Athenæ*] Post, Quas, ADD. Oraculum apud Ælianum (lib. IV. c. 6.) *Communem Græciæ aram* vocans, jubet τὸν κοινὸν ὦδαν τῆς Ἑλλάδος μὴ κινεῖν.

Pag. 240. *Multa in natura*] ADD. *Quid, quod ex cæteris philosophis nonne optimus & gravissimus quisque confiteretur, multa se ignorare? & multa sibi etiam atque etiam esse discenda?* Cic. Tusc. Quæst. Lib. III.

Ibid. *Quadratum rite assignare Rotundi*] Post Vossii verba ADD. Videtur & hoc non incognitum fuisse veteribus; saltem id conjicere licet ex Senecæ verbis Epist. 88. *O egregiam artem!* (de Geometria loquitur) *scis rotunda metiri, in quadratum redigis quamcunque acceperis formam.* Sed judicent docti.

Pag. 241. ADD. *Euclidis*] Mathematicus is erat insignis, vixitque, teste Proclo, sub Ptolemæo primo: A quo aliquando interrogatus numqua esset via ad Geometriam magis compendiaria, quam sit ista στοιχείωσις, respondit: Μὴ εἶ βασιλικὸν ἀτραπὸν ἐπὶ γεωμετρίαν, uti refert Proclus.

Ibid. *Divina agnoscitur aura*] Post, μέτοχον. ADD. Et ἀπόσπασμα Θεῖ.

Ibid. Post lineam 16. ADDATUR Carmini:

Acta creaturæ quæ prædita sit ratione
Prænosci ex astris posse proinde negat:
Unius esse Dei prædicere talia monstrans,
Ejus quem scimus posse latere nihil.
Nempe Deus voluit mortales multa latere,
Ne sua vel possent anticipare mala:
Vel certe expectando (moræ nimis impatientes)
Quæ ventura sciunt, imminuisse bona.

At quæ naturæ det cuique ſcientia rerum
Præſcire, hæc cives præmonet ille ſuos.
Sæpe fuit viſus ſævas prædicere peſtes,
Sæpeque venturam ſignificare famem;
Et tempeſtates; ſed falsè ridet ineptos,
Qui certo ex aſtris bella futura canunt;
Connubia in primis, quandoque & funera regum,
Fataque non ullis effugienda viris:
Cum Deus ipſe diem voluit bonus, ut vigilemus,
Supremam vitæ quemque latere ſuæ.
In libris ſacris voluit quæcunque futura
Voce prophetarum ſignificare Deus,
Nemo videt melius, nec in illis ſæcibus ævi
Scit quiſquam melius vos recreare, pii;
Qui gemitis paſſi mala multa: ſed omnibus illis
Vos Deus eripiet, cum volet ipſe, malis.

Sævas prædicere peſtes] Quod Hippocrates feciſſe dicitur. *Venientem*, inquit Plinius, *ab Illyrio peſtilentiam prædixit, & diſcipulos ad auxiliandum circa urbes dimiſit: quod ob meritum honores illi, quos Herculi, decrevit Gracia.* H. N. Lib. VII. cap. 37.

Pag. 243. ADD. *Regnorum fines*] *Qui obierunt maria & terras, gaudent cum de ignoto multis vel terrarum ſitu, vel ſinu maris interrogantur, libenterque reſpondent & deſcribunt modo verbis, modo radio loca: glorioſum putantes, quæ ipſi viderint, aliorum oculis objicere.* Macrob. Saturn. Lib. VII. cap. 2.

Ibid. ADD. *Sunt Ægyptiaca*] De his extat Ori Apollinis Græcè conſcriptum opus, cum notis Nic. Cauſſini. Vide Joan. Bapt. Port. De Furtivis Literar. notis, Lib. 1. cap. 9. Et hujus operis Lib. IV. num. [30.]

Pag. 244. ADD. *Belus*] Pater Nini, Aſſyriorum regis primi, idem qui in ſacris Nemrod. Hunc Sidonii & Phœnices *Baal* vocarunt, & *Beel-ſemen*, id eſt, *Cæli dominum*: ex hominibus primus pro deo habitus. Vide Juſtin. Hiſt. Lib. I. cap. 1. Euſeb. P. E. lib. 1. cap. 7. & S. Hieron. in Oſeam. Alii eundem fuiſſe ac Jovem tradunt. Βῆλος ἦν βασιλεὺς Βαβυλῶνος, ἢ καὶ ὁ Ζεὺς αὐτός. Diod. Sicil. Lib. II. Vide Selden. de diis Syris Lib. II. cap. 1.

Ibid. ADD. *Aſtarte*] Syrorum dea, qua alii Lunam, alii Venerem ſignificari volunt. Ἀσάρθη, ἡ παρ' Ἕλλησιν Ἀφροδίτη λεγομένη, ἣν ἐλάτρευσεν ὁ Σολομών, inquit Suidas. Vide. Selden. de diis Syr. Lib. II. cap. 2. & Huet. Demonſt. Evang. cap. x. Propoſ. IV. Culta fuit etiam à Britannis veteribus, teſte Dion. Caſſio in vita Neronis.

Ibid. ADD *Taautus*] Ægyptius, idem qui Mercurius, ob literarum inventionem ab incolis pro deo habitus. Πρῶτός ἐστι Ταάυτος ὁ τὴν γραμμάτων τὴν εὕρεσιν ἐπινοήσας, καὶ τῆς τῶν ὑπομνημάτων γραφῆς κατάρξας· ὃν Αἰγύπτιοι μὲν ἐκάλεσαν Θωὺθ, Ἀλεξανδρεῖς δὲ Θὼθ, Ἑρμῆν δὲ Ἕλληνες μετέφρασαν. Philo Biblius ex Sanchoniathone apud Euſeb.

Euſeb. P. E. Lib. I. cap. 9. Αἰγύπτιοί φασι παρ' Ἑρμοῦ τὰ νόμιμα ἐκμεσωθῆναι. Ælian. Var. Hiſt. Lib. XIV. cap. 34. Vide notas ad Lib. I. num. [11].

Ibid. ADD. *Iſis*] De illa & Oſiride librum ſcripſit Plutarchus, quem vide, cum his quæ Diodor. Siculus tradit Lib. I. cap. 27.

Ibid. ADD. *Serapis*] Et hic Ægyptiorum deus erat, de quo conſule Clem. Alex. (cui Σάραπις vocatur) in Protrept. & Strom. Lib. I. S. Auguſt. De C. D. Lib. XVIII. cap. 6. Vide Tacit. Hiſt. Lib. IV. cap. 83.

Ibid. ADD. *Sidera*] Id conſtat ex Sacris Scripturis. Porphyrius tradit, Ægyptios in ſcriptorum exordiis non alios deos ponere ſolitos, πλὴν τῆς πλανητῆς καὶ τῆς συμπληρώσεων τοῦ ζωδιακοῦ, καὶ ὅσοι τούτοις ἐπαναλέλυσι. Epiſt. ad Aneb. vide Euſeb. P. E. Lib. I. cap. 9.

Ibid. ADD. *Ignis & aër.*] Euripides apud Athenagoram:

Ζεὺς ἀργὴς, Ἥρη τε φερέσβιος, ἠδ' Ἀϊδωνεύς,
Νῆϊς θ' ἣ δακρύοις τέγγει κρήνιμα βρότεια.

Quibus verbis ſubjungit Athenagoras: Εἰ τοίνυν Ζεὺς μὲν τὸ πῦρ, Ἥρα δὲ ἡ γῆ, καὶ ὁ ἀὴρ Ἀιδωνεὺς, καὶ τὸ ὕδωρ Νῆϊς· στοιχεῖα δὲ ταῦτα, τὸ πῦρ, τὸ ὕδωρ, ὁ ἀήρ· οὐδεὶς αὐτῶν θεὸς, οὔτε Ζεὺς, οὔτε Ἥρα, οὔτε Ἀϊδωνεύς. Ἀπὸ γὰρ τῆς ὕλης διακεκόσμηται ὑπὸ τοῦ Θεοῦ, ἡ τούτων σύστασίς τε, καὶ γένεσις. Legat. pro Chriſt. cap. 18. Edit. Dechærianæ. Θύουσι Πέρσαι πυρὶ, ἐπιφορῶντες αὐτῷ τὰ τοῦ πυρὸς τροφεῖα, καὶ ἐπιλέγοντες, Πῦρ θέσπισα, ἔδιε. Max. Tyr. Diſſ. 38.

Ibid. ADD. *Serpentes, &c.*] Hinc Juvenalis, Satyr. XV.

Quis neſcit, Voluſi Bithynice, qualia demens
Ægyptus portenta colat? Crocodilon adorat
Pars hæc, illa pavet ſaturam ſerpentibus Ibim.

Ibid. *Nunc homines vita functos*] Poſt Ciceronis verba, ADD. Οὕτω γὰρ ἀδωλολαλήτους τοὺς ἀρχοὺς ἐκρήτησαν, τῆς ἀνθρώπων ὑπὸ τοῦ ἀξίαν θαυμαζομένων. S. Chryſoſt. ad 11. Cor. cap. 12. De Afris S. Cyprianus docet, *Manifeſtè reges colunt, nec ullo velamento hoc nomen obtexunt.* Tract. *Quod idola dii non ſint.*

Ibid. ADD. *Nunc dæmonas ipſos*[Καὶ ἰσχυρὸς ὁ λόγος αὐτὸς πέπεικε πολλοὺς καταλιπεῖν δαιμόνια, οἷς ἐδούλευον, καὶ ἐπὶ τὸν παντοκράτορα Θεὸν, διὰ αὐτοῦ πιστεύειν, ὅτι δαιμόνιά ἐστιν οἱ θεοὶ τῶν ἐθνῶν. S. Juſtin. M. dial. cum Tryph.

Ibid.

Ibid. *Hoſtia & humana*] Poſt, ibid. notas. ADD. Horrendum eſt, quod Diodorus Sicul. Lib. XX. narrat, *Carthagienſes ab Agathocle victos, & in maximas anguſtias conjectos, Saturno, quem ſibi ob intermiſſa filiorum ſacrificia, iratum putabant, διακοσίους τῶν ἐπιφανεστάτων παίδων publico ſacrificio mactâſſe.*

Ibid. ADD. *Stupro*] Eo etiam impurus dæmon ſub Cereris nomine coli voluit. Sacra ejus deæ, ut & aliorum numinum quæ gentes coluerunt, adeo ſpurca, & horrenda fuerunt, ut à vulgo tegere illa neceſſe habuerint. Ipſe Varro agnoſcit, illa *fæditate ſua tenebris, & quo accuratiſſimè tegebant ſilentio, eſſe digna: at occultatione & ſanctitatis qualibuſcunque irritamentis venerationem adepta.*

Pag. 245. Ἰαὼ] Poſt, ἑμιῶν Ἰαώ. Alii inter Græcos Deum verum, ab ejus nomine ſancto יהוה ducentes vocem, vocabant Ἰεύω: Scribit enim Porphyrius Sanchoniathonem de Judæorum gente veriſſima tradidiſſe, ut qui rerum omnium ſummas accepiſſet τῶν δὲ Ἱερομβάλου τὸ ἱερέως τοῦ Θεοῦ Ἰεύω, apud Euſeb. de P. E. Lib. I. cap. 9. Vide Nic. Fuller. Miſcell. Sacr. Lib. II. cap. 6. & Lib. IV. cap. 14. Notandum eſt, Dei nomen יהוה derivari ab היה, quod ſignificat perfectiſſimum exiſtendi modum, & ens tale, quod ſit ex ſe exiſtens, & neceſſarium. Hinc Plato ſuum de Deo hauſit effatum, eum appellans Τὸ ὄν, καὶ τὸ αὐτό; quia ſolus Deus eſt vere Ens, &, ſi ipſi conferantur reliquia omnia, nihil ſunt.

Ibid. *Jovem*] Poſt M. Marini verba, ADD. *Idem certè Græcis* Ζεύς, *qui Latinis eſt Jovis, quod nomen proculdubio ex Jehovah, Latinorum pronuntiatione corrupto, fiebat. Ut non inſcitè Varro Jovem primo Judæorum Deum fuiſſe tradiderit. Jovis apud Ennium, Varronem, Hyginum, & alios in recto caſu uſurpatur.* Dickinſon. in Delp. Phœniciſſ.

Ibid. *Natum Cretæ atque ſepultum*] ADD. *Principio Joves tres nominant ii, qui Theologi nominantur, ex quibus primum & ſecundum natos in Arcadia, alterum patre æthere, ex quo etiam Proſerpinam natam ferunt & Liberum; alterum patre cœlo, qui genuiſſe Minervam dicitur, quam principem & inventricem belli ferunt. Tertium Cretenſem, Saturni filium, cujus in illa inſula ſepulchrum oſtenditur.* Cic. de nat. deor. Lib. III.

Pag. 246. *Barbarus Æſopus*] Poſt, VII. Sapientum. ADD. Cur Quintilianus fabulas quæ ſub Æſopi nomine circumferuntur, Heſiodi eſſe putet, non video. Ibid. Poſt, in Avibus. ADD. Vide notas ad Lib. V. num. [10].

Ibid. *Anacharſis*] Poſt, Solonis. ADD. & VII. Sapientibus à nonnullis annumeratur. Vide Ælian. Var. Hiſt. Lib. V. cap. 7.

Ibid. ADD. *Thraces*] Gens Thracum ſuper alias omnes barbara ſemper habita eſt. Hos ſic deſcribit Herodotus, ut affirmet, apud illos Ἀργὸν εἶδος κάλλιστον, γῆς δὲ ἐργάτην, ἀτιμότατον, τὸ ζῆν ἀπὸ πολέμου καὶ λῃστύος, κάλλιστον.

Lib.

Lib. V. cap. 6. Οὕτοι οἱ αὐτοὶ Θρήικες καὶ πρὸς βορέην τε καὶ ἀρκτῳὼ τοξεύοντες ἄνω πρὸς τὸν ἑρμῆνα, ὑπελέοντι τῷ θεῷ. Idem Lib.IV.cap.94. Ὄρφιον γένος, λησὰι καὶ ἀξενοι, ut de illis Max. Tyr. Diſſert. XXI. Uſque adeo Muſis infenſi erant, ut, referente Ælian, *literas ſcire turpiſſimum ducerent*, Τῶν ἀρχαίων φασὶ Θρακῶν μηδένα ἐπίστασθαι γράμματα, ἀλλὰ καὶ νόμιζον αἰσχρὸν εἶναι πάντες οἱ τὸν Εὐρώπην οἰκοῦντες βάρβαροι, χρῆσθαι γράμμασιν, &c. Var. Hiſt. Lib. VIII. cap. 6. Thraces tamen fuiſſe dicuntur & Orpheus poeta, & Zamolxis philoſophus Pythagoræ diſcipulus: quamvis Zamolxin multis annis ante Pythagoram extitiſſe putet Herodotus.

Pag. 247. *Plato*] Poſt Quintiliani verba, ADD. *In Ægypto didicit, quæcunque illic magna habebantur, atque docebantur, & inde in eas Italiæ partes profectus ubi Pythagoreorum fama celebrabatur, quicquid Italicæ philoſophiæ tunc florebat, auditis eminentioribus in ea doctoribus facillimè comprehendit.* D. Auguſt. de C. D. Lib. VIII. cap. 4. Quin Strabo Lib. XVII. diſertè tradit Platonem & Eudoxum Mathematicum XIII. annos Heliopoli cum Sacerdotibus verſatos fuiſſe: & advenis in ea urbe oſtendi ſolita domicilia in quibus Plato & Eudoxus habitaverunt. Ἐκεῖ ἐδείκνυντο οἵ τε τῶν ἱερέων οἶκοι, καὶ Πλάτωνος καὶ Εὐδόξου. Vide notas ad Lib. V. num. [10.] Hinc Cæſarem Achorea Sacerdotem Ægyptum compellantem inducit Lucanus Lib. X. ver. 181.

Si Cecropium ſua ſacra Platonem
Majores docuere tui.

Ibid. Poſt, ἀτελίζων; ADD. Ἐν τοῖς περὶ ψυχῆς ἀθανασίας, inquit Euſebius, ἀδὲν Μωσέως ὁ Πλάτων διέσπασε, τῇ δόξῃ. P. E. Lib. XI. cap. 27. Veriſſimè de Græcis omnibus dixit R. Shem Tobh. in libro fidei. הנה להם חכמת ברברים רבים והם פסולת מחכמת בני ישראל i. e. *Habebant illi* (Græci) *ſcientiam rerum multarum, quæ nihil aliud erat, præterquam fæx ſcientiæ filiorum Iſrael.* Porta III. cap. 4.

Ibid. ADD. *De mundi anima.*] Id Cyrillus Alexandrinus ex Porphyrio docet: ubi ait ſecundum Platonem, ἄχει τειῶν ὑποστάσεων τὸν τῶν θεῶν προελθῶν ὅσιαν. Εἶναι δὲ τὸν μὲν ἀνωτάτω θεὸν τ' ἀγαθὸν, μετ' αὐτὸν δὲ καὶ δεύτερον δημιουργὸν, τρίτον δὲ τὸν τῶν κόσμων ψυχόν. Contra Julianum Lib. I.

Ibid. *Incubuit totus formandis moribus*] ADD. Ὁ τὸν ἠθικὸν εἰσαγαγὼν, ut de eo Diog. Laert. in Proœm. ad vitas philoſophorum. *Socrates mihi videtur, id quod conſtat inter omnes, primus*

primus à rebus occultis, & ab ipſa natura involutis, in quibus omnes ante eum philoſophi occupati fuerunt, avocaviſſe philoſophiam, & ad vitam communem adduxiſſe; ut de virtutibus & vitiis, omninoque de bonis rebus & malis quæreret: cæleſtia autem vel procul eſſe à noſtra cognitione cenſeret, vel ſi maxime cognita eſſent, nihil tamen ad bene vivendum conferrent. Cic. Acad. Quæſt. Lib. I. Ibid. Poſt Senecæ verba, ADD. *Socrates in activa vita excelluiſſe memoratur: Pythagoras vero magis contemplative, quibus potuit, intelligentiæ viribus inſtitiſſe: Proinde Plato utrumque jungendo philoſophiam perfeciſſe laudatur.* S. Anguſt. De C. D. Lib. VIII. cap. 4.

Pag. 248. *Plorabat lachrymis cuncta Heraclitus*] Poſt, Δημόκειτος. ADD. Heracliti eximia extat ſententia apud Diog. Laertium in vita: Εἶναι ἓν τὸ σοφὸν ἐπίσασθαι γνώμην, ὅτε οἱ ἐγκυβερνήσει πάντα διὰ πάντων. Per γνώμην, uti doctis videtur, Deum intelligebat.

Ibid. ADD. *Democritus*] Philoſophus Abderites, quem Cicero *magnum virum* appellat. Tuſc. Quæſt. Lib. I. Fertur multas orbis regiones peragraſſe, cum Magis & Chaldæis in Babylone, cum Sacerdotibus in Ægypto, cum Gymnoſophiſtis in India verſatus. Vide Laert. in vita, & Ælian. Var. Hiſt. Lib. IV. cap. 20. ubi de Democrito ſic ſcribit: Καταγέλαστος ὁ Δημόκειτος, καὶ ἔλεγεν αὐτὸς μάταιος, ὅθεν καὶ Γελάσινον αὐτὸν ἐκάλεσαν οἱ πολῖται, Hinc Juvenalis Sat. X.

> *Perpetuo riſu pulmonem agitare ſolebat*
> *Democritus.*

De utroque, tam Democrito quam Heraclito Vide Senec. De Ira Lib. II. cap. 10. & De Tranquillitate cap. 15.

Ibid. *Diſcipulos taciturnos.*] Poſt. Gell. Noct. Attic. Lib. I. cap. 9. ADD. Nec ſilentium modo diſcipulis ſuis imperabat Pythagoras, ſed etiam ab illis juramentum exigebat, ut nihil arcanorum evulgarent. Hoc σεμνὸν ὅρκον Πυθαγορείων appellat Olympiodorus in vita Platonis. Vide Joſeph. De bello Judaico Lib. II. cap. 7.

Pag. 249. ADD. *Diſcipuli ulteriùs progreſſi*] Inter quos etiam ipſe Plato eſt, quem in hac abſurda ſententia fuiſſe, ex ejus verbis in Phædro cap. 203. conſtat. Τῷ ὃ χιλιοστῷ ἀμφοτέραις ἀφικνεῖσθαι ἐπὶ κλήρωσιν τε καὶ αἵρεσιν τοῦ δευτέρου βίου αὖθις αἱρεῖσθαι ὃν ἂν ἐθέλῃ ἑκάστη· ἔνθα καὶ εἰς θηρίου βίον ἀνθρωπίνη ψυχὴ ἀφικνεῖται, καὶ ἐκ θηρίου ὃς πότε ἀνθρώπου ἦν, πάλιν εἰς ἄνθρωπον. Et in Phædone: Ἐνδέχεται (de animalibus loquitur) ὥσπερ εἰκὸς εἰς τὰ τοιαῦτα ἤθη ὁποῖα ἄττ' ἂν μεμελετηκότα τύχωσιν ἐν βίῳ.

Ibid. *Abſtinuitque faba*] Poſt, A. Gell. Noct. Attic. Lib. IV. cap.

cap. 11. ADD. Cic. De Divinat. Lib. I. & Sext. Empir. Lib. III. Hanc ſuperſtitionem ab Ægyptiis edoctus, ut ipſi prius Ægyptii (ſic ego quidem exiſtimo) a Judæis Eſſenis edocti fuerant. Ariſtoteles auctor eſt, Pythagoram faba abſtinuiſſe, quod ſimilis eſſet αἰδοῖ πύλαις, idque διὰ τὸ ἀγόνατον εἶναι: quorum verborum ſenſum qui mihi expediet, is erit mihi magnus Apollo. Vide hic doctiſſ. Windeti Epiſtolam *De vita functorum ſtatu*, Sect. V. Id vero feciſſe Pythagoram, non quod fabas immundas eſſe crederet, ſed *ob ſacras quaſdam rationes* ex ipſius Pythagoræ verbis apud Lucianum conſtat. Mercatori enim quærenti τίνος ἕνεκα μυσάττῃ τοὺς κυάμους, reſpondet Pythagoras, οὐκ ἀλλ' ἱερά ἐστι, καὶ θαυμαστὴ αὐτῶν ἡ φύσις, πρῶτον μὲν γὰρ τὸ πᾶν γονή ἐστι. Ubi monente doctiſſimo Windeto, legendum juxta Ariſtotelem, Πρῶτον μὲν γὰρ ἀγονατοί εἰσι.

Ibid. *Hebræorum ſacra imitatum*] Poſt, Clem. Alex. Strom. I. ADD. & ab Ægyptiis quidem circumciſum fuiſſe, ἵνα ὅ καὶ εἰς τὰ ἀδύτα κατελθὼν τῷ μυστικῷ παρ' Αἰγυπτίων ἐκμάθοι φιλοσοφίαν, Ibid. meminit Philoſtratus in vita Apollonii Lib. VIII. (Πάσας γὰρ ἐμυήθη τάς τε Ἑλληνικὰς καὶ βαρβαρικὰς τελετὰς, ut de eo refert Diog. Laertius.) Ibid. Poſt, Seldenus de jure nat. & gent. Lib. I. cap. 2. ADD. Hic cum Sacerdotibus in Ægypto verſatus eſt (& inſtitutus, ut ipſe loquitur apud Lucianum, ἐν Αἰγύπτῳ φοιτᾷ τοῖς ἐκεῖ σοφοῖς,) primus omnium non σοφὸς ſed φιλόσοφος appellari voluit: dicens, μηδένα εἶναι σοφὸν, ἀλλ' ἢ θεόν, uti ſcribit Diog. Laertius in Præm. ad vitas philoſoph. Ἑλλώων δὲ τῷ ἀθενεστάτῳ σοφιστῇ Πυθαγόρῃ, ſic de eo Herodotus Lib. IV. cap. 94.

Pag. 250. *Symbola*] Poſt, δικαιοσύνῃ. ADD. De Pythagora ejuſque dogmatibus multa, & quidem inepta habet Ælianus Var. Hiſt. Lib. II. cap. 26. & Lib. IV. cap. 17.

Ibid. *Flammis interitura*] Poſt. Senec. de Conſolat. ADD. Idem docuerunt Druidæ, teſte Strabone Lib. IV. Ἀφθάρτους γὰρ λέγουσι καὶ ἔτοι καὶ ἄλλοι τὰς ψυχὰς, καὶ τὸν κόσμον· ἐπικρατήσειν δέ ποτε καὶ πῦρ καὶ ὕδωρ.

Pag. 251. *Ut pugnent*] Poſt, dixit eſſe aquam; ADD. (nec id tantum, verum etiam *eam mentem, quæ ex aqua cuncta fingeret, Deum eſſe* aſſeruit, teſte Cicerone De Nat. deor. Lib. I. Quam Thaletis ſententiam egregiè explicat Ariſtoteles Metaph. Lib. I. cap. 3. Omnia hæc ex Moſe.)

Pag. 252. *Druidæ*] Poſt, Lucan. Lib. I. ADD. Qui ibidem inter alia, etiam immortalitatem animarum docuiſſe Druidas canit:

Vobis

Vobis autoribus umbræ
Non tacitas Erebi ſedes, Ditiſque profundi
Pallida regna petunt: regit idem ſpiritus artus
Orbe alio: longæ (canitis ſi cognita) vitæ
Mors media eſt.

Ibid. Poſt, *Saluberrimum.* ADD. Suetonius à Claudio Imp. penitus abolitam eorum ſuperſtitionem ſcribit; à neutro tamen ſic extinctam fuiſſe conſtat, ut non poſtea repullulaverit; nam de Britannis qui *Monam* Inſulam (nunc *Angleſey* dictam, non *Man*, ut Polydorus ſimilitudine vocis deceptus credidit) incolerent, temporibus Neronis Tacitus ſcribens, *Præſidium*, inquit, *poſthac impoſitum victis, exciſique luci, ſævis ſuperſtitionibus ſacri: nam cruore captivo adolere aras, & hominum fibris conſulere deos fas habebant.* Annal. Lib. XIV. cap. 30. De Druidis qui plura ſcire velit, adeat Strabonem Libb. IV. & XIV. Diodor. Sicul. Lib. III. Tacit. de morib. Germanorum cum Lipſii ad eum notis, & Cæl. Rhodigin. Antiq. Lection. XXI. cap. 18.

Ibid. *Gymnoſophiſtæ*] Poſt, παλιγγενεσίαν. ADD. Vitæ pertæſi in rogum ardentem ſe conjiciebant; unde Lucanus Lib. III.

Quique ſuas ſtruxere pyras, vivique calentes
Conſcendere rogos.

Pag. 253. *Magi*] Poſt, Apul. in Apol. ADD. *Siquidem Magia id eſt, quod Plato interpretatur* θεῶν θεραπείαν, *cum commemorat quibuſnam diſciplinis puerum regium Perſæ imbuant.* Idem ibid. Locus Platonis eſt in Alcibiade priore. Ibid. Poſt, Lucian. de Longævis. ADD. De Magis vide quæ ex Ariſtotele Diog. Laertius tradit in Proœmio ad vitas: inter alia docuiſſe illos ἀναβιώσεως τὰς ἀνθρώπους, καὶ ἕσεσθαι ἀθανάτους. Et mox, Τὰ μὲν τοι ἀγάλματα [nempe deorum] εἰκότως καθαιρεῖν.

Ibid. ADD. *Æternum exiſtere mundum*] Id primus omnium docuiſſe videtur Ariſtoteles; ſed ſententiam ſenex mutavit, ut patet ex Libro ad Alexandrum *De Mundo* (modo ejus liber ſit, quod multi negant,) ubi Deum genitorem & conſervatorem rerum omnium eſſe docet; & in Metaphyſ. fatetur, Νῦν εἶναι αἴτιον τῆς φύσεως, καὶ τὸ κόσμου.

Pag. 225. *Aſſenſum ſe cohibere*] ADD. Αὐτοὶ δ' οὐδὲν ἀποφαινόμενοι δογματικῶς· ἕως τοῦ προφέρεσθαι τὰ τῶν ἄλλων, καὶ διηγεῖσθαι μηδὲν, μηδ' αὐτὸ τοῦτο. Diog. Laert. ubi ſupra Vide A. Gell. Lib. XI. cap. 5. & Sext. Emp. Lib. XXIII.

Pag.

Pag. 256. *Epicuri*] Poſt. Olymp. 115. ADD. Hunc Zeno *beſtiam* nominare ſolebat, ut conſtat ex Fragmento Ciceronis quod extat apud S. Auguſt. Lib. III. contra Academicos. De Epicuro ſcribit Cicero De nat. deor. Lib. I. *Quod teſtaretur, ſe ne intelligere quidem ullum bonum, quod ſit ſejunctum à delicatis, & obſcœnis voluptatibus; quas quidem non erubeſcens perſequeretur omnes nominatim.* Et alibi: *Quærimus igitur, quid ſit extremum, quid ultimum bonorum, (quod omnium philoſophorum ſententiâ tale debet eſſe, ut ad id omnia referri oporteat, ipſum autem nuſquam,) hoc Epicurus in voluptate ponit.* Idem de Finib. Lib. I. (Vide Ælian. Var. Hiſt. Lib. IV. cap. 13.) Sed fatendum, id verum eſſe, quod obſervat Cicero, Tuſc. Quæſt. Lib. V. Epicurum plane pugnantia dicere. *Multa*, inquit, *præclarè ſæpe dicit: quam autem ſibi conſtanter, convenienterque dicat, non laborat. Laudat tenuem victum: philoſophi id quidem; ſed ſi Socrates aut Antiſthenes dicere, non is qui finem bonorum voluptatem eſſe dixerit. Negat quemquam jucundè poſſe vivere, niſi idem honeſtè, ſapienter, juſtèque vivat: nihil gravius, nihil philoſophia dignius, niſi idem hoc ipſum honeſtè, ſapienter, juſtè ad voluptatem referret. Quid melius, quam fortunam exiguam intervenire ſapienti? Sed hoc iſne dicit, qui cum dolorem non modo maximum malum, ſed ſolum malum etiam dixerit, toto corpore opprimi poſſit doloribus acerrimis, tum cum maximè contra fortunam glorietur?*

Ibid. *Qui curæ nos negat eſſe Deo*] Poſt, παρέχει. ADD. (idem teſtatur Cicero De nat. deor. lib. I.) Ibid. Poſt Lucretii verba, ADD. Nec melius Ennius apud Cic. de Divininat. Lib. II.

Ego deûm genus eſſe ſemper dixi, & dicam cœlitum:
Sed eos non curare opinor, quid agat humanum genus.

At, referente Cicerone De nat. deor. Lib. II. *De ſanctitate, de pietate adverſus deos libros ſcripſit etiam* Epicurus: deinde ſubjicit: *Quid eſt enim cur deos ab hominibus colendos dicas, cum dii non modo homines non colant, ſed omnino nihil curent, nihil agant.* (Lege, *ſed omnino nihil curent, quid agant.* Sic ſcripſiſſe Ciceronem minimè dubium eſt:) Scilicet, ut idem ait Cicero, *Epicurus re tollit, oratione reliquit deos.* & ut alibi, *Tantummodo negare deos eſſe non audet, ne quid invidiæ ſubeat, aut criminis.* Hæc tamen non conveniunt cum his quæ idem vir ſummus de Epicuro ſcribit Lib. de Nat. deor. I. *eum ſolum vidiſſe, primum eſſe deos, quod in omnium animis eorum notionem impreſſiſſet ipſa natura.* Certè Clementi Alex. Epicurus ἀϑεότης & καλάρχων audit, Strom. Lib. I. ſub initium. Ibid. Poſt Ariſtotelis verba, ADD. Vide Dionyſii verba apud Euſeb. P. E. Lib. XIV. cap. 22. & Plutarch. de Placitis philoſoph. Lib. I. cap. 4.

Pag. 257. ADD. *Nullum ſentire dolorem*] Epicurus, ut docet Cicero, dicere ſolitus eſt: *Summam voluptatem eſſe, nihil dolere.* Tuſc. Quæſt. Lib. III. *Minimè aſſentior iis, qui iſtam neſcio quam indolentiam magnopere laudant; quæ nec poteſt ulla eſſe, nec debet. Ne ægrotus ſim*, inquit; *ſed ſi fuerim, ſenſus abſit* (ſic ſcribo, cum in Codicibus

Codicibus vulgatis ſit, *adſit*) *ſive ſecetur quid, ſive avellatur à corpore. Nam iſthuc, nihil dolere, non ſine magna mercede contigit, immanitatis in animo, ſtuporis in corpore.* Crantor apud Cic. Tuſc. Quæſt. Lib. III.

Pag. 258. *Artes ingenuæ diſplicuere*] ADD. *Vellem equidem aut ipſe doctrinis fuiſſet inſtructior, (eſt enim non ſatis politus iis artibus, quas qui tenent, eruditi appellantur,) aut ne deterruiſſet alios à ſtudiis.* Cicero de Epicuro in libro de Finibus primo. Ibid. Poſt, teſtantur. ADD. Hunc tamen ſe unum Sapientem profiteri auſum fuiſſe ſcribit Cicero Lib. II. de Finib. Jure igitur merito Romani (uti tradit Ælianus Var. Hiſt. Lib. IX. cap. 12.) Alcæum & Philiſcum Epicureos ex urbe ejecerunt, eo quod multarum flagitioſarumque libidinum auctores eſſent adoleſcentibus. Etiam Meſſenii Epicureos expulerunt. *Dicam de iſtis Græcis*, inquit Cato, (Epicureos, credo, aut Stoicos, aut certè utroſque intelligens.) *ſuo loco, Marce fili, quid Athenis exquiſitum habeam, & quod bonum ſit eorum literas inſpicere, non perdiſcere. Vincam nequiſſimum & indocile genus illorum: & hoc puta vatem dixiſſe: Quandocunque iſta gens ſuas literas dabit, omnia corrumpet. Tum etiam magis, ſi Medicos ſuos huc mittet.* Apud Plin. H. N. Lib. XXIX. cap. 1.

Ibid. *Fieri poſſe ex nihilo nil*] Poſt Ariſtotelis verba ADD. Quinetiam Plato, referente Plutarcho Lib. περὶ τῆς ἐν Τιμαίῳ ψυχογονίας docuit, Οὐ γὰρ ἐκ τοῦ μὴ ὄντος ἡ γένεσις, ἀλλ' ἐκ τοῦ καλῶς καὶ ἱκανῶς ἔχοντος. Ὁ γὰρ θεὸς ὅτε σῶμα τὸ ἀσώματον, ὅτε ψυχὴν τὸ ἄψυχον ἐποίησεν. Ibid. Poſt, Lucretius Lib. I. ADD. Vide Laertium in vita Democriti, & Plutarchum adverſus Colotem, ubi de ſententiis Democriti, (quarum hæc præcipua fuit: Μηδὲν ἐκ τοῦ μὴ ὄντος γίνεσθαι, μηδὲ εἰς τὸ μὴ ὂν φθείρεσθαι) agit. Item Gaſſendum in Animadverſionibus ad Lib. X. Laertii. Potuit Plato verbis jam adductis non tam æternitatem materiæ aſtruere videri, quam præexiſtentiam; & cum nobis interim credere, etiam ipſam materiam opus eſſe Dei.

Pag. 259. *Diis putat eſſe parem*] Poſt, ſcripſit. ADD. Nec Stoici ſoli, ſed etiam Epicurei de fortuna, quaſi victa & conculcata triumphabant: Sic enim Metrodorus Epicureus apud Ciceronem: *Occupavi, inquit, te fortuna, atque cepi, omneſque aditus tuos intercluſi, ut ad me aſpirare non poſſes,* Tuſc. Quæſt. Lib. V. Verba hujus jactatoris, ſi memini, fuerunt, Περικατείληφά σε, ὦ τύχη, καὶ πᾶσαν τὴν σὴν ἀφῄρημαι παρέισδυσιν. Quemadmodum Herodes Atticus inſolentiam Stoici cujuſdam juvenis repreſſerit, tradit A. Gellius Lib. I. cap. 2.

Pag. 261. *Æqualia crimina cuncta*] Poſt S. Auguſtini verba. ADD. Quod confirmatur Horatii verbis Sat. Lib. I. Sat. III. ver. 96.

Quis

Queis paria esse fere placuit peccata, laborant,
Quum ventum ad verum est, sensus moresque repugnant.

Ibid. ADD. *Quod cedere debet honesto Utile*] *Socrates execrari eum solebat, qui primus utilitatem à natura sejunxisset: id enim querebatur caput esse exitiorum omnium.* Cic. de LL. lib. I. Naturæ nomine id intelligit, quod Lex naturæ, sive Recta ratio jubet, quæ nunquam nisi quæ sint honesta fieri jubet, quando quidem ex naturæ lege sanctissimum illud axioma proveniat, *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.* Honestum verò quid sit, docet Cicero: *Honestum*, inquit, *id intelligimus, quod tale est, ut detracta omni utilitate, sine ullis præmiis fructibusque, per se ipsum possit laudari:* De Finib. lib. II. *Honestum ita summum bonum est, quemadmodum Peripateticis nostris videtur, ut omnia ex altera parte collocata vix minimi momenti instar habeant: dubitandum non est, quin nusquam possit utilitas cum honestate contendere.* Idem de Offic. lib. III. Vera nempe, & propriè dicta utilitas. HONESTUM QUOD SIT, ID ESSE SUMMUM BONUM, Effatum Stoicorum apud Ciceronem de Finib. lib. IV. *Panætius in hoc defendendus, quod non utilia cum honestis pugnare dixerit aliquando posse, (neque enim ei fas erat) sed ea quæ videntur utilia. Nihil verò utile, quod non idem honestum: nihil honestum, quod non idem utile sit, sæpe testatur.* Idem de Offic. lib. III. Quod ex Platone habuit: Καλλισα τοῦτο καὶ λέγεται, καὶ λελέξεται, ὅτι τὸ μὲν ὠφέλιμον καλόν· τὸ δὲ βλαβερὸν αἰσχρόν. De Republ. lib. V.

Ibid. *Qui doceant hominum*] Post Socratis dictum ad Glauconem apud Platonem De Republ. lib. X. ADD. *Idem docebat semper, animos hominum esse divinos, iisque cum è corporibus excessissent reditum ad cœlum patere: optimoque & justissimo cuique expeditissimum.* Cic. de Amicit.

Ibid. *Res hominum curare Deum*] ADD. De Platone sic scribit Laertius in vita: Ὀιεται δὲ καὶ θεὸς ἐφορᾶν τὰ ἀνθρώπινα, καὶ δαίμονας εἶναι. Imo vide ipsum Platonem longa disputatione sub persona hospitis Athenensis de hac re egregiè differentem Lib. X. de LL. ubi ait, Γὸν δὲ ἡγώμεθον μὲν θεὸς εἶναι, μὴ φθονεῖν δὲ αὐτὸς ἀνθρωπίνων πραγμάτων, ὡθαμυνητέον, & quæ sequuntur.

Pag. 262. Γνῶθι σεαυτόν] Post, mereretur. ADD. Illud Oraculum optimè interpretatur Clemens Alexandrinus Strom. lib. V. pag. 556.

Ibid. Πλέον ἥμισυ παντός] Verba illa, [quod Diog. Laertius, Sosicratem secutus, falsò Pittaco attribuit.] dele: nam mihi accuratiùs locum inspicienti, Diogenes Pittaco dictum non attribuere videtur, sed narrare quemadmodum Pittacus illud usurpaverit. Ibid. Post, ὄνειαρ. ADD. Vel denique innuere videtur, *Me-*

iorem partem hominum, non numero, ſed dignitate & pretio *eſſe majorem.*

Pag. 263. *Nullus Epicteto*] Poſt, *ſapientes exiſtimant.* ADD. Epicteti hujus vitam à Diog. Laertio prætermiſſam fuiſſe, meritò miratur Henr. Stephanus in Præfat. ad Laert. At ego paulo ante Epicteti & Antonini Imp. tempora, vel certè iiſdem temporibus cum illis Laertium vixiſſe putem. Adjiciam Senecæ verba: *Ab hac* (nempe vera philoſophia) *nunquam recedit juſtitia, pietas, religio, & omnis alius comitatus virtutum conſertarum, & inter ſe cohærentium.* Epiſt. XC.

Ibid. Poſt lineam decimum ADDATUR Carmini:

Aut qui ſub vultu triſti, ſimul horriduloque
Palliolo, mores occuluere malos.

Aut qui ſub vultu triſti] Quales deſcribit Quintilianus: *Qui non virtute ac ſtudiis, ut haberentur philoſophi, laborant; ſed vultum & triſtitiam, & diſſentientem à cæteris habitum peſſimis moribus prætendebant.* Vide A. Gell. Noct. Attic. lib. IX. cap. 2. Ubi Herodes Atticus ad quempiam: *Video*, inquit, *barbam & pallium; philoſophum nondum video.* At bonus quiſque cum Hercule Euripideo erit Πᾶσαν ἀρετὴν ἐν ἔργῳ τιθεταμένῳ. Vide Ælian. Var. Hiſt. lib. X. cap. 35.

Ibid. ADD. *Iſta patrare deos*] *Sed ſuper omnem impudentiam adulteria inter ipſos fingi, mox jurgia, & odia, atque etiam furtorum eſſe, & ſcelerum numina.* Plin. H. N. lib. II. cap. 7. Rectè Momus apud Lucianum in concilio deorum dixit: Εἶτα θαυμάζομεν εἰ καταφρονοῦσιν ἡμῶν οἱ ἄνθρωποι, ὁρῶντες ὅτω γελοίως θεὼς καὶ τεράστιος; Et Io apud Euripidem conqueritur:

Καὶ γὰρ ὅσις ἂν βροτῶν
Κακὸς πέφυκε, ζημιοῦσιν οἱ θεοί.
Πῶς οὖν δίκαιον, τοὺς νόμους ὑμᾶς βροτοῖς
Γράψαντας, αὐτοὺς ἀνομίαν ὀφλισκάνειν;
Εἰσ' (ἐὰν γὰρ ἦσαν, τῷ λόγῳ γ' ἧ χρήσομαι)
Δίκας βιαίων δώσετ' ἀνθρώποις γάμων,
Σὺ καὶ Ποσειδῶν, Ζεὺς θ' ὁ κρανὸν κρατῶν,
Ναοὺς τίνοντες ἀδικίας κενώσετε.

Pag. 264. *Quæ vix mortalis committere*] Poſt Diog. Laertii verba ADD. Idem ſcribit de Chryſippo, fuiſſe nimirum qui dicerent illum in eo opere, quod de Antiquis phyſiologis ſcripſit, Ἀγαχρᾶς τὰ περὶ τὴν Ἥραν καὶ τὸν Δία ἀναπλάττειν, eaque quæ nemo niſi illoto ore dixiſſet. Deinde ſubjungit: Ἀγαθοκλῆν γοῦν (φασὶ) ταύτην ἀναπλάττειν ἰσοτιμίαν (εἰ καὶ ἐπαινεῖ-

ως

ὡς φυσικῶ) χαμαιτύπαις μᾶλλον πρέπουσαν ἢ θεοῖς. In vita Chryſippi. Hunc tangit Origenes contra Celſ. Lib. IV. Καὶ τί με δεῖ καλαλέγειν τὰς περὶ θεῶν ἀτοπίας Ἑλλήνων ἱστορίας; Vide reliqua ibi. Nec mirum ſi ex poetarum de deorum ipſorum adulteriis confictis fabulis juvenes ſibi majore audacia peccandi licentiam acceperint. Hinc Chærea Terentianus poſtquam virginem ſtupraverat, *Quid*, inquit, *quod fecit is qui templa cæli ſumma ſonitu concutit, ego homuncio non facerem?* Plato poſtquam multa abſurda & diis indigna ex Homero adduxiſſet, ut virum gravem decuit, ſubjicit demum: Παυστέον τοῖς τοιούτοις μύθοις, μὴ ἡμῖν πολλὴν εὐχέρειαν ἐντίκλωσι τοῖς νέοις πορνείας. De Republ. lib. III. Idem lib. II. ejuſdem operis, poſtquam ex Æſchylo quædam attuliſſet, in quibus poeta Apollinem mendacii & homicidii accuſâſſet, addit: Ὅταν τις ποιῆται λέγῃ περὶ θεῶν, χαλεπαίνομέν τε, κ) χορὸν ἃ δώσομεν· οὐδὲ τοὺς διδασκάλους ἐάσομεν ἐπὶ παιδεία χρῆσθαι τῇ νέων, εἰ μέλλουσιν ἡμῖν οἱ φύλακες, θεοσεβεῖς τε κ) θεοὶ γίγνεσθαι, καθόσον ἀνθρώπῳ ἐπιπλεῖσον οἷόν τε. Jure igitur merito ſic ſcripſit Eraſmus: *Homerus*, inquit, *ejuſmodi facit deos, cujuſmodi nolit magiſtratus bene morata civitas. Deinde tales depinxit uxores deorum, qualem nemo probus civis conjugem aut optet domi ſuæ, aut ferat. Denique tales finxit deorum filios, ut nemo ſanus paterfamilias ſimiles ſibi liberos velit obtingere.* In vita D. Hieronymi ab ipſo Eraſmo conſcripta. Ibid. Poſt Plutarchi verba, ADD. Quamobrem, uti credo, Heraclitus dixit: Τὸν Ὅμηρον ἄξιον ἐκ τῶν ἀγώνων ἐκβάλλεσθαι, κ) ῥαπίζεσθαι. κ) Ἀρχίλοχον ὁμοίως, ut de eo refert Diog. Laertius.

Ibid. ADD. *Laſciva poemata*] His qui delectantur, audiant Ovidium, Triſtium Lib. V.

Delicias ſi quis, laſcivaque carmina quærit;
Præmoneo nunquam ſcripta quod iſta legat.

Ibid. *Talia nec magnum*] Ille lib. II. De Republ. cum de deorum pugnis & adulteriis, quæ apud Homerum & Heſiodum extant, verba feciſſet, ait, Οὗτοί γε οἱ λόγοι χαλεποὶ, κ) οὐ λεκτέοι ἐν τῇ ἡμετέρᾳ πόλει. (Vide Theodoret. Serm. II. De Principio.) Ibid. Poſt, in Ione. ADD. Etiam Homerum ob alias ejus virtutes impenſè laudat Plato, Θεῖον ποιητὴν in Phædone vocat, & in Ione de eo aliiſque bonis poetis ſic ſcribit; Ἀναγκαῖον ἦ) ἔν τε ἄλλοις ποιηταῖς διατρίβειν πολλοῖς, κ) ἀγαθοῖς, κ) δὴ κ) μάλιστα ἐν Ὁμήρῳ τῷ ἀρίστῳ κ) θειοτάτῳ τῆς ποιητῆς, κ) τοῦτο τοῦτο διάνοιαν ἐκμανθάνειν, μὴ μόνον τὰ ἔπη, ζηλωτὸν ὄζειν. Et in lib. VII. de LL. Poetarum Electores (qui quæ legi, quæ non legi digna ſint, judicent,)

judicent,) in civitate non minùs quam quinquaginta annos natos esse vult. Neque dissimulandum est, Basilium illum magnum dixisse, *Universam Homeri poesin laudem esse virtutis.* Imo ante Basilium, Anaxagoras Iliadem dixerat esse Ποίησιν περὶ ἀρετῆς καὶ δικαιοσύνης In laudem Homeri vide quæ dicta sunt lib. III. num. [21.] & [23.]

Pag. 265. ADD. *Videt incunabula mundi.*] Quod in nullis Gentilium scriptis videbit: imo cum Cl. Hornio dicam, *Nihil sane rerum naturalium toto mundo datur, cujus non abditissima quævis ex sola scriptura sacra erui, ac evidentissimè demonstrari possint.* Epist. Dedicat. in Arcam Mosis.

Pag. 266. *Ante annos multos*] Post Herodoti verba, ADD. Idem tamen Herodotus in vita Homeri scribit, ab Homero nato ad transitum Xerxis in Græciam fluxisse annos sexcentos viginti duos, Xerxes in Græciam transiit circa Olym. 75. Iisdem ferme temporibus quibus Herodotus natus est.

Ibid. *Homerum*] Post, συγγεγραφέναι. ADD. Et Josephus: Ὁ δὲ ἡμέτερος νομοθέτης ἀρχαιότατος γεγονὼς, τοῦτο μὲν ὑπισθεν ὁμολογεῖται καὶ παρὰ τοῖς πάντα καθ' ἡμᾶς λέγουσιν. &c. Contra Appion. lib. II.

Ibid. *Moses extitit ante Numina.*] ADD. Id probant Theodoret. Græc. Affect. Serm. II. & Euseb. de P. E. lib. X. cap. 8.

Pag. 267. ADD. *Mose*] Hujus laudes celebrant Philo in vita, Josephus passim, S. Chrysostom. Epist. II. ad Olymp. Theodoret. ubi supra. Euseb. P. E. lib. VII. cap. 3. aliique veteres quamplurimi, quibus audit Τῶν προφητῶν κεφάλαιον, καὶ γνήσιος τοῦ θεοῦ φίλος. Ὁ τῆς θεολογίας ὠκεανὸς, ἐξ οὗπερ πάντες ποταμοὶ καὶ πᾶσα θάλατται. Ὁ προφήτης καὶ ὁ Θεολόγος. Non illi tamen, sed Dom. N. Iesu Christo, dandum est illud elogium quod Maimonides dat Mosi, quando illum appellat רבן של כל הנביאים, hoc est, *Dominum & Magistrum omnium prophetarum.*

Ibid. ADD. *Ex libro didicit naturæ*] *Si homines sub terra semper habitassent, tandemque patefactis terræ faucibus evadere supra terram potuissent, conspecto cœli ornatu; profecto & deos esse, & hæc tanta opera deorum esse arbitrarentur.* Cic. ex Aristotelis libris qui interciderunt: Extant verba illa in Secundo de nat. deorum. *Quem astrorum ordines, quem dierum noctiumque vicissitudines, quem mensium temperatio, quemque ea quæ gignuntur nobis ad fruendum, non gratum esse cogant, hunc hominem omnino numerare quis dicet?* Idem de LL. lib. II. Pulchrè Epictetus: Τὸν ἄνθρωπον εἰσήγαγεν εἰς κόσμον ὁ Θεὸς, θεατὴν αὐτοῦ τε, καὶ τῶν ἔργων αὐτοῦ· καὶ ἐ μόνον θεατὴν, ἀλλὰ καὶ ἐξηγητὴν αὐτῶν. In Enchiridio. Ὁ κόσμος, inquit D. Basilius, δεῖ θεογνωσίας παιδαγώγιον. Vide Plutarchi lib. περὶ τῆς ἐν Τιμαίῳ ψυχογονίας.

Ibid.

Ibid. ADD. *Sed & abdita mentis.*] Id agnoverunt ſapientiores inter gentes, in primiſque Thales Mileſius, de quo Diog. Laertius: Ἠρώτησέ τις αὐτὸν, εἰ λήθει θεὸς ἄνθρωπον ἀδικῶν; Reſpondit, Ἀλλ' οὐδὲ διανοούμενον. Vide Val. Max. lib. VII. cap. 2. Deum *cogitationibus noſtris intereſſe* docet alicubi Seneca.

Ibid. ADD. *Atque in quem finem*] *Hoc enim* (nempe quid ſit ſummum bonum, vel quis finis hominis ultimus) *conſtituto in philoſophia, conſtituta ſunt omnia. nam cæteris in rebus ſive prætermiſſum, ſive ignoratum eſt quippiam, non plus incommodi eſt, quàm quanti quæque earum rerum eſt, in quibus neglectum eſt aliquid. Summum autem bonum ſi ignoretur, vivendi rationem ignorari neceſſe eſt. Ex quo tantus error conſequitur, ut quem in portum ſe recipiant, ſcire non poſſint. cognitis autem rerum finibus; cum intelligitur, quid ſit & bonorum extremum, & malorum, inventa vitæ via eſt, confirmatioque omnium officiorum.* Cic. de Finib. lib.

Pag. 268. *Civis totius orbis*] Poſt M. A. Antonini verba, ADD. Et alibi: Πόλις καὶ πατρὶς, ὡς μὲν Ἀντωνίνῳ μοι ἡ Ῥώμη, ὡς δὲ ἀνθρώπῳ ὁ κόσμος. Hæc ille. Πατρίς μοι χθὼν πᾶσα: Incertus quidam in epigrammate de Homero.

Ὁρᾷς τὸ ὕψος τῶν δ' ἄπειρον αἰθέρα,
Καὶ γῆν πρεῖξ, ἔχοντα ὑγρᾶς ἀγκάλας;
Οὗτοι τῆς πατρίδος ἡμῖν ὅροι εἰσί.

Vetus poeta apud Plutarchum ubi ſuprà. *Socrates cum rogaretur, cujatem ſe eſſe diceret, Mundanum, inquit, Totius enim mundi ſe incolam & civem arbitrabatur.* Cic. Tuſc. Quæſt. lib. I. (Οὐκ Ἀθηναῖος, οὐδὲ Ἕλλην, ἀλλὰ κόσμιος εἶναι φήσας, ut idem narrat Plutarchus in Comment. περὶ φυγῆς.) *Hominem eſſe cenſebant quaſi partem quandam civitatis, & univerſi generis humani: eumque eſſe conjunctum cum hominibus humana quadam ſocietate.* Idem de Peripateticorum doctrina è Platonis ſchola hauſta, Acad. Quæſt. lib. I. Hinc Cæſar apud Lucanum lib. X. de Platone ait:

Quis dignior unquam
Hoc fuit auditu, mundique capacior hoſpes?

Ibid. ADD. *Quam prodeſſe aliis*] Antonino, hoc eſt, optimo Principe, digna vox fuit: Ὁ ἄνθρωπος εὐεργετικὸς πέφυκε. (Extat lib. IX. πρὸς τὸν ἑαυτόν.) Et Pythagoras dicere ſolebat, hæc duo divinitus data hominibus eſſe longè pulcherrima: Τό τε ἀληθεύειν, καὶ τὸ εὐεργετεῖν, teſte Æliano Var. Hiſt. lib. XII. cap. 59. Ingens laus erat Titi Veſpaſiani, quam dat ipſi Plinius in Præfatione ad H. N. his verbis: *Nec quicquam in te mutavit for-*

tunæ amplitudo, niſi ut prodeſſe tantum poſſes, & velles. Qui etiam, ſi fortè nulli homini in die benefeciſſet, dicere ſolitus eſt: *Amici, diem perdidi*

Ibid. *Cumque ſit ipſe bonus.*] Poſt, ὐδαμῶς. ADD. *Ego odi homines ignava opera, & philoſopha ſententia.* Hunc Pacuvii verſum Macedo philoſophus, referente A. Gellio Noct. Attic. lib. XIII. cap. 8. ſcribi debere cenſebat pro foribus omnium templorum.

Pag. 269. ADD. *Dulciùs ex ipſo fonte*] Ὄργανον τῆς παιδείας ἡ χρῆσις τῶν βιβλίων ὄχι, ἀλλ' ἀπὸ πηγῆς τιὼ ἐπιτήμιω τηρεῖν συμβέβηκεν. Plu.arch. de liberis educandis.

Ibid. *FELLVS*] ADD. *Vir ſummè reverendus, & de Eccleſia, & re literaria præclarè meritus, Epiſcopus Oxonienſis,* Joannes Fell, ὁ μακαρίτης. Joan. Geor. Grævius in vita Franc. Junii.

Pag. 271. ADD. *Manu-ſcriptis*] Ad numerum CCXLVI. optimæ notæ.

CATA-

CATALOGUS
AUCTORUM
VETERUM

Quorum plerique in hoc opere vel notis laudantur, adducuntur &c. juxta ſeriem temporum.

Enoch. Claruit Anno Mundi		800
Abrahamus, *cujus tempore Zoroaſter & Inachus. Ogyges ſub idem tempus.*	}	2023
Job ante Moſen.		2154

Enoch] Natus eſt anno Mundi 622. tranſlatus in cœlum vivus 987. cum vixiſſet annos 365. Auctor libri *Jachaſin* hæc habet: *Hanoch, qui vocatur* אוּרִיס *incepit componere libros Aſtronomicos.* Vide notas ad Lib. I. num. [16] Hujus vaticinum citatur Apoſtolo Judæ, ſed quæ ejus nomine eo tempore circumferebantur ſcripta ab Eccleſia Catholica Apocryphis merito annumeratur. Vide Origenem contra Celſ. Lib. V. pag. 267.

Abrahamus] Hic natus anno Mundi 1948. (regnante apud Aſſyrios Nino,) anno demum mundi 2023. ætatis annum agens 75. juſſu Dei patriam reliquit, & in Canaan venit. Sin anno ætatis Tharæ non 70. (ut Moſes diſerte tradit Gen. XII.) ſed 130. (quod Uſſerio placuit,) natus fuerit, migrationem Abrahami anno mundi 2083. contigiſſe neceſſe eſt. Quam quidem ſententiam nos olim INDICE CHRONOLOGICO ad Biblia ſacra impreſſa Oxoniæ 1685. amplexi ſumus. Ab hoc anno Mundi 2023. uſque ad Exitum Iſraelitarum ex Ægypto numerantur anni a B. Stephano (Act. VII. 6.) 400. numero rotundo: a S. Paulo accurate 430. Gal. III. 17.

Inachus] *Apud Argos primus regnavit Inachus ann. L.* Euſeb. ad Annum Abrahami CLX. Idem tamen in Præfatione ad Chronicorum librum poſteriorem, quaſi ſui oblitus Inachum ad Moſis tempora retulit interprete Hieronymo: *Moſen*, inquit, *gentis Hebrææ, qui primus omnium Prophetarum ante adventum Domini Salvatoris divinas leges ſacris literis explicavit, Inachi fuiſſe temporibus eruditiſſimi viri tradiderunt, ex noſtris Clemens & Africanus, & Tatianus; ex Judæis Joſephus, & Juſtus veteris hiſtoriæ monumenta replicantes.*

Ogyges] Atticæ, vel ut alii volunt Thebarum rex. Euſebius ad ann. Abrahami CCLXII. ſic ſcribit: *Diluvium Ægypti hoc tempore fuit, quod factum eſt ſub Ogyge.* Contigit paulo ante Jacobi Patriarchæ in Ægyptum adventum.

Job] Hæc eſt communis doctorum hominum ſententia. Antiquiorem fuiſſe eum Moſe duabus ætatibus docet Euſebius Dem. Evang. Lib. I. cap. 6. Vide Epiphan. adv. Hæreſ. Lib. I. Chryſoſtom. Hom. II. in Job. S. Auguſt. de C. D. Lib. XVIII. cap. 47. & Sulp. Sever. Hiſt. ſacr. Lib. I. cap. 23.

	A. M.	
Moſes.	2453	
Mercurius, ſive Hermes Triſmegiſtus, Moſi, uti creditur, συγχρονος.		*Euſeb.*
Cecrops Moſi coætaneus. Item Prometheus Aſtrologus.		
Cadmus litteras è Phœnicia in Græciam portat. Circa hæc tempora vixerunt Linus, Amphion poetæ & Muſici inſignes, item Phemonoë vates, *quæ prima hexametris verſibus futura cecinisſe narratur*, teſte Euſebio.	2630	
Evander Carmentæ filius in Italiam venit.	2709	
Orpheus, unus Argonautarum paulò ante bellum Trojanum.	2720	

Codrus.

Moſes] *Octogeſimum agens annum, & dux itineris ex Ægypto Hebræorum gentis efficitur.* Euſeb. in Chron. ad ann. Abrah. DV. Alii Iſraelitarum exitum referunt ad Ann. Mundi 2023. Mortuus eſt Moſes anno Mundi 2493. ætatis 120. Deut. XXXIV. 7. Joſeph. Lib. IV. cap. 3.

Mercurius] Alii recenſiorem faciunt, ut qui Joſuæ, atque adeo Cadmo æqualis eſſet. Euſebius in Chron. ponit ad ann. DLVI.

Cecrops] Athenienſium rex. *Hic primus bovem immolans Jovem appellavit.* Euſeb. ad ann. CCCCLXII. Sed quomodo conveniunt hæc cum his quæ Euſeb. in Præfatione (interprete Hieronymo) ad Chronicorum librum Poſteriorem ſcribit, *nempe deos gentium, ipſumque Jovem, poſt Cecropem extitiſſe*? Cæterum Cecropem primum fuiſſe, qui Jovem deum appellaverit, tradit Pauſanias in Arcadicis, S. Athanaſius Theſea primum id feciſſe ſcribit, *Orat. cont. Gentes.* Cecrope regnante de Marte in Areopago judicium habitum eſt. Eodem regnante diluvium quod Deucalionis vocatur contigit. Item incendium, quod Phaethonti tribuunt poetæ.

Cadmus] Hujus ex Ægypto in Syriam profectionis meminit Euſebius ad ann. DLXIII. Regnaſſe demum Thebis docet ad annum DLXXXVII. Ejus ſororem Europam a Jove raptam fuiſſe conſentiunt omnes, meminitque Euſebius: fuit ergo Cadmus Jovi coætaneus, uterque poſt Moſen annis ferme CC. Vide notas ad Lib. VI. num. [56.]

Evander] Hic cum Arcadibus paucis, qui duabus modo navigiis advecti ſunt, locum ubi Roma condita eſt, qui *Palantium* vocabatur, habitavit, uti ſcribit Diodor. Siculus Lib. I.

Orpheus] *Orpheum poetam docet Ariſtoteles nunquam fuiſſe; & hoc Orphicum carmen Pythagorici ferunt, cujuſdam fuiſſe Cecropis.* Cic. Lib. I. de Nat. deor. At Origenes ſuo ævo Orphei ſcripta extitiſſe ſcribit cont. Celſum Lib. I. Hujuſque Orphei adducuntur quædam a S. Juſtino Martyre in libro *De Monarchia*, circa initium. Hunc Euſebius ponit ad ann. Abrahami DCCXLVII. & in Lib. X. Præp. Evang. Clemens vero Alexandrinus ex Antiquo Chronologo Argonautarum expeditionem Trojæ excidium annos 79. (alii 40.) anteceſſiſſe ſcribit. Contigit ergo excidium Trojæ circa annum Mundi 2800, & tempora Jephthæ: 406. ante primam Olympiadem juxta Euſebium. In ea expeditione principes fuerunt Jaſon, Admetus, Peleus, Caſtor, Pollux, Hercules.

	A. M.	Olym.		
Codrus.	2949			
Templum Salomonis ædificari cœptum.	3007			
Homerus & Heſiodus.	3050			
Lycurgus ante Olympiades.				
OLYMPIAS PRIMA	3174			
ROMA CONDITA	3198	6	4	
Sibylla Ærythræa.	3209	10	1	*Euſeb.*
Sibylla, quæ & Herophila in Samo inſignis habetur.	3238	17	1	*Idem.*
Tyrtæus.	3273	25		*Pauſ.*
Archilochus.	3287	29	2	*Euſeb.*
Alemæon.	3293	30	1	*Idem.*
Phalaris apud Agrigentinos tyrannidem exercuit.	3295	31	2	*Idem.*

Draco

Codrus] Hic ultimus Athenienſium rex patriæ cauſa ſe morti tradidit. Ante Homerum floruiſſe creditur: Euſebius ponit ad ann. Abrahami DCCCCXXVI. qui eſt annus Mundi 2949 quo tempore Saul Hebræorum rex fuit.

Templum Salomonis] Juxta Euſebium anno Abrahami DCCCCLXXXIV.

Homerus] De Homero, ſi, patriam & parentes ſpectes vere dictum eſt a Suida, quod eſſet *Ignotus hominibus.* In Homeri ætate aſſignanda quanta fuerit veterum ſcriptorum diſcrepantia docebit te Euſebius in Chronico, ad annum DCCCVIII. Idem ſcribit nonnullos tradere, vixiſſe Homerum in Ionica migratione, quæ contigit anno Abrahami DCCCCLXXV. paulo poſt tempora Salomonis. Videndus Joſ. Scaliger in Animadverſionibus. Vixit Homerus ante Chriſtum annis circiter DCCCC. ante Olympiades CXXIV. Herodotus Homerum & Heſiodum vix ultra annis 400. ante ſe extitiſſe ſcribit: quod circiter 60. annis diſcrepat ab eum eo quod Cornelius Nepos in libris Chronicorum ſcribit, nim. *Homerum annis circiter centum ſexaginta ante Romam conditam floruiſſe:* & quod Juvenalis Sat. VII.

Ipſe facit verſus, atque uni cedit Homero,
Propter mille annos.

Scribebat Juvenalis ſub Domitiano circa ann. Mundi 4138. & Chriſti 90.) Floruit Herodotus Olym. 84. ante Chriſtum 440. Vide Lib. VI. num. [56] pag. 266. Theopompus, Archilochus, & Clemens Alex. ponunt Homerum longe inferius, ſcil. ad Olym. 23.

Heſiodus] Hunc quidam putabant vixiſſe Olym. IV. 1. ut teſtatur Euſebius. Solinus ſcribit eum in auſpiciis primæ Olympiadis obiiſſe.

Lycurgus ante Olympiades] Non ut Clemens Alexandrinus annos 150. nec ut Phlegon 128. nec denique ut Tatianus ſcribit 100. ſed tamen paulo poſt Homerum. Vide Joſ. Scalig. in Animadverſionibus ad ann. MCXXXII.

OLYMPIAS PRIMA] Euſebius ponit ad ann. MCCXLI. temporibus Joathami regis Judæ.

ROMA CONDITA Olym. VI. 4.] Sic Euſebius: juxta vero Dionyſ. Halicarnaſſ. VII. 1. Hic Auctores in varias ſententias abeunt.

Tyrtæus] Vide notas ad Lib. III. num. [27.]

Phalaris] Idem tamen Euſebius de eo ad Olym. LIII. 4. ſic ſcribit: *Phalaris tyrannidem exercuit ann. XVI.*

	A. M.	Olym.		
Draco Legiſlator Spartanus.	3326	39	1	*Id. Tat. & Clem.*
Steſichorus.	3338	42	1	*Euſeb.*
Sibylla Cumæa, ſub Tarquinio Priſco.	3342	43	1	*Suid. & Gell.*
Sappho & Alcæus.	3346	44	1	*Euſeb.*
Solon.	3355	46	2	*Idem.*
Anacharſis, Soloni & VI. reliquis Sapientibus συ∫χρονο.	3355	46		*Laert.*
Epimenides Athenas emendavit.	3358	47	1	*Euſeb.*
Æſopus interimitur à Delphis.	3386	54	1	*Idem.*
Solon adhuc vivebat.	3390	55	1	*Herodot.*
Simonides agnoſcitur.	3391	55	2	*Euſeb.*
Xenophanes Colophonius.	3397	56	4	*Idem.*
Theognis.	3403	58	2	*Idem.*
Phocylides.	3413	60	4	*Idem.*
Anacreon.	3418	62	1	*Idem,*
Pythagoras.	3430	65	1	*Idem.*
Epicharmus Pythagoræ auditor.				*Laert.*
Æſchylus.	3454	71	1	*Euſeb.*
Pindarus.	3464	73	3	*Idem.*
Ariſtides cognomento juſtus.	3466	74	1	*Idem.*
Sophocles & Euripides.	3480	77	3	*Idem.*
Themiſtocles moritur in exilio.	3483	78	2	*Idem.*

Heracli-

Alcæus] Vixiſſe Alcæum temporibus Periandri tradit Herodotus Lib. V. Inimicitias geſſiſſe cum Pittaco VII. Sapientium uno, qui claruit Olym. 42. teſtatur Diog. Laertius in vita.

Solon] Hunc non modo ſapientiſſimum virum, verum etiam optimum poetam fuiſſe docet Plato in Timæo; &, ſi poeticæ ſtudio ſe totum dediſſet, nec Homero, nec Heſiodo ceſſurum. Idem, ut ſcribit Euſebius, *Draconis legibus antiquatis, extra eas, quæ ad ſanguinem pertinebant, ſua jura conſtituit.*

Et VI. reliquis ſapientibus] Hi erant Thales, Chilo, Pittacus, Bias, Cleobulus, & Periander. Laertius ſcribit Thaletem defunctum fuiſſe Olym. 58. Cræſi temporibus; Chilonem circa Olym. 52. cum prius amplexus & oſculatus filium fuiſſet, qui in Olympia fuerat coronatus; Pittacum Olym. eadem qua Chilo, anno vero tertio; Biantem ſub idem tempus. Quando vero cæteri obierint Diogenes non memorat. Euſebius ponit VII. Sapientes ad Olym. XLIX. 3. quo tempore Daniel & Jezekiel Babylone prophetabant.

Simonides] In vivis, teſte Euſebio, Olym. 60. 4.

Pythagoras] Moritur Olym. LXX. 4. *Euſeb.* Venerat in Italiam temporibus Tulli Servii, teſte Livio; non, ut quidam exiſtimant, regnante Numa Pompilio.

Pindarus] In lucem editus Olym. 65. Erat tunc cum Xerxes tranſitum in Græciam fecit annos natus 30.

Sophocles.] Natus Olym. 71. 2. annis XVII. Æſchylo junior. Vixiſſe annos 90. ex Diodoro Siculo colligitur.

Euripides] Natus fertur eo die quo Xerxis exercitus ab Athenienſibus fuſus fugatuſque eſt. nempe Olym. 75. 1. vixit annos 75. Hunc eodem anno defunctum, quo Sophocles diem obiit ſcribit Diodorus.

	A. M.	Olym.		
Heraclitus.	3490	80	1	*Euſeb.*
Herodotus.	3505	83	4	*Idem.*
Ariſtophanes.	3513	85	4	*Idem.*
Empedocles.	3514	86	1	*Idem.*
Democritus Abderites & Zeno, item Hippocrates medicus hoc tempore florent.				
Socrates.	3515	86	2	*Idem.*
Thucydides.	3520	87	3	*Idem.*
Lyſias.	3527	89	2	*Halicar.*
Dionyſius in Sicilia tyrannidem exercet.	3542	93	1	*Euſeb.*
Iſocrates.	3549	94	4	*Idem.*
Democritus moritur eodem anno.				
Athenienſes hoc tempore XXIV. literis uti cœperunt, cum ante XVI. tantum literas haberent.				*Idem.*
Xenephon.	3550	95	1	*Idem.*
Ariſtippus Cyrenaicus eodem tempore.				*Diodor.*
Socrates venenum bibit.	3551	95	2	*Euſeb.*
Diogenes Cynicus agnoſcitur.	3554	96	1	*Idem.*
Plato.	3561	97	4	*Idem.*
Archytas Tarentinus.		102		*Laert.*
Ariſtoteles.	3583	103	2	*Euſeb.*
Demoſthenes.	3590	105	1	*Idem.*
Iſæus Lyſiæ diſcipulus, Demoſtheni æqualis.				

Æſchines

Empedocles] Floruiſſe illum circa Olym. 84. & obiiſſe ætatis anno 77. auctor eſt Diog. Laertius.

Lyſias] Viginti & duobus annis Iſocrate natu major, ut ex Dionyſio Hal. colligitur.

Iſocrates] Natus eſt Olym. 84. quinquennio ante bellum Peloponneſiacum. Vixit annos nonaginta octo, ut teſtatur Dion. Halicarnaſſ.

Heraclitus] Diog. Laertius ponit ad Olym. 69.

Democritus] Naſcitur Olym. 77. 3. anno uno major natu quam Socrates. Vixit annos 109. ut ſcribit Laertius ex Thraſylo.

Hippocrates] Laertius & Plinius ponunt ad Olym. 82. Æqualem fuiſſe Democrito conſtat. Vixit annos 104.

Socrates] Natus Olym. 77. 4. teſte Diog. Laertio; venenum bibit Olym. 95. 2. juxta Euſebium, anno ætatis 70.

Xenophon] Moritur Olym. 105.

Plato] Natus Olym. 88. 1. mortuus Olym. 108. 1. Laertius ex Apollodoro.

Ariſtoteles] Natus Olym. 99. teſte Apollodoro apud Laertium. Octodecim annorum juvenis Platonem audit, teſte Euſebio. Mortuus eſt Olym. CXIV. 3. (ætatis 63. Alexandro Magno tribus annis ſuperſtes) quo anno obiit etiam Demoſthenes, qui Ariſtotele XIII. annis junior erat, ut teſtatur Dion. Halicarn.

	A. M.	Olym.		
Æſchines Demoſtheni *σύγχρονος* & æmulus.				
Alexander Magnus.	3612	110	3	*Euſeb.*
Crates Thebanus.		112	3	*Laert.*
Epicurus.	3624	113	3	*Euſeb.*
Theophraſtus.	3629	114	4	*Id. & Laert.*
Demetrius Phalereus.	3630	115	1	*Euſeb.*
Euclides Mathematicus.		115		*Proclus.*
Crantor eodem tempore.				
Menander Comicus moritur.	3657	121	4	*Euſeb.*
Ptolemæus Philadelphus.	3665	123	4	*Idem.*
Aratus.				
Theocritus.				
Apollonius Rhodius. } Sub Ptolemæo Philadelpho,				
Lycophron.				
Callimachus.				
Nicander.				
Homerus junior.				
Muſæus, *& Philicus* poetæ, *Conon & Hipparchus Mathematici, &, ut quibuſdam placet, Ariſtarchus Grammaticus circa hæc tempora.*				
Zeno Stoicus moritur.	3686	129	1	*Idem.*
Beroſus.	3690	130	1	*Tatian.*
Chryſippus.	3718	137		*Laert.*

Polybius

Alexander] *Obtinuit Babylonem interempto Dario Olym.* CXII. 3. ait Euſebius. *Anno ætatis* XXXII. *moritur apud Babylonem* Olym. CXIII. 4. *Idem* Eodem die obiit Corinthi Diogenes Cynicus referente Laertio Lib. VI.

Epicurus [Ait Laertius ſcribit obiiſſe illum Olym. CVII.

Theophraſtus] *Qui a divinitate loquendi, ut ait Cicero, nomen accepit.* S. Hieron. in Chron. Euſebii.

Euclides] Hunc ſub primo Ptolomæo vixiſſe tradit Proclus. Alius eſt ab illo Megarenſi philoſopho Socratico, qui Platonis fuit auditor, & cujus vitam ſcripſit Diog. Laertius.

Crantor] Fuit Xenocratis auditor : Xenocratem vero docere cœpiſſe ſub Lyſimacho Olym. CX. 2. ſcribit Laertius in vita. Sed fallitur ; Lyſimachus enim non ante mortem Alexandri regnavit, & quidem Olym. CXV.

Menander] *Primam fabulam cognomento* Ὀργὴ *docens ſuperat.* Euſebius ad Olym. CXIV. 4. Mortuus eſt Olym. CXXI. 4. *Idem,*

Ptolemæus] Dictus Philadelphus, qui annum jam vivente patre regnaverat. Hic S. Scripturam V. T. a LXXII. Senioribus in Linguam Græcam transferri curavit. Regnavit annos XXXVIII. Vide Lib. I. num. [44.]

Callimachus] Hunc Suidas ponit ad Olym. CXXXIV.

Muſæus] Sub hujus nomine extat carmen de Amore Herus & Leandri. Sunt qui poſt Auguſti tempora vixiſſe putant. Alius plane eſt a veteri illo Eumolpi filio, & Orphei diſcipulo, de quo ſupra.

Chryſippus] Obiit Olym. CXLIII. cum vixiſſet annos 73. *Laert.*

	A. M.	Olym.		
Polybius.	3726	139		*Suidas.*
Archimedes.	3739	142	2	*Liv.*
Nævius Moritur.	3748	144	3	*Euſeb.*
Plautus obiit.	3750	145	1	*Idem.*
T. Livius Tragœdiarum ſcriptor.	3763	148	2	*Idem.*
Hannibal venenum bibit.	3764	148	3	*Idem.*
Socilus & Philænius Hannibali æquales.				*Nepos.*
Panætius Stoicus philoſophus Scipioni Africano æqualis.				*Cic.*
Ennius moritur ſeptuagenario major.	3782	153	1	*Euſeb.*
P. Terentius moritur.	3792	155	3	*Idem.*
Pacuvius floret.	3796	156	3	*Idem.*
Cato Cenſorinus moritur.	3798	157		*Cic. de Sen.*
L. Accius Tragœdiarum ſcriptor.	3811	160	2	*Euſeb.*
C. Lucilius Satyrarum ſcriptor moritur.	3847	169	2	*Idem.*
T. Lucretius naſcitur.	3855	171	2	*Idem.*
Cato Utenſis agnoſcitur.	3881	177	4	*Idem.*
Catullus moritur ann. ætat. 30.	3893	180	4	*Idem.*
Diodorus Siculus.	3900	182	3	*Idem.*
Didymus Scholiaſtes Homeri hoc tempore.				*Suid.*
Julius Cæſar occiditur.	3906	184	1	*Idem,*
Cicero.	3907	184	2	*Idem.*
Corn. Nepos floret.	3910	185	1	*Idem.*
Saluſtius diem obiit.	3915	186	2	*Idem.*
Corn. Gallus.	3920	187	3	*Idem.*
M. Terent. Varro moritur.	3922	188	1	*Idem.*

Virgilius

Archimedes] Captis Syracuſis occiditur Ann. U. C. 542.

Ennius] Hic natus, uti Cicero tradit, anno poſt U. C. 514.

Terentius] *Annos natus 35. contracto morbo ex dolore amiſſarum fabularum, quas vel novas fecerat, vel ex Menandro converterat, moritur in Arcadia.* Auctor Vitæ Terentii.

Pacuvius] *Brundiſinus Tragœdiarum ſcriptor, vixit Romæ quoad picturam exercuit, ac fabulas vendidit. Deinde Tarentum transgreſſus, prope nonagenarius diem obiit.* Euſeb. in Chron. Erat Ennii nepos.

Cato Cenſorinus.] Mortuus eſt ſub initio belli Punici III. Plinius vero obiiſſe illum anno U. C. 605. ætatis 85. tradit Lib. XXIX. cap. 1.

